ITALY

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS
TRACTATUS
NOTIONES COMPLECTENS ET DISCEPTATIONES CANONICAS

CIRCA IMPEDIMENTA DIRIMENTIA, PROCESSUS IUDICIALES
DISPENSATIONES AB ALIIS IMPEDIMENTIS
ET A VINCULO MATRIMONII RATI NON CONSUMMATI

AD USUM PRAESERTIM
ECCLESIASTICORUM IUDICUM ET PAROCHORUM
AD OCCIDENTALEM ET ORIENTALEM ECCLESIAM PERTINENTIUM

SCRIBEBAT EDEBATQUE PRIMUM
IOSEPHUS MANSELLA

SUB TITULO PRIMITIVO
DE IMPEDIMENTIS
MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS
AC DE PROCESSU IUDICIALI ETC.

HANC ALTERAM EDITIONEM POSTUMAM
AB EODEM IAM INTEGRATAM
EXPOLIENDAM AUGENDAMQUE CURABAT
FRANCISCUS SOLIERI
IURIS UTRIUSQUE DOCTOR AC IURI CANONICO TRADENDO
ALUMNIS SCHOLARUM
COLLEGII URBANIANI FIDEI PROPAG. PROFESSOR

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1906.

IUS PROPRIETATIS

HUIUS EDITIONIS PRAEFATIO.

Cum nobis commissum fuerit novam editionem huius operis clarissimi viri bonae memoriae Iosephi Mansella curare, libenti animo ac pari alacritate opus aggressi sumus.

Qua de re tum elucubrationibus quas inter clarissimi viri postuma scripta invenimus, tum opportunis additamentis effecimus, sicut nobis videtur, ut hoc opus in iis praesertim in quibus de matrimonialibus processibus agitur pro nostris viribus auctior ac, ut ita dicamus, recentior evaderet. Idcirco in tres partes opus dividere satius esse putavimus; quarum in prima de impedimentis matrimonium dirimentibus, in altera de ratione tractandi atque agendi causas matrimoniales agitur, in tertia canonicas disceptationes addimus, ut tandem opportunis appendicibus opus concludamus, quibus vetera ac nova documenta quae rem matrimonialem spectant continentur. Pars vero secunda in duas sectiones dividitur, quarum prima de processu iudiciali in causis

nullitatis matrimonii, in altera de ratione processum conficiendi in causis dispensationis matrimonii *rati et non consummati,* sive per viam gratiae sive per viam iustitiae procedatur sermo erit.

Faxit Deus ut labor noster incassum non sit, atque ex hoc opere noviter edito aliquam omnes, praesertim orientales, in processibus matrimonialibus conficiendis referant utilitatem, quod in decus ac ecclesiasticae disciplinae unitatem benevertat.

FRANCISCUS SOLIERI
Utriusque iuris doctor ac professor.

Antecedentis editionis
operis dicatio
ac eiusdem edendi consilii et rationis expositio

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
TITULO SANCTAE MARIAE TRANS TIBERIM
S. R. E. CARDINALI
LAURENTIO NINA
SACRIS APOSTOLICIS PALATIIS PRAEFECTO
ETC. ETC.
IOSEPHUS MANSELLA

Quantum, Eminentissime Princeps, ad commune christianae rei emolumentum conferat quod coniugale foedus, a Deo ipso inter mundi primordia ad humanam propagandam sobolem institutum, fuerit in plenitudine temporum a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectum, divinarumque rore gratiarum locupletatum, omnibus qui fidei dono fruuntur perspectum exploratumque est. Eo enim sacramento sanctificati coniuges, filios edunt in admirabile Dei lumen et regnum, et per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti iustificatos, divinaeque gratiae meliora recepturos charismata, sancta mater Ecclesia sinu suo complectitur. Sic autem universum per orbem diffusa familia Christi perseverat indeficiens in aevum, plenum de infernis hostibus actura triumphum, aeternaeque olim vitae hereditate secundum spem in caelis donanda.

Verum neminem latet, omnia pene evanescere christiani emolumenta coniugii, nisi eiusdem sarta tectaque sint iura, legesque a Deo et Ecclesia de eodem latae religiose serventur.

Itaque ut amicorum quorundam consilio morigerarer, ut ecclesiasticorum praesertim tribunalium commodo studerem, ac denique ut nostrorum praesertim temporum erroribus, qui sub civilis tegmine matrimonii et concubinatus flagitio grassantur, genuinam opponerem doctrinam de coniugalis valore foederis in plerisque rerum adiunctis, et quatenus istud impedimentorum legibus gubernatur: praecipua recensui ecclesiastici rudimenta iuris, quibus maximum eiusmodi de iugali vinculo caput clarius exponeretur, et in unum collecta in promptu haberentur quae ad iudiciales pene quotidianas de initi matrimonii valore quaestiones rite tractandas atque absolvendas, sive divino sive humano Ecclesiae iure clamante atque cogente, servanda sunt.

His autem, tanquam traditae exempla doctrinae ad peculiares causas traductae, quasdam adieci disceptationes canonicas, quas tunc elucubravi cum a sacra Concilii Congregatione demandatum mihi fuit canonistae munus, ut in quibusdam de initorum firmitate matrimoniorum quaestionibus, eidem sacrae Congregationi in gradu appellationis delatis, meam Eminentissimorum Patrum iudicio sententiam subiicerem.

Quum autem meum hoc opus sub alicuius praestantis Viri auspiciis edere duxerim, quo eorundem tenuitati aliqua ratione consulerem, haud cunctandum mihi fuit, ut Tuo, Eminentissime Praesul, clarissimo nomini inscriberem, et patrocinio commendarem.

Praeter illud enim rationis momentum, quod Tu in eiusmodi causis pertractandis omne studium omnemque curam adhibuisti, ut quisque pro suo munere valeret veritati rato suffragari iudicio, idque tum quum gravissimis fungebaris officiis apud sacram Concilii Congregationem prius, deinde apud supremam sacram Congregationem universalis inquisitionis, tum ut iudex in sacris Urbis Congregationibus quum ad amplissimum sacrumque Patrum Cardinalium Ordinem merito cooptatus fuisti; meo praeterea versantur animo et Tua in omne disciplinarum sacrarum genus, canonici praesertim iuris, praestantia, et praeclarissima quibus excellis ornamenta virtutum, quas in publicae et catholicae rei emolumentum impendere in deliciis habes. Quibus asserendis ipsa per se clamant tot Tibi nedum a Pio IX fel. rec., sed et a Sanctissimo Domino Nostro, tam sapienter hodie tot inter aestuantes sociales fluctus Petri naviculae clavum gubernante, Leone Papa XIII demandata magni quidem momenti munera, in quibus obeundis de apostolica Sede, immo de universo christiano nomine es optime meritus.

Haec ex praecipuis Tui animi dotibus princeps deprompta ratio, qua hunc Tibi, Amplissime Praesul, ratus sum libellum inscribere.

Ad me autem quod attinet, equidem nescio alia qua ratione nisi tenui hoc argumento valeam Tibi gratissimi animi mei sensum patefacere pro beneficiis, quae ex Tuo expertus sum patrocinio. - Sed peculiari praeterea ratione has elucubrationes Tuo nomine exornari aequum erat. Meminerit enim Eminentia Tua, quod vel ab ineunte mea iuventute, studiis eiusmodi canonicarum quaestionum, quae tunc

apud sacram Concilii Congregationem disceptabantur, Tua me comiter exercuit nedum benignitas, sed et ea, qua praestabas, iuris peritia. Quare si quid in eis profeci, id iure merito Tibi vindicas.

Verum et ad hunc ipsum libellum illud attinet memorandum, quod cum eundem Eminentiae Tuae iudicio subiecerim, tempore quo sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro oeconomicis negotiis Praefecturam gerebas, tum ut illum recensere atque corrigere dignareris, tum ut Tui ratione muneris diiudicares an typis eiusdem sacrae Congregationis edi expediret, comitas Tua mihi suggessit, ut fusius de impedimentis matrimonium dirimentibus ac de iudiciali processu in matrimonialibus causis conficiendo agerem, ut opus et magis in themate absolutum, et ecclesiasticis Curiis foret utilius. Salubri huic consilio morem gerens, susceptum opus pro mearum tenuitate virium meique temporis angustiis sedulo ac libenter explevi. Atque alia hinc ratio, qua Tibi veluti duci et auspici elucubratum opus iure dicandum fuisse duxerim.

Excipe igitur, Eminentissime Princeps, pro Tua qua apud omnes commendaris humanitate, hoc meum, qualecumque sit, de sacro coniugii foedere canonicarum notionum et disceptationum opusculum: levidense quidem munus, sed gratae in Te meae observantiae sincerum perpetuumque monumentum.

Interim Eminentiae Tuae sacram purpuram humillime deosculor, et enixas ad Deum preces effundo, ut Te ad Ecclesiae bonum diutissime sospitet.

PARS PRIMA.

NOTIONES PRAECIPUAE DE IMPEDIMENTIS, QUAE MATRIMONIUM DIRIMUNT.

1. Ad acta iudicialia in causis de matrimonii praesertim valore, vel de rato et non consummato coniugio ad iuris tramites rite concinnanda et conficienda, tum etiam ad plurimas eiusmodi dirimendas quaestiones, haud inutile opus fore duxi praecipuas colligere notiones seu rudimenta iuris tam naturalis quam positivi de singulis in specie impedimentis matrimonium dirimentibus; - atque insuper de iudiciali processu et sententia.

His autem notionibus enucleandis, et in matrimonialibus causis facilius adhibendis, maxime conferre censui quasdam adiicere disceptationes earum de matrimonii valore causarum, quas expendere et agere pro veritate demandatum mihi fuit officium, quaeque et cuiusmodi apud ecclesiasticas Curias sacrasque romanas Congregationes passim ac potissimum promoveri solent in dies.

...nidis denique loco praecipuas apostolicae Sedis ... et quasdam constitutiones, quae matrimonii ...canonicam agendarum huiusmodi causarum ... methodum attingunt in appendice referam.

... autem notiones, disceptationes ac documenta hic in unum collecta, velut enchiridion in promptu habebunt tum latini tum orientalis catholici ritus sacerdotes et ecclesiasticae Curiae. Haec enim omnia nedum ex ipso naturali iure et ex canonibus romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris et magistrae, sed etiam ab aliquibus ex provincialibus Synodis a sacrorum Antistitibus orien-

talium rituum celebratis et ab apostolica Sede solemniter approbatis, nec non ab auctoribus, qui de ecclesiastico iure moribusque orientalibus disceptarunt, excerpta ac deprompta sunt.

2. Impedimenta porro quae naturali, divino et ecclesiastico iure post Concilii Tridentini statuta matrimonium dirimunt, plura numerantur, et tritis illis versiculis comprehendi inordinate consuevit, quorum initium: « *Error, conditio, votum, cognatio, crimen* ». Ut igitur ordini et claritati consulatur, ac praecipua eorundem eluceat impedimentorum ratio, ea ad quatuor capita, iuxta recensionem a quibusdam de canonico iure scriptoribus traditam, revocasse opportunum visum est.

Alia itaque impedimenta matrimonium dirimunt

1°. ex defectu consensus; alia

2°. ex defectu naturae; alia

3°. ex reverentia quadam inter propinquos optimo iure servanda; alia denique

4°. Ex ipsius sacramenti religionisque sanctitate, quam colere et vereri opus est.

Hoc autem ordine distributa impedimenta hisce aliis satius continentur versiculis:

« 1°. Personae ac status error, mens simulata, fu-
« rensque,
« Vis, raptusque; 2°. impubertas et debile corpus;
« 3°. Stirps cognata vel affinis, sponsalis honestas;
« 4°. Dispar cultus et ordo sacer, professio claustri,
« Stans foedus, vel clandestinum et crimina bina
« Impediunt semper, dirimuntque iugalia vincla ».

CAPUT I.

De impedimentis matrimonium dirimentibus ex defectu consensus.

ARTICULUS I.

De impedimento ab errore.

1. Ex defectu consensus matrimonium dirimit *Error*, non quidem iuris, sed *facti;* non accidentalis, sed *substantialis*. Scilicet naturali etiam iure matrimonium irritat error, quum persona, cum qua quis coniugium contrahit, alia est quam ipse putat. Excepto enim casu, quo quis contrahere velit cum persona, cui fidem dat quaecumque demum ea sit, praedictus error consensum impedit in substantiam contractus, videlicet in personam cum qua contrahitur [1].

2. Si autem error in ius cadat, vel in personae qualitatem seu accidentia, matrimonium non dirimit. Adest enim absolutus consensus in personam cum qua contrahitur, in obiectum nempe directum ac substantiale huius contractus. Hinc initi matrimonii stat valor, quamvis pravum quis habeat iuris errorem quoad matrimonii substantiam, ut si quis a catholica aberrans doctrina, censeat, coniugium ob alterutrius coniugis adulterium posse quoad vinculum dissolvi, ut Graeci schismatici, Calvinistae aliique haeretici sentiunt [2].

3. Stat itidem in suo robore matrimonii valor si quis quoad factum quidem errat, at non quoad substantiam, sed quoad personae qualitates, ut si vir mulierem ducat uxo-

[1] *Causa 29. quaest. 1;* et cap. *tua nos 26. de sponsalibus et matrimonio.*

[2] Cfr. Benedict. XIV *de Synodo lib. 13. cap. 22. § 4;* ubi citat Schmalzgrueber ad tit. Decretal. *de conditionibus appositis in desponsat. § 5. n. 129.*

rem, quam divitem putabat vel nobilem aut virginem, quamque pauperem, plebeiam ac defloratam inveniat [1]. Excipe tamen si error qualitatis transeat aliquando in errorem personae, quum nempe qualitas in qua erratur certam aliquam determinat personam, distinctam ab ea quae praesens est et a quavis alia, ut si intendas contrahere cum primogenita, quam aliter non novisti, et eius loco alia soror ducenda tradatur. Tunc enim error impedit consensum in substantiale subiectum per illam qualitatem determinatum [2].

4. Verum tam si iuris error matrimonii substantiae repugnans, quam si accidentalis quaedam qualitas, quam quis per errorem putat extare, sed revera non extat, deducatur in pactum seu conditionem, ut aiunt, *sine qua non*, matrimonium ex defectu consensus erit invalidum [3]. Consensus enim conditionatus deficit, deficiente conditione, cui alligatur. Advertendum tamen est, consensum in foro externo censeri absolutum nisi conditio exterius exprimatur.

5. Ceterum in diiudicando coniugii valore ex adiectis conditionibus, prae oculis habenda est celebris decretalis Gregorii IX [4], qua declaratur: « Si conditiones *contra substantiam coniugii* inserantur, puta si alter dicat alteri: « Contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec « inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si « pro quaestu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet « aliae conditiones appositae in matrimonio, si *turpes* aut « *impossibiles* fuerint, debeant, propter eius favorem, pro « non adiectis haberi ».

[1] Sanchez *de matrimonio lib. 7. disp. 18. n. 18.*

[2] Vide Synodum provinc. Maronitarum an. 1736 in Monte Libano celebratam et ab Apostolica Sede approbatam, *part. 2. cap. 11.* § *8. n. 1.* — Sed cfr. etiam Sanchez *lib. 7. disp. 18. n. 25 et seqq.* quorum summam dat *n. 38.*

[3] Benedict. XIV *ibid.* § *5 et seqq.* — Leurenius *Forum Eccl.*, seu I. C. U., *lib. 4. tit. 3. quaest. 125. n. 3.*

[4] Cap. *si conditiones 7, de conditionibus appositis.*

Hac itaque decretali duo Pontifex distinguit genera conditionum: primum videlicet earum quae sunt *contra substantiam matrimonii;* alterum vero illarum quae aut *turpes* sunt aut *impossibiles*, idest quae executioni mandari nequeunt. - Declarat autem Papa, nullum et irritum reddi matrimonium per conditiones contrarias matrimonii substantiae in eiusdem contractu appositas; - si vero in matrimonio contrahendo appositae solum fuerint secundi generis conditiones, idest turpes aut impossibiles, illicitum quidem fieri matrimonium sed validum, et conditiones haberi pro non appositis [1].

6. Alius etiam *Error* cadens in personae *libertatem* seu in *servilem conditionem* compartis dirimit matrimonium. Non quidem videlicet cum uterque contrahens proprie dictae servituti addictus sit: tunc enim cum eiusdem sint conditionis servilis, matrimonium inter se valide contrahunt [2]; - sed cum vir liber certo putat, se contrahere cum libera et ingenua, quae tamen non sit eiusmodi, at contra sub domini potestate actu ita constituta, ut non modo eiusdem iurisdictioni tanquam subdita, aut eius oeconomico regimini tanquam famula vel serva glebae subiiciatur, sed tamquam mancipium seu serva vel servus stricte sumpti: adeo ut patronus in eiusmodi mancipia seu servos plenam exerere valeat potestatem, et per consequens eos tanquam rem suam vendere, aliis locare, quo voluerit transmittere, et quibuslibet licitis operibus addicere. Idem dicendum de muliere libera respectu servi, quem liberum et ingenuum putabat.

[1] Benedict. XIV *ibid.* § *6,* et rationem addit §§ *7-8.*

Sed plura vide apud Leurenium *lib. 4. tit. 5. de conditionibus appositis in desponsat. aliisque contract.* a quaest. 172 ad quaest. 177 inclusive. Fuse enim et perspicue disserit et inquirit, an et qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione honesta de praeterito, praesente et futuro; — sub conditione impossibili; — sub conditione turpi; — post tempus; — ex causa seu demonstratione; — sub modo.

[2] Cap. *dignum 1, de coniugio servorum.*

7. Huiusmodi impedimentum, quod ab erroris qualitate dicitur *conditionis*, quamvis romano iure inductum, et iuxta quosdam iure naturae vel gentium [1], nuptiale tamen dirimit christianorum foedus quia ecclesiastico iure sancitum [2]. Ea tamen dirimit lege, ut coniux liber, postquam alterius *servilem conditionem* rescivit, nec facto nec verbo in matrimonium cum eiusmodi servo vel serva consenserit. Si enim liber conditionem ancillae ante nuptias cognoverit, vel eiusdem servitute post nuptias cognita in matrimonium tamen consenserit, et viceversa, valet initum inter eos coniugium [3]. – Haec eadem ingeminat Synodus libanensis quoad utrumque errorem *personae* et *conditionis* [4].

ARTICULUS II.

De impedimento a simulatione.

1. Matrimonium dirimit *simulatio*, quae habetur cum quis verbis quidem vel aliis externis signis fingit se contrahere, at animo omnino dissentit, scilicet intendit non contrahere. Tunc enim deficiente consensu, deficit et substantia contractus [5].

Advertendum tamen est, non idem semper ferendum esse iudicium in *foro externo*, aeque ac in *interno* seu conscientiae. In foro enim externo matrimonium eius, qui ficte se contraxisse asserat, validum omnino censetur quamdiu simulatio luculentissimis non demonstretur argumentis [6]. – In foro autem conscientiae huiusmodi matrimonium

[1] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 3. quaest. 128.*

[2] Cap. *proposuit 2*, cap. *ad nostram 4 et ult.*, *de coniugio servorum.*

[3] Cit. *capp. 2 et 4, de coniug. serv.*

[4] Synodus Libanen. *l. cit.* § *8. nn. 1–2.*

[5] Cfr. cap. *tua nos 26,* § *nos autem, de sponsalibus et matrimonio.*

[6] Ex cit. *cap. 26, de sponsal. et matrim.*

ut irritum habendum esset; – et se ficte consensisse asserenti ea forent prudenter praescribenda quae a theologis accurate notantur.

2. Ad amovendam igitur simulationem in foro saltem externo, consensus vel verbis vel aliis externis sensibilibus signis, ut innui, est exprimendus. Et apud Latinos notissima est formula in Romano Rituali praescripta ad exprimendum consensum.

3. Verum in *Ecclesia Orientali* varia est in sponsalibus et matrimonio celebrandis ritualis disciplina. Iuxta morem Graecorum, vir et mulier, qui sive sponsalia sive matrimonium contrahere volunt, a parocho seu sacerdote interrogantur de eorum libero in matrimonium contrahendum consensu. Qua voluntate sacerdoti patefacta ad sponsalia vel etiam matrimonium coronatione celebrandum iugandi pergunt.

4. *Ecclesiastica* porro sponsalia, quae apud Orientales cuiusque ritus in honore sunt, scripto, Ecclesiae benedictione, annuli arrha, osculoque adhibitis, poenaque a resilientibus subeunda indicata, hoc ritu celebrant [1]. Post Missam sacerdos viri et mulieris ter capita signat, illisque cereos tradit accensos, variisque recitatis precibus in Euchologio seu Rituali praescriptis [2], idem sacerdos acceptis annulis, aureum viro primum tradit, tum argenteum mulieri. Ac viro dicit: « Subarrhatur servus Dei N. propter ancil-
« lam Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:
« nunc et semper et in secula seculorum amen ». – Deinde dicit mulieri: « Subarrhatur ancilla Dei N. propter servum

[1] Vide Antoine: *Theologia moralis* cum adnotationibus p. Philippi de Carboneano, *tom. 2º. tract. de matrimonio, appendix 2, pagg. 357-358* edit. Romae 1783, ubi fere omnia ex Euchologio exscribuntur.

Quaedam pro graecis innuit et Papp-Szilàgyi in Op. inscripto: *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae, part. 2. §§ 88 et 90,* ubi de ministro, materia et forma sacramenti matrimonii, ac de sponsalibus agit.

[2] Vide *Rituale Graecorum* illustratum opera P. Iacobi Goar, *pag. 310 et seqq.* edit. Venet. fol. an. 1730.

« Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: nunc « et semper »[1]. – Haec autem verba ter ad unumquemque repetit, crucem super eorum capita facit annulis, quos dextris eorum digitis inserit, et viro quidem ut digniori aureum, feminae tradit argenteum; assistens vero paranymphus, amoris et concordiae inter sponsos conciliator, eos commutat, et sponsae aureum, sponso argenteum tradit[2]: quem ritum varie scriptores explicant[3]. His autem nuptiarum absolvitur subarrhatio, ac sponsi dimittuntur.

Notandum tamen quod hodiernis Orientalium moribus ecclesiastica de futuro sponsalia fere ubique gentium haud eiusmodi aliave simili celebrantur solemnitate. In omnium quidem populorum Orientalium ritualibus libris, ut solemnis praescribitur ritus benedicendi matrimonium, ita et ritus habetur solemnis benedicendi sponsalia de futuro. Verum apud omnes fere populos Orientales simplicior invaluit ab aevo mos celebrandi sponsalia, per annuli scilicet traditionem coram parocho, qui breves aliquas preces recitare solet super sponsos, ut eorum sponsalia et sua praesentia et precibus ecclesiastica dicantur et sint, et in maiori habeantur honore. Talia modo fiunt et appellantur publica et ecclesiastica sponsalia apud Orientales, quamvis haud solemniori celebrata ritu.

5. Iam vero iuxta Euchologium si sponsi, post inita solemni ritu sponsalia, velint eodem tempore, ut plerumque fit, coronari, quo matrimonium contrahunt, ingrediuntur templum cum cereis accensis, praecedente cum thuribulo sacerdote, qui variis recitatis precibus, quibus Deum rogat, ut nuptiis sponsisque benedicat, orationem profert, quam Goarius ex graeco ita fideliter vertit: « Deus sancte, qui e « pulvere hominem formasti, et ex eius costa mulierem « aedificasti, copulans eam illi, ut adiutorium simile ipsi, « quia sic magnitudini tuae placuit non esse hominem so-

[1] Apud Goar. *loc. cit. pag. 311.*

[2] Vide Euchologii rubricas — Goar. *loc. cit. pag. 311.*

[3] Cfr. Antoine *cit. append. De orientalis Ecclesiae circa matrimonium disciplina, pag. 357.*

« lum super terram: ipse nunc Domine emitte manum tuam « de sancto habitaculo tuo, et consocia servum tuum N. et « ancillam tuam N. quia a te viro coaptatur mulier. Copula « illos unanimi consensu; corona illos in carnem unam, « tribue illis fructum ventris, prolis fruitionem. Quia tua est « potentia etc. » [1].

Post hanc orationem sacerdos, acceptis coronis, primo coronat sponsum dicens: « Coronatur servus Dei N. pro« pter ancillam Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiri« tus sancti ». - Deinde coronat sponsam dicens: « Co« ronatur ancilla Dei N. propter servum Dei N. in nomine « Patris et Filii et Spiritus sancti ». – Tum benedicit eis ter dicens: « Domine Deus noster gloria et honore corona illos » [2].

6. Verbis illis *coronatur* etc. sacerdotis ore prolatis « matrimonio rato, ut scribit Goarius, et a coniugibus legitime contracto.... testimonium reddit Ecclesia; ac idcirco sensus illorum solerter est attendendus. Non enim huiusmodi est, ut prima facie potest videri: Coronat servus Dei N. ancillam Dei N. in nomine etc. Qui namque coronaret coronis ipse subiectus? sed potius: Coronatur servus Dei N. propter ancillam Dei N., idest coronas nuptiales subit in signum foederis coniugalis cum ancilla Dei N. contracti; - vel certe: Coronatur servus Dei N. in ancillam Dei N. pariter coronatam uxorem, legitimo matrimonio, his coronis designato, accipiendam. - Coronandos namque se mutuo sponsi exhibentes, matrimonium contrahere profitentur, atque hic ex consensu et affectu in alterum se coronari permittit » [3]. Hoc igitur *sensibili solemnique signo* sponsi ritus orientalis mutuum de praesenti consensum in matrimonium praestant, non autem *explicitis verbis*, ut apud latini ritus fideles mos est: qui item si aliquando solis si-

[1] Vide apud Goar. longum *Officium coronationis nuptiarum* a *pag. 314* ad *pag. 320*, et hic exscriptam orationem *pag. 317*.

[2] Apud Goar. *l. c. pagg. 317–318*.

[3] Goar. loc. cit. *In Officium coronationis notae, pag. 324, n. 6*.

gnis non verbis consensum exprimant, eorum valet matrimonium, ut infra notabitur [1].

7. Itaque coronatione, ut supra, peracta, aliisque recitatis precibus, sacerdos commune poculum benedicit, ac ter coniugibus praebet. Bona denique utrisque ominatur, et coronas detrahit [2].

8. Hanc autem nuptiarum benedictionem etiam Syri Iacobitae et Nestoriani et Cophti *coronationem* appellant: quod et antiquam esse probat eiusmodi caerimoniam et Orientalibus omnibus communem.

9. Porro iuxta ipsos Orientalium ritus, Thessalonicensis *formam* huius sacramenti in consensu per verbum *volo* expressum agnoscit. Sic Armeni sponsi a parocho seu sacerdote de consensu in matrimonium, more latinorum, rogati, nedum in sponsalibus de futuro explicitum consensum emittunt, sed et in ipsa nuptiali benedictione seu coronatione *explicito verbis consensu* de praesenti matrimonium celebrant. – Goarius autem, ut vidimus, in eodem consensu huius sacramenti *formam* reponit, sed significato per actum illum *sensibilem,* quo sponsi sese coronandos exhibent. – Atque ita Thessalonicensis et Goarius, vel etiam iuxta Orientalium disciplinam, ipsos contrahentes huius sacramenti *ministros* esse declarant, non autem sacerdotem, qui ritualis coronationis peragit caerimoniam [3].

ARTICULUS III.

De impedimento ex furore et amentia.

1. Matrimonium dirimit *furor* et *amentia.* Cum enim qui amentia vel furore actu laborant, usu rationis careant, consensum ad matrimonium valide ineundum praestare quidem nequeunt.

2. Dixi: qui *actu* laborant eiusmodi morbo: eo scilicet momento quo coniugale foedus inire *materialiter* quidem

[1] In *disceptatione 1. quaest. 1.*

[2] Vide Goar. *loc. cit. pag. 319.*

[3] Cfr. Antoine in *cit. appendice, pag. 358.*

gestiunt, sed non *formaliter* celebrant. Contra namque valet coniugium, quod in lucidis intervallis initum fuisse constiterit [1].

Fieri autem posse, ut sanae mentis persona contrahat bona fide cum altera mente capta, ita explicat Glossa [2], animadvertens, quod «saepe furiosi (adde et amentes) sunt constituti in conspectu umbratae quietis; nec tamen sunt sanae mentis, licet videantur; et si ista mulier *(de qua in cit. cap.)* cum tali contraxit, non tenet matrimonium ».

Itaque mente captus, qui rationis usu omnino destitutus sit, aequiparatur furioso; est enim, ait Sanchez « genus ad patientem saevam et quietam mentis alienationem » ideoque, quandiu hoc morbo afficitur, matrimonium haud valide contrahit. - At vero si qui mente captus dicitur non caret omnino intellectu, et potius sit caudex, vel stolidus, hebes, crassa minerva, is et sponsalia et matrimonium inire potest, quia deliberationem sufficientem habet ad delinquendum lethaliter [3].

3. Quid autem dicendum de matrimonio *muti simul et surdi a nativitate?* - Cum eiusmodi homines destituti sint illis sensibus, quibus naturam et vim contractus matrimonii edoceri valeant, ut importat ius in alterius corpus, videntur non posse matrimonium contrahere. - At verius existimat Sanchez posse mutum simul et surdum, si intellectum perspicacem habeat, ita ut signis edoceri possit quid sit matrimonium, et signis indicare consensum, valide contrahere sponsalia et matrimonium. Quam sententiam probat *primo* ex cap. *Cum apud 23 de spons. et matrim.* ubi dicitur: *Consuluisti nos, an mutus et surdus possit alicui matrimonialiter copulari:* respondit Pontifex: *Videtur si talis velit contrahere, non debet sibi denegari.* - *Secundo,* quia aliqui muti ita sunt perspicacis et acuti ingenii, ut multa explicatu difficillima, facile signis manifestent, aliaque ipsis significata intelligant, ut experientia ipsa te-

[1] Cap. *dilectus 24, de sponsalibus et matrimonio.*

[2] In cit. *cap. 24.*

[3] Cfr. Sanchez: *de matrim. lib. 1. disp. 8. nn. 15–16.*

statur. – *Tertio* tandem, quia hi (surdi simul et muti) secundum omnes possunt confiteri et absolvi; ergo et contrahere matrimonium [1].

4. Quid iuris autem si contrahens matrimonium sit simul *mutus, surdus et caecus* a nativitate? – Idem Sanchez tenet, hunc non posse matrimonium inire, quamvis non a natura, sed casu et mutus et surdus et caecus evaserit, nisi antequam in haec incideret nosset quid esset matrimonium. Et idem dicendum de eo qui surdus simul et caecus a nativitate sit; neque enim potest aut verba audire cum sit surdus, aut alia signa percipere cum sit caecus, atque adeo, quid sit matrimonium edoceri non potest, nisi forte nova quadam arte erudiri et doceri queat [2].

ARTICULUS IV.

De impedimento ex vi seu metu.

1. Valore caret matrimonium, quod *vi* adhibita, illatoque *gravi metu* fuerit contractum. Cum enim vis sit, iuxta leges, *maioris rei impetus qui repelli non potest* [3], sequitur, ut qui ex vi agit, invitus agat et non libere, seque tanquam instrumentum habeat, ideoque in actionem nullo pacto consentiat.

2. *Metus* autem a iure definitur, *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* [4]. Gravis dicitur metus qui *cadit in constantem virum,* eiusmodi nempe, ut hominem ceteroquin virtute praeditum propositique tenacem valeat notabiliter commovere, ut cum continet mortis periculum, corporis cruciatum.

Porro metus quantumvis gravis libertatem non tollit, nisi quandoque rationis auferat exercitium. Hinc est, ut

[1] Sanchez *loc. cit. n. 12.*

[2] Cfr. Sanchez *loc. cit. n. 13.*

[3] *Leg. 2. D.* (de eo) *quod metus causa gestum erit* (Digestor. *lib. 4. tit. 2*).

[4] *Leg. 1. D. eod.*

generatim contractus per metum initi rescindendi potius sint, quam invalidi habendi [1].

At vero cum sacrum coniugii foedus semel initum amplius dissolvi nequeat, iure cautum est, ut irritum vel ipso ab initio sit, si metu illato compulsus verba quis protulit consensus, licet animo dissentiret, deficiente ob metum incussum plena libertate consensus [2].

3. Ut autem matrimonium ob metum sit irritum, requiritur:

Primo, ut metus sit *gravis* [3]. Est autem iudicis officium expendere, gravis ne sit an potius *levis* et inanis, perpensis adiunctis [4];

Secundo, ut *iniuste* illatus sit, quia si quem iudex metu poenarum cogat ducere uxorem puellam, cui stuprum intulit, iustus hic metus est a legis imperio procedens, seu potius ab ipso metum patiente, qui eidem causam dedit, ideoque ex hoc initum coniugale foedus plane consistit [5];

Tertio, ut sit *ab extrinseco* illatus, quem nempe non ipse contrahens sibimet incusserit;

Quarto, ut sit incussus *directe* ad extorquendum in matrimonium consensum. Aliter enim huic contractui haud vis infertur. Hinc si quis metu inferni, incontinentiae, paupertatis aliquam ducit, eius matrimonium validum quidem est.

4. Eiusmodi autem impedimentum *iure* quidem *positivo* Ecclesiae matrimonium dirimit, ut patet; sed probabilius *iure* etiam *naturali* irritum facit [6].

[1] *Leg. 21. D. eod.*

[2] Cap. *veniens 13.* et cap. *consultationi 28, de sponsalibus et matrimonio.*

[3] Ex *cit. cap. 28.*

[4] Cfr. Fagnanum in cap. *consultationi, de sponsalibus, n. 12.*

[5] Cap. *si seduxeritis.* et cap. *pervenit 2, de adulteriis et stupro;* — cap. *ex litteris 10, de sponsal. et matrimonio.*

[6] Cfr. Van-Espen: *I. E. U. part. 2. tit. 13. cap. 9. n. 10,* ubi pluribus probat — « merito hoc impedimentum non soli *iuri positivo*, sed *naturali* adscribendum esse ».

5. Verum utrolibet iure dirimi dicas matrimonium gravi ex metu initum, illud pro certo habendum, hoc impedimentum dispensationem haud admittere. *Cum* enim ut loquitur Alexander III [1] *locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur.* - Hinc est, ut saepe novo liberoque consensu convalescat matrimonium, quod irritum metus seu vis fecerat [2]. Sic pro consensus ratificatione accipi debet, in foro saltem externo, si pars quae vim aut metum passa est, sciensque irritum fuisse coniugium, alteram partem, cum qua ex vi vel metu contraxerat matrimonium, libere prorsus ac maritali prosequatur amore, et cum ea sponte domum ac torum habeat communem [3]. - Hinc quaedam sedulo animadvertenda sunt quo ad *personas* quae iure possunt accusare matrimonium cum agitur de impedimento gravis *metus* illati. Quamvis enim in hoc et in casu *erroris,* solis coniugibus competat ius accusandi de nullitate matrimonium, aliquando tamen fieri potest, ut ipsi coniuges hoc ius amittant, cum nempe iuri suo renunciaverint, novoque consensu matrimonium et validum et ratum reddiderint. — Sed de hoc agendum erit infra *cap. VI, art. 2, n. 4, 6.* Ita vero novo elicito ad matrimonium consensu, servatisque de iure servandis [4], si *occultum* impedimentum extitit, necesse non erit rursus coram parocho consensum renovare ex communi doctrina, quam Benedictus XIV pluribus confirmat [5], sed sat erit si clam inter contrahentes iterum eliciatur. - Secus si *publicum* evasit impedimentum.

[1] Cap. *cum locum 14. de sponsalibus et matrimonio.*

[2] Cap. *ad id 21. eod. tit.* — Vide Fagnanum in cap. *is qui 30, de sponsalibus, n. 44,* ubi habes ea de re editam a S. Pio V declarationem.

[3] Cit. cap. *ad id 21. de sponsal. et matrimonio.*

[4] Cfr. Benedicti XIV *Instit. 87. n. 59 et seqq.*

[5] Cit. *Inst. 87. nn. 62-63.* ubi distinguens *occulta a publicis* impedimentis, scribit: « Si matrimonium publice initum est coram « parocho et duobus testibus, et impedimentum quoque *publice* inno- « tuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus

6. Ceterum «cum maxime nefarium sit matrimonii li« bertatem violare, et ab eis iniurias nasci quibus iura ex« pectantur, praecipit sancta Synodus (tridentina) omnibus « cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, « sub anathematis poena quam ipso facto incurrant, ne « quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quos« cumque alios cogant, quominus libere matrimonia con« trahant »[1]. – Ex quo decreto quaedam scitu necessaria animadvertunt Sanchez[2], Leurenius[3] aliique.

ARTICULUS V.

De impedimento raptus.

1. Cum impedimento vis et metus congruit impedimentum raptus.

Brevitatis gratia mitto quid veniat nomine raptus mulierum *in genere,* quidve tum civili tum canonico antiquo iure statutum fuerit quoad *poenas* a raptoribus incurrendas et in ordine ad matrimonium ineundum: de quibus vide sis Auctores fuse de hisce pertractantes argumentis[4]. Dicendum hic est de impedimento raptus inspecto tantum novissimo Tridentini iure.

2. Nomine itaque *raptus,* quatenus matrimonium dirimit, intelligi debet violenta mulieris cuiusque abductio de loco tuto in alium, ubi sub raptoris detineatur potestate,

« iterum coram parocho et duobus testibus praebeatur. Contra vero « est si matrimonium celebratum fuit coram parocho et duobus testi« bus, et impedimentum dirimens *occultum* servatur. Tunc novus « consensus certe praestandus est, sed *clam* inter contrahentes, nec « amplius parochus duoque testes requiruntur. Haec ita decrevit poe« nitentiaria S. Pii auctoritate etc. »

[1] Trident. *sess. 24. cap. 9. de reformat. matrimonii.*

[2] Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 22. nn. 8–9.*

[3] Leurenius *Forum ecclesiast. lib. 4. tit. 1. quaest. 97.*

[4] Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 12;* — Pirhing *lib. 5 decret. tit. 17;* — Leurenius *Op. cit.* seu I. C. U. *lib. 4. tit. 2. quaest. 119 et seqq.;* — Schmalzgrueber *lib. 5. tit. 17,* aliosque.

matrimonii ineundi causa. - Et raptus habetur ut talis sive raptor per se sive per alios eiusmodi facinus committat; sive penes se, sive penes alios raptam personam in sua retineat potestate. - Nihil autem refert sive mulier e loco tuto per vim abstrahatur, sive dolo aliquo circumducta in potestatem molientis rapinam inscia deveniat; itemque sive e propriis aedibus aliove tuto loco abstrahatur, an vero per fraudes ex iis abducta, circumveniatur ac praepediatur deinde ne ad tutum locum libere reverti valeat [1], quum in his aeque adsit violentia quae requiritur ad raptus crimen constituendum.

3. Iam vero nullum inter raptorem et raptam consistere matrimonium potest, quamdiu haec in raptoris manserit potestate. Constat ex Concilio Tridentino [2], quod alias inter poenas contra raptores aliosque statutas, eiusmodi etiam sanxit *inhabilitatem* contrahendi cum rapta matrimonium, ut sarta tectaque foret matrimonii ineundi libertas, neve ulla crimine raptus huic libertati irrogaretur iniuria.

4. Unde patet, cur impedimentum raptus ex novissimo Tridentini iure, non quidem perpetuum sit, sed ad tempus perduret, donec scilicet mulier suae restituatur libertati, eidemque illata violentia cesset.

[1] Cfr. declarationem S. Congregationis Concilii 25 iunii 1864, confirmatam die 27 augusti e. a., apud Ephemeridem inscriptam: *Acta Sanctae Sedis in compendium redacta,* vol. 1. *a pag. 15 ad p. 24.*

[2] *Sess. 24. c. 6. de reformat. matrim.* — ibi — « Decernit « sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in pote« state raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod « si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, « illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; « et nihilominus raptor ipse et omnes illi consilium, auxilium et favo« rem praebentes sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames, « omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio « gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam sive « eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis « dotare ». — De hoc synodali decreto poenisque inflictis fuse loquuntur citati auctores, Sanchez *lib. 7. disp. 13;* Pirhing *lib. 5. tit. 17. sect. 1.* § *IV;* — Leurenius *lib. 4. tit. 2. quaest. 122.* et ceteri.

5. Ex his autem colligenda ac notanda potissimum sunt quae sequuntur.

Primo: Incurritur raptus impedimentum, quamvis mulier sit corrupta, inhonesta, meretrix. Ratio patet ex textu ac fine decreti [1].

Secundo: Matrimonium valore caret quamvis rapta mulier in coniugium libere revera consentiat, quum sacra Synodus exigat nedum liberum raptae consensum in coniugale foedus, sed etiam ut plene libera sit a potestate raptoris ac separata [2]. Et in hoc correctum est ius antiquum, vi cuius valebat matrimonium initum si rapta sub potestate raptoris constituta libere consensisset [3].

Tertio: Non est invalidum matrimonium celebratum cum ea, quam quis vel invitam abduxit, non quidem animo contrahendi cum ea sacrum coniugii foedus, sed alia ex causa, uti libidinis explendae gratia, et dum femina, adhuc sub raptoris potestate constituta, libere in matrimonium consentit [4]. Relatum enim Concilii decretum poenale est et correctorium iuris communis, ac matrimonii libertati favere intendit; ideoque irritum quidem reddit matrimonium ex raptu attentatum, at non extenditur ad raptorem ex causa libidinis. - Ex dictis tamen statuendum videtur, sufficere ad hoc impedimentum, quod mulier causa libidinis tantum rapta, dein a raptore vi detineatur matrimonii cum ea contrahendi causa. Illa enim detentio ex hoc fine, in quantum constituit violentiam et abductionem, raptus crimen est ex causa matrimonii [5].

6. *Quarto:* inquirendum an incurratur impedimentum raptus dum femina in sui abductionem consentit.

Ad recensendas in hac salebris plena quaestione iuris-

[1] Sanchez *l. c. n. 14.* aliique contra Beckman.

[2] Sanchez *l. c. n. 7;* — Pirhing. *l. c. n. 19.* cum communi.

[3] Barbosa ad cap. *accedens, de raptor. n. 4.*

[4] Ita probabilius Sanchez *disp. 13. nn. 2-4;* — Pirhing *l. c. n. 22;* Corrad. in *praxi dispens. apostol. lib. 7. c. 6,* aliique cit. a Leurenio *lib. 4. tit. 2. quaest. 122. n. 5.* contra alios.

[5] De Iustis *de dispens. matrim. lib. 4. c. 6.;* et ex eo Krimer et Leurenius *l. c.*

peritorum sententias, duo distingui debent casus abductionis mulieris in sui raptum consentientis. Vel enim *primo* tractatus de nuptiis cum raptore praecessit, ac mulier in sui abductionem consentit, ut iniri queat coniugium, quod secus a parentibus, tutoribus vel aliis impediebatur: et tunc nullum oritur impedimentum, cum potius *fuga cum viro* dici debeat ad matrimonium libere contrahendum, quam raptus: et si raptum dicere velis, iure communi, ait Sanchez, raptus hic a poenis liberatur, et ideo etiam ab inhabilitate contrahendi nuptias cum rapta, ex capite penultimo de raptoribus, quod Tridentinum non corrigit, ut patet ex contextu [1]. - Vel *secundo* nullus de nuptiis contractus praecesserat: et hoc in casu [2] *alii* tenent, non incurri impedimentum raptus, tam si mulier precibus importunis, vel etiam donis et pecunia inducta sit, ut consentiat sui abductioni (nisi forte preces illae ob adiunctas minas vel metum reverentialem acquiparentur violentiae), quam si etiam dolo falsisque promissis consentiens abducatur, cum *absit violentia*, adeoque non sit proprie raptus inhabilitati a Tridentino statutae obnoxius [3]. *Alii* autem contrarium sentientes docent, mulieris consensum in sui abductionem cum nullus praeiverit de matrimonio ineundo contractus, extortum per dolum praesumi; cumque ex consensu in raptum inferri nequeat consensus in matrimonium, raptum mulieris utcumque volentis decreto Concilii includi [4]. Rationem autem potissimam, propter

[1] Sanchez *disp. 13. n. 15;* — Pirhing *l. c. n. 28;* — Lurenius *l. c. n. 11.*

[2] In quo comprehenditur et solvitur quaestio de *raptu seductionis*, ut eum appellant, seu cum mulier blanditiis, muneribus etc., ad raptorem sequendum inducitur.

[3] Sanchez *l. c. n. 11;* — Pirhing *l. c. n. 26;* — Gutt. *de matr. c. 86. nn. 14-15* citati a Leurenio *l. c. n. 10.*

[4] Cfr. Rigantii *Commentaria in Regul. Const. et Ordinat. Cancell. Apost. — Regul. 49. n. 71 et seqq.* ubi pluribus hanc firmat distinctionem, scilicet non incurri raptus impedimentum muliere consentiente, si praecesserit de matrimonio ineundo tractatus; incurri si non praecesserit.

quam huius secundae sententiae patroni tenent, consensum puellae in raptum, indolem raptus non destruere, ex eo repetunt quod eiusmodi consensus ab insidiis nequissimi hominis rapinam meditantis inducitur, et ideo *violentia* moralis ipsi mulieri infertur, quamvis videatur consentire.

7. Haec autem sententia luculenter confirmatur pluribus sacrae Congregationis Concilii declarationibus, quas, ad hanc magni quidem in praxi momenti fusius enucleandam quaestionem, collegit et illustravit auctor ephemeridum romanarum, quibus acta sanctae Sedis in lucem eduntur [1]. Quam eruditam disceptationem claritatis et opportunitatis gratia in fine huius opusculi exscribam. - Interim cum eodem auctore concludo, resolutionem (quoties mulier raptui consensisse videatur) ex perspectis adiunctis desumendam esse. « Si enim mulier ideo in abductionem consentiat, ut liberius matrimonium contrahat, et hoc abductionis medio utatur ad obstacula removenda, non videtur raptus sed mera fuga, quamvis aliqua iniuria parentibus dissentientibus irrogetur. - At si vir recta via non possit mulieris consensum in matrimonium obtinere et inde rapinam sive furtum puellae meditatus, incipiat inexpertam circumvenire insidiis, sollicitationibus dolosis etc., ut hisce artibus... aliquam versatilis puellae complacentiam extorqueat, qua obtenta in spretum parentum eam rapiat, nemo non videt, virum quidem intendere puellam in matrimonium cogere, puellam autem insidiis viri ex circumventione quodammodo adhaerere, quin ipsa serio advertat, se ad coniugium ineundum adigi, quod sponte et contra parentum voluntatem nunquam forsan fuisset initura » [2].

[1] Cfr. *Acta Sanctae Sedis, vol. I. pag. 54 et seqq.*
[2] *Acta cit., pag. 63.*

CAPUT II.

De impedimentis matrimonium dirimentibus ex defectu naturae.

ARTICULUS I.

De impedimento aetatis seu impubertatis.

1. Ad matrimonium valide ac licite contrahendum, iure naturae tantum inspecto, nulla determinata aetas requiritur, sed ea est sufficiens aetas, in qua perfectus adest rationis usus; ea siquidem sufficit, ut contrahens se obligare possit ad copulam media potentia tractu temporis habendam [1]. Unde sequitur, matrimonia impuberum, qui rationis usum habeant, inter infideles, qui Ecclesiae legibus non subduntur, valida esse, nisi speciali apud eos lege interdicantur et irritentur [2].

2. Ad sacrum autem coniugale foedus valide ac licite inter fideles ineundum corporalis requiritur ac spiritualis maturitas, quae in certa solum aetate supponitur, quam Ecclesia determinat [3]. – Aetas porro ecclesiastico iure seu secundum canones, ut et secundum leges, est pubertas completa, nimirum in masculo 14, in femina 12 annorum completorum [4]. – Ruthena Synodus anno 1720 et Synodus Libanensis Maronitarum anno 1736 celebratae eandem statuunt aetatem. – Ratio autem diversa pro feminis et masculis aetatis inde petitur, quod potentia generandi citius

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 104. n. 9.* cum communi.

[2] Sanchez *ibid. n. 10.*

[3] Papp-Szilágyi: *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae, part. 2. sect. 2. c. 2. § 97. pag. 421.* edit. M. Varadini 1862.

[4] Cap. *ubi non est 2,* cap. *puberes 3,* cap. *continebatur 6,* cap. *attestationes 10, de desponsatione impuberum;* — Leg. *minorum 4. ff. de ritu nuptiarum (lib. 22. tit. 2).*

in feminis quam in masculis et incipere et deficere solet, ut notat Gonzalez [1], Reiffenstuel [2], Schmalzgrueber [3].

3. Ante hanc aetatem initae nuptiae irritae sunt, nisi *malitia suppleat aetatem.* Scilicet proximi pubertati, discretione et potentia coeundi pollentes, valide et licite tam in foro externo, quam in foro conscientiae contrahere possunt matrimonium [4]; siquidem in matrimonio contrahendo spectari non debet annorum tempus, sed an contrahentes eius discretionis sint, ut se obligare, generare, concipere possint [5]. Quare per *malitiam* hic intelligi debet tum naturae vigor seu *potentia* coeundi et generandi, tum etiam prudentia, ut in iure vocatur [6], idest *discretio* et iudicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum coniugalem eiusque perpetuum et indissolubile vinculum: quae duo, *discretio* nempe et *potentia,* copulative requiruntur ad valorem matrimonii ante legitimam aetatem contracti [7]. Talibus autem contrahentibus matrimonium incumbit onus probandi, se fuisse tempore contractus illis qualitatibus praeditos, utpote quae ante pubertatem non praesumuntur; alias illorum matrimonium est declarandum nullum [8]. — E contra validum censeri debet matrimonium si quando legitima quidem aetas adsit, seu *legalis* pubertas, at nondum *naturalis* advenit, ut ex dictis patet. Naturalis autem pubertas ex habitu corporis et potentia generandi colligitur [9].

[1] Ad cit. *cap. 3. de desponsat. impub.*

[2] *Eodem. tit. n. 3.*

[3] *Eodem tit. nn. 45–47.*

[4] Ita ex citato cap. *continebatur 6,* et cap. *de illis 9. tit. cit.* DD. docent, ut Sanchez *l. c. n. 21,* Pirhing *lib. 4. tit. 2. de desponsat. impub. n. 35,* aliique passim.

[5] Pirhing *l. c.*

[6] Cap. fin. *tuae nobis 14. de desponsatione impuberum.*

[7] Pirhing *l. c. n. 37,* ubi citat Abb. ad cap. *continebatur, cit. tit. n. 4.*

[8] Leurenius *Forum Ecclesiast.* seu I. C. U. *lib. 4. tit. 2. quaest. 137. n. 2.*

[9] Cfr. Leurenium *l. c. quaest. 140.*

4. Huiusce autem extraordinarii casus iudicium, an scilicet *malitia suppleat aetatem* ad matrimonium praematuram, cumulativo iure cum apostolica Sede ad Episcopum seu Ordinarium dioecesanum spectat. « Neque necesse est, uti docet Benedictus XIV, apostolicam Sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate, et ne de contractus matrimonii huiusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat... Privativum vero apostolicae Sedis ius est concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem matrimonii, quemadmodum *rationis usus* requiritur de *iure naturali et divino*, ita *actualis* ad coniugalem copulam *potentia* requiritur de *iure positivo* canonico. Romanus autem Pontifex est supra ius canonicum; at quilibet Episcopus eo iure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit » [1]. – Romanum autem Pontificem pro bono pacis, aliave iusta de causa cum fidelibus dispensare posse, ac pluries revera dispensasse ut infra pubertatis annos matrimonium contraherent, praeter allatam Benedicti XIV auctoritatem et Nicolai I decretalem [2] confirmant exempla dispensationum huiusmodi, quas S. Pius V, Clemens VIII et Gregorius XV concessere, ut apud Schmalzgrueber [3], qui tamen scite rationem reddit, cur ante pubertatem non sit permittenda cohabitatio. — Immo satis probabilis est illorum sententia qui docent, etiam Episcopum ex *urgentissima causa* dispensare posse cum impuberibus rationis usum ad se obligandum habentibus, ut matrimonium valide et licite con-

[1] Benedictus XIV const. *Magnae nobis,* § *At dicet aliquis.*

Cfr. et Papp-Szilágyi, *loc. cit. pag. 422,* ubi ruthenae et libanensis Synodorum statuta, austriacae legis tenorem, et Apostolicae Sedis instructionem super hoc impedimento refert.

[2] Cap. *ubi non est 2. de desponsat. impuberum.*

[3] *Loc. cit. nn. 50–52.*

trahant [1], maxime si contrahentes sint prope annos pubertatis, et dubium sit an malitia suppleat aetatem [2]. Siquidem, ut animadvertit Barbosa [3], cum in capite secundo de desponsatione impuberum Pontifex dispensationem sibi non reservaverit, tacite eam Episcopis concessit.

5. Ex dictis intelliges, cur Synodus Libanensis Maronitarum loro citato n. 6 [4], decernat, ut parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, praeter cetera cognoscat utrum contrahentes « sint in aetate legitima, ut vir saltem *quatuordecim,* mulier vero *duodecim* annos expleverit »; – numero autem 9 § VI inter impedimenta dumtaxat *impedientia,* non autem inter dirimentia, quae n. 8 exponit, recenseat impedimentum *aetatis* his verbis: « *Aetas* etiam, quae ut supra dictum est, in viro *quatuordecim,* et in muliere *duodecim annorum completorum* esse debet: nam ante hoc tempus contrahere non licet; etsi Episcopus in aetatis defectu urgenti necessitate dispensare possit, *attento sponsorum temperamento et capacitate* ». – Ceterum Synodus Maronitarum, anno 1736 in Monte Libano celebrata, approbata fuit in *forma specifica* a Benedicto XIV const. *Singularis Romanorum Pontificum* die 1 septembris an. 1741. Quanti autem valeant apostolicae Sedis approbationes Synodorum in forma specifica, et quanti in forma communi docet Benedictus XIV [5], de quo aliquid infra dicemus [6].

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 104. n. 12;* — Reiffenstuel *lib. 4. tit. 2. n. 11,* aliique, ut Barbosa, Gonzalez, Suarez, Castropalaus, Hurtado, Layman.

[2] Pirhing *loc. cit. n. 33.*

[3] *Ad cap. 2. de desponsat. impub. n. 5.* et *de potestate Episcopi, alleg. 35. n. 20.*

[4] *Part. 2. cap. 11. nn. 6-9.*

[5] *De Synodo lib. 13. cap. 5. n. 11.*

[6] *Cap. 4. art. 4. § 3. nn. 25-26.*

ARTICULUS II.

De impedimento matrimonium dirimente ex corporis debilitate seu ex impotentia.

1. Impotentia, de qua in decretalium titulo *de frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi* [1], alia est inhabilitas ad generationem prolis, quae *sterilitas* vel *infoecunditas* nuncupatur, et extare potest cum potentia ad matrimonialia obeunda officia; - alia vero est inhabilitas ad carnalem habendam copulam, et *impotentia coeundi* proprie appellatur.

2. Haec porro proprie dicta coeundi impotentia multiplex distinguitur, scilicet:

1°. *Naturalis* vel *accidentalis*. Naturalis dicitur illa, quae ex natura seu ex causa naturali et intrinseca provenit, ut exempli gratia *in viro* ex nimia frigiditate, vel etiam ex nimio calore; *in femina* ex nimia naturalis vasis arctitudine. - Accidentalis vero appellatur illa, quae ab extrinseco seu a causa extrinseca et accidentali provenit, uti ex morbo vel ex maleficio diabolico, quod utrique sexui commune est, vel ex castratione, quod viro proprium est.

2°. *Absoluta* vel *respectiva*. Impotentia ad copulam dicitur absoluta quum existit inter virum et omnes mulieres, et viceversa inter mulierem et omnes viros. - Respectiva nuncupatur ea quae extat in viro respectu determinatae feminae tantum, qualis communiter est in maleficiatis, vel respectu aliquarum feminarum, et viceversa in muliere respectu alicuius determinati viri vel aliquorum virorum.

3°. *Temporalis* vel *perpetua*. Temporalis iudicatur impotentia, quae sine peccato, sine gravi periculo seu damno corporis, citra miraculum, per opus humanum, scilicet per ordinaria, licita, naturalia etiam spiritualia remedia auferri

[1] *Decretalium lib. 4. tit. 15.*

potest [1]. – Perpetua vero ea dicenda est impotentia, quae arte medica, aut sine miraculo per consuetos Ecclesiae exorcismos, aut sine peccato (ut illicitis incantationibus), aut sine gravi corporis periculo auferri nequit [2].

4°. *Antecedens* vel *consequens* dicitur impotentia, prout matrimonium praecedit, vel illud subsequitur, scilicet quae supervenit post initum coniugale foedus.

5°. *Certa* vel *dubia*, prout est, vel non est manifesta.

3. Quibus praemissis ad diiudicandas quaestiones, et ad praecipua diluenda dubia, quae in causis de matrimonii valore ob impotentiam potissimum oriuntur, haec statuenda sunt ac prae oculis habenda principia:

4. *Primum:* Impotentia *antecedens, perpetua* et *absoluta* [3] habendi veram et perfectam copulam, qualis in viro est impotentia penetrandi vas femineum, ibidemque effundendi semen de se aptum generationi, in femina impotentia admittendi et recipiendi semen illud, est *impedimentum de iure naturae dirimens* matrimonium contrahendum [4]; et est communis Doctorum sententia [5]. – Si-

[1] Cap. *fraternitatis 6, de frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi.*

[2] Horum omnium rationes et quaestiones exponunt Sanchez *lib. 7. disp. 93.* aliique passim DD. citati a Leurenio *lib. 4. tit. 15. quaest. 236–237–238.*

[3] Cfr. Zacchlam: *Quaestiones medico–legales, lib. 3. tit. 1. quaest. 5. de frigidis et maleficiatis; quaest. 6. de impotentia respectiva; et lib. 9. tit. 3. quaest. 2-3-4-5,* ubi de impedimento coitus ob frigiditatem et maleficium, ob vitia membrorum, ob morbos, ex parte tum viri tum mulieris. — Plurimum haec omnia conferunt ad dignoscendum in praxi veram frigiditatem, eiusque causas et signa, scilicet a *maleficio* ne an vero a *natura, perpetua* ne an *temporalis, antecedens* ne an *consequens* sit impotentia. Ex hoc enim maxime pendet, ut iudex in eiusmodi causis matrimonialibus veram ac iustam ferat sententiam, ut casum expendemus infra in *Disceptatione tertia.*

[4] Cap. *fraternitatis 6. cit. tit.*

[5] Cfr. Sanchez *lib. 7. disp. 92.* Pirhing, Schmalzgrueber aliosque iurisperitos in hunc titulum. — Leurenius autem *quaest. 239*

quidem de essentia matrimonii est, ut coniuges fieri possint una caro; atqui hoc evenire unquam nequit dum ipsi *absolute* et *perpetuo* inepti sunt ad veram perfectamque copulam. - Item de intrinseca matrimonii ratione est obligatio et traditio corporum ad usum seu copulam coniugalem; ad eam autem obligare se nequit qui *absolute* et *perpetuo* est impotens eam exercere. Impossibilium enim nulla est obligatio [1], et nemo potestatem tradere potest rei quam nulla ratione habet [2].

5. *Secundum:* Impotentia *antecedens, perpetua* et *respectiva* etiam iure naturae dirimit matrimonium contrahendum cum ea persona respectu cuius altera est impotens ad veram ac perfectam habendam copulam; idque sive *ex natura* proveniat, sive *ex maleficio* [3]. Urget enim eadem ratio nuper allata: matrimonium siquidem respicit personam determinatam et individuam; et ideo si respectu illius copula sit impossibilis, nihil iuvat quod respectu aliarum personarum sit possibilis.

Dari autem impotentiam *perpetuam ex maleficio,* verissimam sententiam esse Doctores tenent [4]. Siquidem, teste experientia, reddi potest sic impotens ex maleficio coniux, ac si frigidus ex natura foret, et hoc sive destruendo potentiam generativam nullo reparabilem humano subsi-

et seqq., citatis aliis DD., infert consectaria, quae ex hoc principio sponte fluunt, quaeque attinent ad imperfectam viri copulam, ad eunuchos, steriles, senes decrepitos vel omnino exhaustos, infirmos quorum desperata est salus, ac tandem hermaphroditos.

[1] *Reg. 185. ff. de Reg. Iur.,* ex qua sumpta est *Reg. Iur. 6. in 6o: Nemo potest ad impossibile obligari.*

[2] Ex *Reg. Iur. 79. in 6o,* quae dicit: *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 93;* — Pirhing *cit. tit. de frigidis* etc. *n. 10,* aliique. Ex cap. *fraternitatis, cit. tit.* si a natura, — ex *cap. 4. causa 33. quaest. 1.* si a maleficio perpetua impotentia proveniat.

[4] Castrop. qui citat D. Thomam, Sanchez, Gutt., Ponc. contra quosdam sentientes contrarium cum Gloss. — Vide Leurenium *lib. 4. tit. 15. quaest. 244.*

dio, sive ita eam ligando et impediendo, ut ordinariis Ecclesiae exorcismis, aliove licito modo tolli nequeat [1].

6. *Tertium:* Neque impotentia *antecedens temporalis,* neque impotentia *perpetua* sive absoluta sive relativa sed *consequens* matrimonium dirimunt [2]. – Non temporalis impotentia antecedens: etenim ad tempus impotens, est absolute potens, adeoque potest se absolute obligare ad copulam, quemadmodum, ut ait Sanchez, etsi is qui perpetuo est inhabilis ad solvendum, inhabilis quoque est ad promittendum; qui tamen in praesenti non est solvendo, obligare se potest ad solvendum si spes sit fore in futurum solvendo. – Non impotentia perpetua *consequens,* idest matrimonio superveniens, illud, etsi ratum tantum, dissolvit; quia matrimonium ratum non consummatum sola professione religiosa vel Summi Pontificis dispensatione dissolvi potest [3].

7. *Quartum:* Cum de impotentia non constat, eaque probari non potest per signa urgentia et certa, sed remanet *dubia,* requiritur *continua triennalis cohabitatio* coniugum [4] vacantium copulae, ut Ecclesiae constet num impotentiae adsit impedimentum dirimens, maxime dum impotentia creditur ex maleficio, quia decursu temporis, in-

[1] Cfr. Leurenium *cit. quaest. 244,* ubi ex Castropalao disserit de signis *perpetuae* vel *temporalis* impotentiae *ex maleficio,* et ad dignoscendum utrum a *natura,* an vero a *maleficio* impotentia oriatur.

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 92. nn. 2-4;* — Leurenius *lib. 4. tit. 15. qq. 245–246.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 102. n. 3. et seqq.* — Leurenius *lib. 4. tit. 15. quaest. 246,* citans Sanchez, Gutt., Castrop., cum communi contra Gratian. et quosdam alios.

De summi Pontificis potestate dissolvendi matrimonium ratum non consummatum, vide Leurenium *lib. 4. tit. 19. de divortiis, quaest. 276,* Sanchez, Benedict. XIV etc.

[4] Cap. *laudabilem* iuncto cap. *litterae 7.* fin. *cit. tit. de frigidis* etc., ut cum communi docet Benedict. XIV *de Synodo lib. 9. cap. 10. n. 2,* ubi huius impedimenti refert historiam.

stantia orationis aliisque remediis forte removeri poterit[1]. — Si elapso *triennio* adhuc veritas cognosci nequeat, regulariter standum est pro matrimonii valore; praesertim si mulier dicat, se a viro fuisse cognitam, cum non praesumatur velle habitare cum impotente. Si vero id neget, alter affirmet, opus est inspectione [2], quae, aliis deficientibus probationibus, permitti debet, et ratione necessitatis honestatur, quamvis etiam deceptioni obnoxia [3]. — Si autem uterque coniux elapso triennio fateatur impotentiam, requiritur utriusque iuramentum, ut iudex proclamare valeat initi matrimonii nullitatem. Iurare autem debet vir, se bona fide et absque dolo copulam intentasse, nec consummare potuisse; mulier vero iurare debet, per se non stetisse quin copula consummaretur. — Insuper adhibenda est *septima manus* [4], idest accedere debent iuraturi septem propin-

[1] Ita quidem ad iuris utriusque tramites. Verum ab aliquot annis sacrae romanae Congregationes in eiusmodi dubiae impotentiae causis, si certo constet de matrimonio rato et non consummato, et instante parte, servatisque de iure servandis, plerumque ad remedium confugiunt pontificiae dispensationis a rato et non consummato coniugio, ut a praescripto triennii experimento deflectant.

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 109. n. 15 et seqq.*

[3] Cfr. Zacchiam: *Op. cit. lib. 4. quaest. 1–2–3,* ubi de minus fallacibus notis virginitatis, ut de hymene, carunculis, nymphis etc., ac de signis violatae virginitatis.

Ad hanc autem inspectionem rite peragendam per *matronas* deposituras de virginitate aut etiam de impedimento arctitudinis, sub medicorum et chirurgorum iudicio, et per eiusmodi in arte medica et chirurgica *peritos* si agatur de viri impotentia; — insuper ad opportunas interrogationes a defensore matrimonii ex officio et ab iudice proponendas; — ac tandem ad acta valide conficienda iuxta Bened. XIV const. *Dei miseratione:* vide in Appendice *n. 2. Instructionem* S. C. Concilii datam an. 1840. — Cfr. etiam Leurenium *loc. cit. quaest. 254,* ubi inquirit, quot et quales esse debeant matronae inspectionem facturae.

[4] Verbis *septima manus* in sensu sacrorum canonum intelligitur iuramentum septem testium coniugibus propinquorum vel vicinorum testantium, *se credere, coniuges verum dicere;* et ideo eorum testimonium appellatur *de credulitate.*

qui ex parte utriusque coniugis, vel his deficientibus septem vicini bonae famae [1], et his quoque deficientibus alii testes omni exceptione maiores, vel si tot haberi nequeant, sufficiunt pauciores arbitrio iudicis [2]. – Quibus expletis, Ecclesiae auctoritate matrimonium dissolvitur, et pars quae coeundi potentia pollet, vel si impotentia fuerit respectiva, utraque pars matrimonium cum altera persona poterit inire, nisi tamen ab hac sententia fuerit appellatum vel ab ipso coniugalis vinculi defensore [3], neque aliud obstet.

Si autem non de *dubia,* sed de *certa* agatur impotentia, ita et de eiusmodi impedimento matrimonium dirimente *clare constet* sive per signa certa et evidentia, ut quia vir testiculis caret aut eius penis atrophia laborat, – sive per verisimilia alia signa, ex quibus moralis certitudo eruatur, quae in humanis aequivalet evidentiae: tunc nullo pacto requiritur cohabitationis triennium ad explorandam per congressum impotentiam, immo nec permittendum esse videtur ut copulam experiantur, cum cesset ratio eam adhibendi probationem, et ipso iure naturae illicitum sit attentare congressum, quando satis iam constat de initi nullitate coniugii ob impotentiae impedimentum aliter probatum; quamvis, secluso incontinentiae periculo, simul cohabitare possint ut frater et soror [4], idque recentissimo confirmatur S. C. Concilii responso in Maurianen. *dubia super matrimonio p. s. p.* Ad dubium enim sibi propositum: Quaenam esse debeat agendi ratio episcopi, parochi et confessarii erga impotentes, qui ea ratione separari nequeunt, quod eorum separationi obsistat civilis galliarum lex, quae impotentiae impedimentum non agnoscit: – S. C. diei 15 decembris 1877 respondit: « Vivant ut frater et « soror; quod si id fieri non posset sine peccati periculo, « separentur omnino, et ad mentem ».

[1] Cap. *laudabilem, cit. tit.*

[2] Cfr. Sanchez *lib. 7. disp. 108. nn. 12-13.*

[3] Cfr. Benedicti XIV const. *Dei miseratione, n. 11.*

[4] Pirhing *lib. 4. tit. 15. nn. 8-9,* iuxta cap. *consultationi 4. de frigidis et maleficiatis,* et cit. cap. *laudabilem,* § *nos vero,* eod. tit.

8. *Quintum:* Soluto matrimonio ex capite impotentiae, quae iudicata fuit *antecedens* et *perpetua,* si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito coniuge celebratas, coniux ille qui perpetuo impotens credebatur, ad officia matrimonialia obeunda reddatur idoneus, debet alter ille coniux, secundo toro relicto, ad primi iura redire, cum primum valide initum restaurandum sit coniugium iuxta sanctiones canonicas [1].

Quod si graves urgeant causae, hi coniuges efflagitare poterunt a Summo Pontifice dispensationem a primo matrimonio rato non consummato, dummodo *certo* constet de non secuta consummatione coniugii. - Hac porro dispensatione obtenta, primus ille coniux novum valebit praestare consensum ad valorem secundi initi matrimonii, et alter, si velit, ad alia vota transire [2].

9. Sed quum alii dentur caus dissolutionis matrimonii pro diversa impotentiae ratione, sedulo apud probatos Auctores inquirendum, quando res postulet, an et in quibus aliis casibus, dissoluto matrimonio ob impotentiam, restituendi sint sibi coniuges [3].

[1] Ex cap. *accepisti 1.* et cap. *fraternitatis 6. de frigid. et malefic.* — Benedict. XIV *de Synodo lib. 13. cap. 21. n. 5.*

[2] Eiusmodi dispensationum exemplum videbimus in *disceptatione 3. quaest. 2.* — De iisdem loquitur Benedict. XIV const. *Dei miseratione,* § *15.*

[3] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 15. quaest. 256,* in qua quinque expendit eiusmodi casus separationis et restitutionis.

CAPUT III.

De impedimentis matrimonium dirimentibus ex reverentia inter propinquos servanda.

ARTICULUS I.

De impedimento cognationis naturalis, spiritualis, legalis.

a) De cognationis naturalis seu consanguinitatis impedimento.

1. Cognatio naturalis seu consanguinitas communiter definitur ex D. Thoma: vinculum seu coniunctio personarum ab eodem stipite proximo per carnalem propagationem descendentium [1]. – Hinc ut legitimo ex matrimonio nati, ita etiam illegitimi et spurii veniunt nomine consanguineorum, quia iure naturali inspecto ex communi sanguine descendunt; atque ideo ubi agitur de matrimonii impedimento vel dispensatione, nullum faciendum est inter eos discrimen [2]. – Insuper ecclesiasiastico saltem iure consanguinitas significatione accipitur lata, et comprehendit non tantum eos et eas, qui ex parte patris et per lineam masculinam coniuncti sunt, et *cagnati* appellantur; sed eos etiam qui ex parte tantum matris seu per lineam maternam coniuncti sunt, et *cognati* dicuntur [3].

2. In consanguinitate tria sunt distinguenda, scilicet *stipes, gradus, linea,* ex quibus *arbor* consanguinitatis componitur.

Stipes est persona, a qua aliae personae, de quarum propinquitate quaeritur, descendunt seu originem ducunt.

Gradus est distantia unius personae ab altera in linea consanguinitatis.

[1] V. Sanchez *lib. 7. disp. 50. n. 1.* citans D. Thomam. — Item Pirhing *lib. 4. tit. 14. n. 1.*

[2] Pirr. Corradus *Praxis dispensat. lib. 7. c. 1. n. 6.*

[3] Pirhing *l. c. n. 2;* — Leuren. *lib. 4. tit. 14. quaest. 220.*

Linea consanguinitatis est series seu collectio ordinata personarum ab eodem stipite descendentium. - Linea duplex est: alia *recta*, et est series personarum, quarum una ab altera originatur. Bifariam subdividitur, nimirum in lineam *descendentium*, in qua continentur personae quae ab ascendentibus derivantur, ut filii, nepotes, pronepotes, abnepotes, et in lineam *ascendentium*, in qua recensentur ii, a quibus alii ducunt originem, ut pater, avus, proavus, abavus. - Alia dicitur linea *transversa*, collateralis, obliqua, et est series personarum descendentium quidem ab eodem stipite, quarum tamen una ab alia non ducit originem, ut frater patris, filii et filiae fratris, nepotes et neptes ex fratre, pronepotes et proneptes ex fratre; item patruus et amita, magnus patruus et magna amita, magnus propatruus et magna proamita. Linea transversa est *aequalis* vel *inaequalis*, prout consanguinei aequaliter vel inaequaliter a communi stipite distant. Sic duo fratres, frater et soror in aequali gradu distant a communi stipite. Frater vero distat a filia fratris vel sororis inaequaliter; et quum frater a stipite distet uno gradu, ideo dicitur esse in primo gradu; filia fratris quum distet duobus gradibus a stipite, ideo dicitur esse in secundo consanguinitatis gradu. - Quare frater et filia fratris inter se coniuncti dicuntur in secundo consanguinitatis gradu attingente primum.

3. *Regulae* porro ad computandos et cognoscendos consanguinitatis gradus, hae tres communiter statuuntur:

Prima regula: In linea *recta* tam ascendentium quam descendentium tot sunt gradus quot personae, una dempta, nempe stipite, a quo ducitur prima origo; vel aliter: tot sunt gradus quot sunt generationes [1].

Secunda regula: In linea *transversa aequali* quot gradibus personae distant a stipite, tot gradibus distant inter se [2]; seu, tot sunt gradus, quot sunt personae in una

[1] Pirhing *l. c. n. 4;* — Sanchez *l. c. n. 4;* — Leurenius *l. c. quaest. 222.*

[2] Haec regula desumitur ex cap. *ad sedem 2.* et cap. *parentela 35. quaest. 5,* ut notant Pirhing *l. c. n. 5.* et Sanchez *l. c. n. 5.*

parte, stipite dempto. Tota enim et adaequata ratio coniunctionis harum personarum inter se est unio cum communi stipite.

Tertia regula: In linea *transversa inaequali*, tot gradibus unus alteri coniungitur vel ab eo distat, quot gradibus a communi stipite distat is qui est remotior [1]; seu, tot sunt gradus, quot personae in parte remotiore, semper stipite dempto [2].

4. In gradibus numerandis rectae lineae tum ius canonicum tum civile eandem tenent regulam, nempe *generata persona gradum adiicit* [3], sive tot sunt gradus, quot personae, dempto stipite. - At in numerandis gradibus *lineae transversae*, alia est iuris civilis, et alia canonici iuris ratio. Nam ius civile subiicit iisdem legibus et rectam et transversam lineam; et ideo lateris utriusque generationes numerat. Haec gradus computandi ratio adhuc usu viget in *Ecclesia orientali* [4]; et ideo apud eam fratres et sorores, cum duae sint personae, in secundo gradu esse dicuntur, patrueles et consobrini in gradu quarto, sobrini in gradu sexto, sobrinorum filii in gradu octavo. In linea autem transversa *inaequali* patruus ac nepos ex fratre sunt in tertio gradu, quia tres personae et tres generationes diversae intercurrunt, et sic deinceps. - At vero iuxta canonicam computationem fratres et sorores sunt in primo gradu, patrueles et consobrini in secundo; item patruus ac nepos ex fratre sunt in secundo consanguinitatis gradu attingente primum; et sic de ceteris. Canonicam porro computationem latina tenet Ecclesia etiam ex praescriptione Alexandri II, qui eam iamdiu in ecclesiasticam disciplinam invectam supponit, ita ut *inauditum* et *novum* vocet errorem illorum qui germanos fratres in secunda generatione esse

[1] Desumpta est haec regula ex cap. *fin. 9. de consanguinitate,* quae est decretalis Gregorii IX.

[2] Plura ex tribus hisce regulis exempla graduum consanguinitatis habentur passim apud theologos et iurisperitos. *Cfr. cit. AA.*

[3] § *7. Inst. De gradib. cognat.*

[4] Papp-Szilàgyi: *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae, part. 2. § 106.*

asseverant [1]. - In hac autem Ecclesia, ratio canonica computandorum graduum obtinet ac religiose servatur quoad matrimonia fidelium; at quoad successiones haereditarias adhuc ex iure civili gradus aestimantur [2].

5. Iam vero ut perspiciatur ad quot cognationis gradum extendatur impedimentum consanguinitatis, et quo iure matrimonium dirimat, haec statuenda sunt:

6. *Primum:* Consanguinitas in *linea recta* matrimonium dirimit *indefinite,* scilicet quotocumque vel remotissimo gradu inter se distent generantes et geniti [3]. Natura enim ab huiusmodi nuptiis abhorremus, et officia coniugum non bene congruunt cum officiis, quae liberi parentibus tribuere debent [4].

7. *Secundum:* Consanguinitas in *linea transversa* matrimonium dirimit usque *ad quartum gradum,* gradu ipso comprehenso, et non ultra. Siquidem cum olim consanguinitas dirimeret matrimonium usque ad septimum inclusive gradum lineae transversae, postmodum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III restrictum fuit hoc impedimentum dirimens ad gradum quartum [5]. - Huius autem re-

[1] Cfr. Papp-Szilàgyi *loc. cit. pag. 445;* — et Ioannis Devoti *Inst. canonic. lib. 2. tit. 2. sect. 9.* § *134. adnot. 1. pag. 224-225.* edit. Romae 1818.

[2] Haec et alia huiusmodi quoad contractus et actiones accurate notant Sanchez *lib. 7. disp. 50. n. 8.* aliique passim.

[3] Constat ex responso S. Nicolai I ad Bulgaros, quo dicitur: « De consanguinitate generationum exquiritis, ut quibus utique feminis « iungi debeatis, liquide cognoscatis: verum quod leges hinc sanciunt « iam meminimus, et denuo memorare summatim operae pretium du- « cimus; aiunt enim: Ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam « quarumdam nuptiis abstinere debemus, inter eas enim personas quae « parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi « non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, « matrem et filium, aviam et nepotem, et *usque ad infinitum* ». Vide Opusc. *Responsa Nicolai I ad consulta Bulgarorum, cap. 39. pag. 23.* — edit. Romae 1860.

[4] Devoti *loc. cit.* § *135.*

[5] Cap. *non debet 8. de consanguinitate etc.* — Ius civile ad quartum quoque gradum producit interdictum suum; sed gradum ipsum

strictionis extrinseca ratio fuit, quod in ulterioribus gradibus, nempe usque ad septimum, iam non poterat absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio seu irritatio observari ob difficultatem numerandi, praesertim inter plebeios, cognationis gradus [1]. Intrinseca autem ratio, ut observat Pirhing [2], in eo est, quod ipsa realis participatio seu communicatio eiusdem sanguinis ex primo stipite traducta, et consequenter virtus generandi prolem sibi similem quoad corporis, complexionis, morumque habitudinem, communi hominum iudicio vix ultra quartam generationem perduret ob perpetuam humani corporis resolutionem et commixtionem cum alio sanguine [3].

Ex his autem sequitur, validum esse matrimonium inter eos, quorum unus in sua linea transversa distat a stipite *ultra* quartum, alter in alia *intra* quartum gradum, cum computatio facienda sit iuxta gradum remotiorem ut ex decretali Gregorii IX [4]; – idque etsi alter uno tantum gradu distet a stipite [5].

Aliter tamen se res habet in *Ecclesia orientali.* Siquidem iuxta disciplinam illius Ecclesiae, ut testatur Papp-Szilágyi, impedimentum consanguinitatis extenditur usque ad septimum gradum inclusive iuxta civilem computationem; atque ideo consanguinitas in octavo gradu, qui integrat

excludit, ut ex § *4. Instit. De nuptiis.* Itaque ius civile nuptias probat consobrinorum, quos collocat in quarto gradu. At canones improbant has nuptias, non solum quod et quartum gradum interdicto comprehendunt, sed etiam quod revera ipsi consobrini in secundo gradu sunt (Devoti *loc. cit.* cum adnotat 4.).

[1] Cfr. cit. cap. *non debet.*

[2] Pirhing *lib. 4. tit. 14. n. 16.* citans Tanner.

[3] Hinc notat Sanchez *lib. 7. disp. 53. n. 6.* et ex eo Pirhing *loc. cit.* rationem illam per modum *congruentiae* adiectam in cit. cap. *non debet,* scilicet restrictionem ideo factam ad quartum gradum, quod corpus humanum constet quatuor humoribus seu elementis, iuxta antiquam physicorum opinionem, non ita ridiculam et puerilem esse ut cavillantur haeretici.

[4] Cap. *vir qui 9. et ult. de consanguinit.*

[5] Sanchez *l. c. n. 5.* Pirhing *l. c. n. 17.* cum communissima.

quartum iuxta canonicam computationem, matrimonium non dirimit; – « ideo, scribit citatus Auctor, graeco-catho- « lici dispensatione Episcopi ab hoc gradu opus habent. « Immo graeci asserunt, septimum quoque eorum com- « putationis gradum nonnisi impedimentum impediens « esse » [1]. Et quamvis eiusmodi graecorum praxim improbaverit Innocentius IV epistola ad Othonem cardinalem tusculanum in regno Cypri Legatum; – quamvis Benedictus XIV constitutione *Etsi pastoralis* idipsum edixerit; – quamvis Synodus provincialis Maronitarum de anno 1736 per apostolicam Sedem confirmata et approbata in forma specifica [2] Lateranensis Concilii praescriptionem quo ad hoc impedimentum exceperit [3]: attamen cum Innocentii IV decretalis in regno Cypri pacis et oeconomiae causa promulgata non fuerit; – cum Constitutio *Etsi pastoralis* Italo-graecos tantum respiciat; – cum Synodi Libanensis apostolica confirmatio praeter Maronitas, ceteras orientalium rituum Ecclesias nullo pacto afficiat [4]: ideo non immerito dici potest, *tolerantia ac indulgentia apostolicae Sedis* factum esse, ut matrimonia in Ecclesia orientali inita inter *consanguineos* et *affines qui octavo inter se distant orientali gradu,* non sint irrita, nisi agatur de aliqua orientalis ritus Ecclesia, pro qua ab apostolica Sede aliter statutum, declaratum vel approbatum fuerit, prout constat de Maronitis [5]. – Nec quidquam usque ad praesens ab apostolica Sede declaratum vel statutum est. Et revera S. C. Sancti Officii in casibus particularibus rogata, respondit die 23 aprilis 1881: « Quoad matrimonia a graecis catholicis in dioecesi N. nulliter contracta ob impedimenta consangui-

[1] Papp-Szilàgyi *loc. cit.* § *107.*

[2] Benedicti XIV const. *Singularis RR. PP.*

[3] Cfr. Synodum Maronitarum in Monte Libano celeb. an. 1736, *part. 2. cap. 11.* § *8. n. IV.*

[4] Cfr. cit. const. *Singularis* § *9.*

[5] Papp-Szilàgyi *loc. cit.* § *109;* — Synodus Libanensis *loc. cit.;* — Assemanus: *Bibliothecae orientalis tom. 3. part. 2. pag. 325.* citatus ab Antoine: *Theolog. moral.* cum notis P. Philippi de Carboneano, *tract. de matrim. Append. 2. not. 5.*

nitatis et affinitatis ex copula licita, exceptis gradibus proximioribus *usque ad quintum gradum inclusive* computationis orientalis, supplicandum SSmo pro gratia sanationis in radice ». Quamvis ex hoc S. C. responso eruatur, aliquem saltem gradum ultra quintum esse in quo inita coniugia valore carent, adhuc tamen sub iudice perstat, an apud graecos catholicos valida vel nulla sint coniugia celebrata sive in septimo gradu computationis orientalis, idest in quarto attingente tertium computationis canonicae, sive in octavo gradu civilis seu quarto canonicae computationis.

8. *Tertium:* Matrimonium in *primo consanguinitatis gradu lineae rectae,* nempe inter patrem et filiam, inter matrem et filium, est irritum *iurae naturae,* et ideo ab Ecclesia dispensari non posse, est communis omnium sententia [1].

Ratio petita ex eo quod genitus sit genitori subiectus et inferior, matrimonium vero aequalitatem inter coniuges statuat, probat quidem eiusmodi matrimonium esse iure naturae inconveniens, non vero esse etiam irritum.

Ratio autem quae probat iure naturae esse etiam irritum petitur ex eo quod copula parentum cum liberis secundum se et ex natura rei sit foeda, uti patet ex naturali instinctu omnium fere gentium talem abhorrentium concubitum [2]. Ex eo autem quod iure naturae foeda et illicita sit talis copula, recte inferri posse videtur, eodem iure matrimonium quod ad copulam refertur, invalidum esse, seu tale, cuius contrahendi potestatem humano generi non concesserit Deus [3].

9. An irritetur matrimonium *iure naturae in aliis lineae recte gradibus,* extra primum, incertissimum est, tum propter opinionum diversitatem, tum ob rationum momenta

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 51. n. 7;* — Pirhing citans Sanchez, *loc. cit. n. 8.*

[2] D. Ambros. *ep. 66. ad Paternum* dicit: « connubium patris cum filia pugnare cum lege naturae in singulorum cordibus scripta ». Apud Sanchez *cit. lib. 7. disp. 51. n. 7.*

[3] Sanchez, Pirhing *ll. cit.* cum aliis.

non satis firma, quibus illae innituntur [1]; quamvis de *iure* saltem *positivo* consanguinitas in linea recta dirimat *indefinite* in quocumque gradu, ut supra vidimus [2].

10. An matrimonium *in primo gradu lineae transversae*, scilicet inter fratres et sorores, sit irritum *iure naturae*, etiam dissident DD., et alii affirmantem, alii negantem opinionem probabiliorem dicunt; — alii contendunt, romanos Pontifices quoad hunc gradum nunquam dispensasse, alii dispensasse aliquando [3].

11. In *secundo ceterisque gradibus lineae transversae* consanguinitas non dirimit iure naturae [4], sed *iure tantum ecclesiastico*, ut ex praxi Ecclesiae, quae ab iis dispensat. — Ex quo sequitur, ut quum spectato iure naturae valida habenda sint matrimonia contracta inter infideles qui hisce consanguinitatis gradibus coniuncti sint, cumque non baptizati Ecclesiae legibus non teneantur, si eiusmodi infideles ad fidem convertantur, nec separandi sunt, nec dispensatione indigent, ut in contracto maneant coniugio [5]. Atque ita de aliis iuris mere ecclesiastici impedimentis dicendum est.

12. Quod autem attinet ad vim ac rationem probandi consanguinitatis gradus per parochiales codices atque testes in causis matrimonialibus, exponetur infra [6].

b) De spiritualis cognationis impedimento.

13. Cognatio *spiritualis* est quaedam propinquitas personarum, quae ecclesiastico statuto oritur ex administratione et susceptione sacramentorum baptismi et confirmationis [7].

[1] Leurenius *lib. 4. tit. 14. quaest. 225. nn. 2–3.* — Schmalzgr. *lib. 4. tit. 14. n. 30.*

[2] Ex *cit. resp.* Nicolai I ad consulta Bulgarorum.

[3] Vide Leurenium *loc. cit. quaest. 226.* — Schmalzgr. *lib. 4. tit. 14. n. 45 et 47.* — Rigantium in *Regul. 49. Cancellar. ap. nn. 13-17.*

[4] Sanchez *lib. 7. disp. 52. n. 11.* cum communi.

[5] Ex decretali Innocentii III, cap. *gaudemus 8. de divortiis.*

[6] Disceptatione secunda: *De matrimonii nullitate ex impedimento consanguinitatis inter contrahentes.*

[7] Sanch. *lib. 7. disp. 54. n. 1.* — Pirhing *lib. 4. tit. 11. n. 1.*

14. Misso autem antiquo decretalium iure [1], quo triplex erat cognatio spiritualis matrimonium dirimens, nempe *paternitas, compaternitas, fraternitas* et ad plures quam hodie personas extendebatur [2], iure novo Tridentini [3], sublata cognatione fraternitatis, paternitas tantum et compaternitas remanent, eorumque neutra ad uxores transfunditur; ideoque statuenda haec sunt:

15. *Primum:* Cognatio *spiritualis* dirimit matrimonium de *iure ecclesiastico:* 1° inter ministrum sacramenti et subiectum huiusque genitores, seu inter baptizantem vel confirmantem ex una parte, et baptizatum vel confirmatum et baptizati vel confirmati patrem et matrem ex altera; — 2° inter patrinum vel matrinam ex uno latere, et filiolam vel filiolum eorumque genitores ex altero.

16. *Secundum:* Plures requiruntur conditiones, ut patrini spiritualem contrahant cognationem, scilicet 1° ut sint baptizati, secus enim Ecclesiae eiusque legibus, vi quarum hoc impedimentum statutum fuit, subiecti non sunt, et consequenter incapaces contrahendae cognationis spiritualis [4]; 2° ut sint rationis compotes, quia quamvis nulla aetas ad hoc sit a iure determinata, non essent tamen muneris patrini capaces qui rationis usu carerent [5]; — 3° ut intentionem seu animum habeant suscipiendi seu agendi munus patrini, adeoque non sufficit mere materialiter levare e sacro fonte; quanquam non requiratur ut intentionem habeant contrahendi spiritualem cognationem, quae cum ab Ecclesiae statuto, non a voluntate patrini pendeat, etiam ab ignorante vel etiam a nolente, si de cetero intentionem

[1] *Cap. 1. de cognat. spirit. in 6.*

[2] Vide Pirhing *lib. 4. tit. 11. n. 3;* — vel Sanchez *lib. 7. disp. 54. n. 9:* citati a Leurenio *lib. 4. tit. 11. quaest. 203. n. 1.*

[3] *Sess. 24. c. 2. de reform. matrim.*

[4] Barbos. Sanch. Pirh. Laym. citati a Leurenio *quaest. 209,* ubi illationes scitu perutiles quoad infidelem baptizantem filiam fidelis, et quoad fidelem baptizantem vel levantem e sacro fonte filium infidelis.

[5] Pirh. *lib. 4. tit. 11. n. 34.* citans Sanch. *lib. 7. disp. 61. n. 3.*

gerat exercendi munus patrini, contrahitur [1]; – 4° ut sacramentum baptismi vel confirmationis fuerit valide collatum, quia si non subsistit principale, quod est sacramentum, neque accessorium, nempe cognatio, subsistere potest [2]. – Hinc neque spiritualem cognationem contrahunt sive qui patrini vel matrinae officium exercent dum supplentur baptismi privatim collati caerimoniae et solemnitates, sive qui eas supplet, quia dicta suppletio non est collatio baptismi [3].

17. Notandum autem est, quod *baptizans* sive *solemniter* sive *privatim* baptizet, semper contrahit cognationem cum baptizato eiusque patre ac matre. Baptismus enim solemnis et privatus in se et formaliter non differunt, sed quoad caerimonias tantum extrinsecas. – Verum quoad *patrinos* in *privato* baptismo infantem levantes animo obeundi munus patrini, DD. dissident inter se an ex Tridentino cognationem contrahant [4].

18. Cum autem quis queat patrini vel matrinae munus in baptismo vel confirmatione obire per alium, idest per procuratorem seu mandatarium, et vir pro muliere, et mulier pro viro procuratoris officium praestare possit [5], non hic spiritualem contrahit cognationem, sed principalis constituens suum legatum, ut constat ex sacrae Congregationis decretis [6].

19. Parens vero baptizans prolem suam urgente *necessitate*, vel si extra necessitatem *bona fide* eandem baptizet aut suscipiat, nullam contrahit spiritualem cognationem, qua ab usu coniugii ulla ratione prohibeatur. Culpa enim

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 58. n. 4.*

[2] Pirhing *loc. cit. n. 36* cum communi.

[3] Pirhing *loc. cit.* — Sanchez *lib. 7. d. 62. n. 5.*

[4] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 11. quaest. 105. nn. 1–2.*

[5] Ex S. C. *declarat.* apud Gallemart *in not. ad cap. 2. sess. 24. Conc. Trid. n. 4.*

[6] In Tudertina, 16 martii 1630, ut refert Barbosa *Apost. decis. collect. 177. n. 9.* – et ad *cap. 2. sess. 24.* Concil. Trid. *(de reformat. matr.) n. 26.* — Benedict. XIV *quaest. canon. 227.*

vacare iudicandum est, ad quod necessitas impulit, vel quod bona fides suggessit. Qui autem a culpa, etiam a poena excusatur: poena autem esset prohibitio petendi debitum. - Immo *probabilius* nec videntur cognationem contrahere, etiamsi *ex industria,* seclusa necessitate, prolem parentes baptizarent. Cum autem in re saltem dubia nequeat ius certum coniugi auferri, negandum est, per hoc ullum usui coniugii impedimentum apponi [1].

20. Religiose etiam tenet et hoc impedimentum *Ecclesia graeca.* Differentia tamen aliqua inter utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis disciplinam in eo est « quod secundum Latinos permissum sit filio patrini ducere sororem filii spiritualis patris sui: quod per disciplinam graecam prohibitum est, in quantum inter filios patrinorum atque filium spiritualem eiusque fratres et sorores *fraterna* correlatio consistit » [2] more spiritualis cognationis *fraternitatis,* sed magis extensae, quae iure antiquo decretalium ante Tridentinum vigebat [3]. - Aliter tamen sentit *Maronitarum Ecclesia,* quae ut in ceteris, in iis praesertim, ut par erat, quae ad mores et fidem pertinent, ita et in cognatione spirituali Tridentini Concilii statuta in Synodo Libanensi excepisse, et inter suos dudum invaluisse his verbis edicit atque testatur: « Cognatio spiritualis ex baptismo « contrahitur inter tenentem ac baptizatum ipsum et illius « patrem et matrem, nec non inter baptizantem et bapti- « zatum baptizatique patrem ac matrem tantum. Similiter « ex Confirmationis sacramento contrahitur cognatio spi- « ritualis inter confirmantem et confirmatum illiusque pa-

[1] Leurenius *l. c. quaest. 211.* — Schmalzgr. *lib. 4. tit. 11. nn. 46-49.*

[2] Papp-Szilàgyi *loc. cit.* § *III.*

[3] Decretalium iure tertia species cognationis spiritualis erat *fraternitas,* qua matrimonium irritum erat inter filios carnales baptizantis, confirmantis et patrinorum ex una parte, et ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte (Sanchez *lib. 7. disp. 54. n. 9.* — Pirhing *lib. 4. tit. 11. n. 3*).

« trem et matrem ac tenentem tantum: idque iuxta decre« tum sacrosanctae Tridentinae Synodi, quod in Ecclesia « nostra dudum invaluit » [1].

c) De legalis cognationis impedimento.

21. Cum legalis cognatio ex adoptione oriatur civili, iure ecclesiastico ius civile quoad hoc impedimentum approbante et excipiente, nihilque in eo mutante, inquirendum primo quid et quotuplex sit adoptio iuxta romanum ius.

22. *Adoptio* ex hoc iure communiter cum D. Thoma definiri solet: personae extraneae in filium vel nepotem legitima susceptio. Ut autem adoptio fieri possit, quaedam a iure ipso praescriptae servari debent conditiones, scilicet - *Primo,* ut adoptans sit mas, nam feminae adoptari possunt sed non adoptare nisi ex privilegio; - *Secundo,* ut sit sui iuris et maior viginti quinque annis, quum aliter sua administrare nequeat; - *Tertio,* ut non sit naturaliter impotens seu frigidus ex natura ad generandum, cum in defectu filiorum, quos spectata natura habere posset, permittatur adoptio; - *Quarto,* ut eam habeat aetatem, quae adoptati aetatem excedat annis decem et octo, adeo ut esse posset eius pater naturalis; - *Quinto,* ut sit praesens dum fit adoptio, non enim fieri potest adoptio per literas aut per procuratorem; et insuper ut adoptatus in eam consentiat [2].

23. Adoptio autem duplex est:

Perfecta, qua persona extranea sui iuris, forma legali seu rescripto Principis, transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi iura acquirit, ita ut fiat haeres necessarius adoptantis ex testamento in quarta bonorum parte. Eiusmodi adoptio dicitur *arrogatio.*

[1] Synodus Maronitarum, Iosepho Simonio Assemano S. A. Ablegato, an. 1736 celebrata, *part. 2. cap. 11.* § *8. n. 4. pag. 76.* edit. Romae 1820.

[2] Vide de his omnibus tot. tit. *ff. Cod. et Instit. De adoption.* et tradit Sanchez *lib. 7. disp. 63. nn. 1–3.*

Imperfecta seu *simplex*, qua persona extranea sub alterius potestate, uti paterna, constituta, sub eaque manens, auctoritate cuiusvis iudicis merum et mixtum imperium habentis, assumitur in filium vel nepotem, non tamen in familiam et potestatem transit adoptantis, et propterea non fit huius haeres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato [1].

24. Porro *Cognatio legalis* est propinquitas personarum, quae oritur ex *adoptione legali* [2]. Ita communiter AA.

Certum autem est, cognationem legalem, quatenus est impedimentum dirimens matrimonium, oriri ex *adoptione perfecta* seu *arrogatione* [3].

Controvertitur autem inter DD. an oriatur etiam ac dirimat matrimonium cognatio legalis ex *adoptione imperfecta* seu *simplici* [4]. — *Probabilius* et *communius* non dirimit, cum sola adoptio *perfecta* censenda sit adoptio proprie et simpliciter dicta: sive quia per adoptionem imperfectam adoptatus non transit in potestatem et familiam adoptantis, et consequenter nequit naturalis similitudinem cognationis referre; — sive quia in adoptione simplici deficit praecipua huius impedimenti ratio, scilicet incontinentiae periculum inter cognatos legales, cum non transeat adoptatus in potestatem, familiam et cohabitationem adoptantis [5]. Quare communis DD. sententia docet ex adoptione *simplici* seu *imperfecta* nedum *dirimens*, sed ne *impediens* quidem impedimentum oriri [6].

Ceterum cum Ecclesia hoc impedimentum induxerit per approbationem duntaxat romani quoad hoc iuris, cumque civiles variarum gentium leges quoad cognationem legalem plus minusve distent a romani iuris *arrogatione* seu

[1] Sanchez *loc. cit. n. 2.* ex *cit. iure.*

[2] *Iure ecclesiastico approbante ius civile* — adiicit Pirhing *lib. 4. tit. 12. n. 3.*

[3] Leurenius *lib. 4. tit. 12. quaest. 216. n. 1.* citans leges et canones; — Sanchez *l. c. n. 17.*

[4] Leurenius *loc. cit. n. 2;* — Sanchez *loc. cit. nn. 8–9.*

[5] Citt. AA. et Schmalzgr. *lib. 4. tit. 12. nn. 18–22.*

[6] Sanchez *l. c. n. 10.* — Schmalzgr. *ibid.*

perfecta adoptione, sola apostolica Sedes pro diversa civilium codicum ratione definire certa sententia poterit quaestionem, an et a quibus eiusmodi impedimentum matrimonii incurratur.

Quibus praemissis statuendum est:

25. *Primo:* Cognatio *legalis* orta ex adoptione constituit impedimentum dirimens matrimonium ex iure ecclesiastico romanum ius quoad hoc approbante et excipiente [1].

26. *Secundo:* Cognatio *legalis* ad similitudinem cognationis naturalis ex iure romano, sed vi iuris canonici, fidelium matrimonium dirimit inter sequentes personas:

1° Velut in linea *recta* et quasi *paternitatis* ratione, inter adoptantem et adoptatum et eius filios aliosque descendentes, qui tempore adoptionis erant sub adoptatae personae potestate [2]. - Perdurat hoc impedimentum semper, et quamvis adoptio per adoptati emancipationem solvatur.

2° Velut in linea *transversa* et quasi *fraternitatis* ratione, inter adoptatum et filios naturales adoptantis, et non inter alias personas. - Perseverat hoc impedimentum quamdiu naturales adoptantis filii et adoptata persona sub adoptantis potestate versantur, adeoque hac patria potestate soluta sive morte adoptantis, sive emancipatione filii naturalis vel adoptivi, cessat impedimentum.

3° Per modum *affinitatis* inter adoptantem ut socerum et uxorem adoptati ut nurum, ac vicissim inter adoptantis uxorem tanquam novercam et adoptatum tanquam privignum. Hoc etiam impedimentum perpetuum est ut primum [3].

27. His omnibus fere gemina habet *Maronitarum Syn-*

[1] Eruitur ex *responsis* Nicolai I ad consulta Bulgarorum *cap. 2. de compatribus,* ubi dicitur: « quandoquidem nec inter eos qui na- « tura et eos qui adoptione filii sunt, venerandae romanae leges ma- « trimonium contrahi permittunt » etc. Ex hoc autem capite exceptus est *tit. 12. libri 4.* Decretalium. Vide *cit. opusculum: Responsa Nicolai I ad consulta Bulgar. c. 2. pagg. 3-4.*

[2] Vide Sanchez cit. *disp. 63. n. 34.*

[3] Cfr. pro his omnibus citat. AA., ac praesertim Schmalzgr. *lib. 4. tit. 12;* — Leuren. *eodem lib. et tit. quaest. 218.*

odus libanensis [1]. — Non sola autem Maronitarum, sed universa *Orientalis Ecclesia* cognationis legalis tenet impedimentum, quamvis diversa personarum graduumque ratione. De eo namque haec scribit Blastaris in Syntagmate: « Non potest pater, qui filium adoptavit, filii adoptivi filiam vel neptem ducere; nec filius adoptivus adoptantis patris uxorem vel matrem vel sororem matris vel neptem ex filio » [2].

ARTICULUS II.

De affinitatis impedimento.

1. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, ut communiter cum divo Thoma eam definiunt tum theologi, tum utriusque iuris periti [3]. Cum enim per copulam vir et mulier fiant una caro, sanguis unius dicitur alterius sanguinem tangere; ac proinde consanguinei feminae redduntur propinqui seu affines viri in eo gradu in quo sunt consanguinei feminae; et mutua vice consanguinei viri fiunt affines feminae in eo gradu in quo sunt consanguinei viri [4].

2. Ad haec clarius ac plenius enucleanda animadvertendum est, triplex olim fuisse affinitatis genus, nempe *primum* una duntaxat media contrahebatur persona, ut ex. gr. si *Titius* frater *Caii* matrimonium iniisset et consummasset cum *Berta,* haec *Caii* affinis erat, sicuti nunc est. - *Alterum* genus affinitatis duabus mediis contrahebatur personis; ut si mortuo *Titio, Berta* matrimonio iungebatur cum *Sempronio, Sempronius,* alter *Bertae* maritus, tum *Caium,* tum omnes defuncti Titii consanguineos secundo affinitatis genere contingebat. - *Tertium* denique affinitatis genus tribus contrahebatur mediis personis. Ita

[1] Synod. Maronit. an. 1736 *loc. cit.*

[2] Papp-Szilàgyi *loc. cit.* § *113.*

[3] Vide Sanchez *lib. 7. disp. 64. n. 1.*

[4] Sanchez *loc. cit.* iuxta quod dicitur a Gregor. can. *fraternitatis 1. caus. 35. quaest. 10.*

si, mortua *Berta, Sempronius* aliud celebrasset cum *Naevia* coniugium, etiam cum hac et *Caius* et omnes *Titii* consanguinei tertio affinitatis genere iungebantur. Triplex autem hoc affinitatis genus matrimonium dirimebat [1]. – At Innocentius III secundum et tertium affinitatis genus, sacro approbante Lateranensi Concilio, abrogavit, solo retento primo affinitatis genere [2]. Hinc cum vitricus et *uxor* privigni secundo tantum et non primo affinitatis genere inter se coniungantur, sequitur, eos non impediri quominus validum possint inter se coniugium inire [3]. – Hinc etiam sequitur, ut quamvis consanguinei viri sint affines feminae ab eo carnaliter cognitae, non tamen sunt affines consanguineorum feminae et contra [4]. « Unde ab omnibus canonistis, instar regulae nullam habentis limitationem, usurpatur commune illud effatum: *Affinitas non parit affinitatem* » [5]. – Sequitur etiam, saltem veram et proprie dictam affinitatem non oriri ex matrimonio *rato* tantum; ex eo enim oritur quidem publicae honestatis impedimentum, non vero affinitatis, deficiente copula [6].

3. Affinitas autem oritur non solum ex copula *licita* scilicet coniugali, ut patet ex dictis, sed etiam ex *illicita* copula, nempe ex fornicatione, adulterio, incestu etc., ut certum imprimis est *ecclesiastico iure* [7], quo insuper declaratur ob eiusmodi affinitatem matrimonium dirimi. – At etiam *iure* ipso *naturae inspecto,* ideo per coniugalem copulam contrahitur affinitas, quia per eam coniuges fiunt

[1] Fuse haec explicat Sanchez *lib. 7. disp. 67.*

[2] Cfr. cap. *non debet 8. de consang. et affinit.*

[3] S. Congregat. Concilii ita declaravit die 8 martii 1721. Cfr. Benedictum XIV *de Synodo lib. 9. cap. 13;* — et eiusdem *Quaest. canonic. 166.*

[4] Habetur expresse in cap. *quod super his 5. de consang. et affinit.*

[5] Benedict. XIV *de Synodo cit. lib. 9. cap. 13. n. 2 in fine.*

[6] Sanchez *lib. 7. disp. 64. n. 25.* — Confirmatur ex iis quae definivit Pius V const. *Ad Romanam* an. 1568 super declar. Conc. Trident. *de impedim. affinit.*

[7] Cap. *discretionem 6. de eo qui cognovit consang. uxoris suae.*

una caro et unus sanguis. Atqui et per illicitam copulam fornicantes, adulteri, incestuosi aeque fiunt una caro, dicente Apostolo [1]: *Qui adhaeret meretrici* (scilicet per copulam) *efficitur unum corpus* [2]. Verum alii negant, *naturale* enasci affinitatis vinculum ex *illicita* copula [3].

Hisce positis, haec statuenda sunt principia:

4. *Primum:* Affinitas non contrahitur nisi per copulam *perfectam* et *consummatam,* seu talem quae per se apta sit generationi, quum per eiusmodi tantum copulam vir et mulier fiant una caro, unde affinitas oritur [4].

5. Consentiunt autem DD. in neganda affinitate si sola femina seminaverit; dissentiunt autem an oriatur affinitas si seminaverit solus vir. – Cuius quaestionis solutio dependet ex eo, ut definiatur num sola viri seminatio intra vas ordinarium sufficiat ad generationem prolis; an vero ad eam etiam feminae requiratur seminatio. Communior porro medicorum sententia tenet, primam sufficere; alii autem non improbabiliter sentiunt, requiri etiam feminae seminationem. Sanctus Thomas illorum suffragatur sententiae qui ad affinitatem, *uti matrimonii impedimentum,* decernendam exigunt actum utrinque perfectum [5]. – Ceterum quum agatur de matrimonii impedimento, ex generali principio definiendum foret, rem in iure esse dubiam, et ideo in eiusmodi imperfecti actus adiunctis impedimentum non adesse.

6. Pro praxi tamen in *foro externo,* cum de copula

[1] *I. Cor. 6.*

[2] Leurenius *lib. 4. tit. 14. quaest. 229. n. 1.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 65. n. 9.* — et cum eo De Lugo, Gonzalez, Navarrus aliique. — Consectaria porro quae ex hac oriuntur sententiarum probabilitate quo ad infideles qui ad fidem veniunt, vide apud cl. Ballerini in notis ad Theol. Moral. Gury, nota *b* ad *n. 813. tract. de matrim.*

[4] Sanchez *lib. 7. disp. 64. n. 8 et seqq.* — Pirhing *lib. 4. tit. 14. n. 22.*

[5] Cfr. S. Ligorium *lib. 6. n. 1075 et n. 1036.* ubi verba refert divi Thomae, et concludit, utramque oppositam sententiam esse probabilem.

constat, semper praesumendum est pro impedimento contracto. – Idem praesumendum etiam in *foro interno* cum de opposito non constat, quia prudenter iudicium elicitur ex communiter contingentibus. Contra si certo constet, seminationem alterutra ex parte non esse secutam, nequit in *foro conscientiae* pro impedimento sententia ferri [1].

7. Ad affinitatem autem contrahendam nihil interest an persona consenserit copulae, vel non consenserit: ita ut affinitas oriatur ex copula habita cum dormientè, ebria, amente, coacta, ignorante: quia uniones eiusmodi ad generationem sufficiunt; secus si copula haberetur cum mortua, quod idem foret ac haberetur cum ligno [2].

8. *Secundum:* Quemadmodum consanguinitas, ita et affinitas orta ex copula coniugali matrimonium olim dirimebat usque ad *septimum gradum* [3]. Nunc autem, ecclesiastici sanctione iuris, affinitas orta ex copula *licita* matrimonium dirimit usque ad *quartum gradum* inclusive [4]. – Ex copula autem *illicita* affinitas olim iure decretalium dirimebat uti ex licita usque ad quartum gradum [5]. Verum hodie ex novissimo Tridentini iure impedimentum affinitatis ex copula fornicaria seu illicita restrictum est ad *secundum gradum* inclusive [6].

9. Affinitas ex copula illicita ob eandem rationem et intra eundem secundum gradum ob quam et in quo dirimit matrimonium, *dirimit etiam sponsalia* contrahenda vel contracta de futuro [7]. Sponsalia namque de futuro sunt futurarum nuptiarum promissio. Affinitas autem proveniens ex fornicatione cum sponsae consanguinea in primo

[1] Cfr. Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 14. nn. 71–73.*

[2] Sanchez cit. *lib. 7. disp. 64. nn. 17–18.*

[3] Constat ex cap. *nullum* 7. et cap. *aequaliter 13. causa 35. quaest. 3.*

[4] Ex Concilio Lateranensi IV, ut ex cap. *non debet 8. de consang. et affinit.*

[5] Cit. cap. *non debet.*

[6] Conc. Trid. *sess. 24. cap. 4. de reformat. matrim.*

[7] Sanchez *lib. 7. disp. 67. n. 4;* — et ex eo Pirhing *lib. 4. tit. 13. de eo qui cognov. n. 21.*

vel secundo gradu impedit quominus possit eiusmodi impleri promissio, cum inter affines in gradu prohibito contrahi valide nequeat matrimonium.

10. Porro ex certa omnium sententia affinitas in *linea collàterali* seu *transversa* matrimonium dirimit *solo Ecclesiae iure.* Matrimonium namque vel in *primo* lineae transversae gradu contractum, scilicet cum uxore fratris aut cum sorore uxoris, quamvis, omnibus fatentibus, *naturalem* quandam praeseferat indecentiam, ita ut nonnisi urgenti causa permitti debeat, eiusmodi tamen indecentia tanti non est momenti, ut ob ipsam dicendum sit, Auctorem naturae, qua talem, denegasse affinibus potestatem contrahendi inter se matrimonium [1]. - Pluribus autem argumentis id Doctores probant. At factum sufficiat romanorum Pontificum, qui in primo affinitatis gradu lineae transversae passim dispensarunt [2].

11. Controvertitur autem utrum matrimonium in *primo affinitatis gradu* lineae *rectae,* nempe inter vitricum et privignam, novercam et privignum, socerum et nurum, socrum et generum sit *iure naturae* irritum, an vero *solo Ecclesiae iure.* Plures ac magni quidem nominis tum theologi tum iurisperiti universim negarunt, eiusmodi matrimonia cum primo affinitatis gradu lineae rectae inita, iure naturae esse irrita [3]; et hanc sententiam probabiliorem dicit

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 66. n. 11* cum communi.

[2] Quum Iulius II dispensaverit cum Henrico VIII Angliae rege, ut duceret Catharinam, quae fuerat Arturi fratris uxor, Henricus, ad prava dein consilia capienda, asseruit, suum cum Catharina coniugium *iure naturae* irritum fuisse ob affinitatem quam cum ea in primo gradu ante nuptias habebat; ac ideo inanem fuisse Pontificis dispensationem, et ita ab Ecclesia iudicandum ac declarandum esse contendit. — At vero Clemens VII, consultis hac de re celeberrimis catholici Orbis Universitatibus, et accuratissima adhibita deliberatione, apostolicis litteris declaravit validam et legitimam fuisse dispensationem, et consequenter validum ac firmum fuisse coniugium, quod Henricus cum Catharina, amoto auctoritate apostolica affinitatis impedimento, rite inierat.

[3] Hanc tenent sententiam D. Thomas, Caiet., Sanch., Henriq.,

Schmalzgrueber [1]. Haec enim affinitas non inducit ea, propter quae alias matrimonium iure naturae irritum est, et ab Auctore naturae humano non concessum generi censetur [2].

12. Hinc quaesitum fuit an in primo affinitatis gradu lineae rectae summus Pontifex dispensare possit pro nuptiis contrahendis. – Et patroni illius sententiae quae docet, eiusmodi nuptias prohibitas esse videri de iure naturae, dispensare non posse tenuerunt. Contrariae vero sententiae Doctores, pluribus allatis gravibusque rationibus, docuerunt, romanum Pontificem plenaria pollere dispensandi potestate in primo affinitatis lineae rectae gradu: quam sententiam *veriorem* esse dicit Rigantius [3]. Id autem colligit tum ex Concilio Agathensi, quod toleranda censuit et non dissolvenda coniugia inita cum noverca vel privigna; tum ex Concilio Aurelianensi III « in quo decretum fuit, ut infideles conversi ad fidem non separentur » [4] quamvis in eiusmodi gradu matrimonium contraxerint. – Hanc eandem sententiam, de potestate Pontificis in primo affinitatis lineae rectae gradu dispensandi, secuta est sacra Congregatio S. Inquisitionis et alia particularis Congregatio habita coram Benedicto XIII, ut Rigantius itidem refert [5].

13. At vero perpendentes romani Pontifices quod privigna respectu vitrici, privignus respectu novercae, nurus respectu soceri, gener respectu socrus, filiorum loco habiti sunt, unde ex nuptiali eorum coniunctione oriretur maxima quidem et publica cum scandalo turpitudo atque indecentia, quam et ipsum civile ius agnovit dum nuptias inter eas personas celebrari prohibuit: hinc quamvis pluries enixe rogati, ab eiusmodi dispensatione concedenda se abstinue-

Pont., Rebell., Castrop. etc. citati a Leurenio *lib. 4. tit. 14. quaestion. 231. n. 2.*

[1] Cfr. Schmalzgr. *lib. 4. tit. 14. n. 103.*

[2] Ita Castrop. citatus a Leurenio *l. c.*

[3] Rigant. *ad regul. 49 Cancellar. Apost. n. 20 et seqq.*

[4] Rigantius *loc. cit.*

[5] *Ibidem.*

runt, quoties affinitas ex legitimo orta fuerat matrimonio [1]. Hoc enim, ut notat divus Thomas « affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium *naturale* est » [2].

14. Contra vero haud raro apostolica Sedes dispensavit in primo affinitatis gradu lineae rectae, quando eiusmodi affinitas ex copula oritur *fornicaria:* « quam dispensationem, ut Rigantius testatur, *prae ceteris* indulsit s. m. Clemens XI in Mazarien. apud s. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die 13 iulii 1708, et in Faraonen. apud s. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die 5 augusti 1709 » [3]. Nedum ergo in interno, sed etiam in externo foro consuevit aliquando apostolica Sedes dispensare. - Huius autem diversae praxis ratio per se patet. Cum enim affinitas ex actu fornicario non ita perfecta sit uti ea quae ex legitimo et consummato provenit matrimonio, quum ut nuper notatum est, in illo unio tantum corporum, in isto autem societas etiam habeatur in communem vitam, ita ut privignus, privigna, gener et nurus loco parentum habuerint et recognoverint vitricum, novercam, socerum, socrum, hinc non expedit ut Papa dispenset, ne publica oriatur indecentia et publicum scandalum. - At contra neque indecentia neque scandalum oritur quum Ecclesia indulget, ut quis possit ducere Bertam, exempli gratia, cuius ille matrem fornicarie cognoverat, quia Berta fornicarium illum nec loco patris habuit, nec in patrem recognovit [4]; dummodo tamen periculum caveatur ne propriam filiam in

[1] Cfr. Rigantium *loc. cit.* ubi *nn. 25-27* exempla ac testimonia in medium affert denegatae huius dispensationis ab apostolica Sede, suffragantibus magni nominis viris, quos inter eminebant Cardinalis *De Lugo* et *Lambertinius,* postea Benedictus XIV, qui censuerunt, romanum Pontificem posse quidem dispensare, sed non expedire ob maximam illius coniunctionis turpitudinem. — Idipsum testatur idem Benedict. XIV in Op. *de Synodo lib. 9. cap. 13. n. 4.*

[2] S. Thomas *in 4. disp. 41. Q. 1. art. 1. q. 4. ad 2.*

[3] Rigantius *l. c. n. 28.*

[4] Rigantius *l. c. n. 29.*

matrimonium ducat, uti evenire posset si copula cum matre nativitatem filiae praecessit.

15. *Tertium* principium: Affinitas inter coniuges contracta ex incestuosa copula cum consanguinea uxoris vel cum consanguineo viri, matrimonium ipsorum dirimere nequit, cum huic indissolubiliter iam inito superveniat; eiusdem tamen usum impedit in poenam coniugis incestuosi: scilicet coniux incestuosus, non autem innocens, privatur iure petendi debitum [1]. – Haec autem affinitas cum oriatur ex illicita copula, hinc vi citati tridentini decreti [2] contrahitur tantum ex copula cum consanguineis alterius coniugis in *primo* et *secundo gradu*, et ad hunc gradum restringitur consequens petendi debitum privatio [3].

16. In *Ecclesia Orientali* quoad affinitatis impedimentum praescriptiones legis civilis in usu sunt. Sic noverca nequit ei nubere, qui privignae suae maritus fuit. Accedunt praescriptiones Sisinii Patriarchae plura ob affinitatis affinitatem coniugia vetantis; sic vetuit ne duo fratres duas ducant consobrinas, nedum sorores. Nuptiae sexti ac septimi gradus vetantur si aliqua emergat quoad generis appellationes confusio. – Apud Graecos obtinet etiam affinitas ex tribus descriptis affinitatis generibus; sed impedimenta quae ex secundo et tertio affinitatis genere oriuntur, uti impedientia magis quam dirimentia haberi videntur [4].

17. Quidquid tamen sit de ceteris Orientalium Ecclesiis, saepius laudata *Maronitarum Synodus* libanensis haec de affinitate decrevit: « Quum gradus consanguinitatis ad quartum inclusive quoad Latinos in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, et ad septimam personam quoad Orien-

[1] Constat ex pluribus iuris canonici locis, praesertim ex cap. *si quis 1. de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae.*

[2] Trident. *sess. 24. cap. 4. de refor. matrim.*

[3] Sanchez *lib. 9. disp. 27. n. 14,* aliique; et confirmatur ex declaratione expressa Gregorii XIII ex sententia Congreg. Concil. apud S. Ligor. *de matrim. n. 1070.* — Limitationes huius poenae videri possunt apud Leurenium *lib. 4. tit. 14. quaest. 234. n. 2;* et quod attinet ad coniugem *innocentem n. 3.*

[4] Cfr. Papp-Szilàgyi *loc. cit.* § *115.*

tales redacti fuerint, consequens est, ut ad eum quoque gradum seu personas, affinitatis quoque gradus extenderetur. Sed nos statutum sacrosancti Lateranensis Concilii, cui Patriarcha noster Hieremias interfuit, in praedicto quarto affinitatis gradu observamus; adeoque declaramus, quod etiamsi in iure orientali prohibitum sit, ut pater et filius cum matre eiusque filia contrahant, aut duo fratres cum duabus sororibus, sacrosanctae tamen Romanae Ecclesiae morem sequentes matrimonia huiusmodi tanquam licita approbamus. Affinitas enim non est inter cognatos contrahentium, sed inter unum contrahentem et cognatos alterius contrahentis. Impedimentum vero quod propter affinitatem ex *fornicatione* contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui primo et secundo gradu coniunguntur restringit sancta Synodus Tridentina [1], in ulterioribus vero gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contraçtum non dirimere » [2].

ARTICULUS III.

De publicae honestatis impedimento, - ac de recenti quaestione, an hoc impedimentum oriatur etiam ex matrimonio civili; - atque de alia, an oriatur ex incertis vel sub conditione celebratis sponsalibus et matrimoniis.

1. *Publica honestas* est propinquitas seu quaedam quasi affinitas, quae per coniunctionem non corporum sed animorum oritur tum ex *sponsalibus* inter unum sponsum et consanguineos alterius, tum ex *matrimonio rato* inter unum coniugem et alterius consanguineos.

2. Non quidem naturali, sed solo *ecclesiastico iure* eiusmodi impedimentum dirimit matrimonium, ut omnes fatentur [3]. - Constituitur autem pluribus canonici iuris capi-

[1] *Sess. 24. de reform. matrim. cap. 4.*

[2] Synodus provinc. libanenis, an. 1736, *part. 2. cap. 11.* § *8. n. 5. pag. 77.* cit. edit.

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 68. nn. 1-2. et disp. 70. n. 2.*

tibus [1], quae quamvis illud ex sponsalibus oriri decernant, ita tamen canonici iuris sanctiones a Doctoribus accipiuntur, ut argumento *a fortiori* illud per eas induci colligant nedum *ex sponsalibus de futuro,* sed eo vel magis ex *matrimonio rato* seu *sponsalibus de praesenti.* Vinculum enim quod exurgit ex matrimonio rato fortius quidem est quam quod ex sponsalibus oritur. Aequum ergo fuit, ut cum ex sponsalibus de futuro inducatur impedimentum, *a fortiori* induceretur ex sponsalibus de praesenti [2]. Atqui ex matrimonio rato vera non exurgit affinitas [3]; ex eo igitur iustitiae publicae honestatis impedimentum saltem orietur.

3. At vero inquirendum est ad quem usque gradum publicae honestatis impedimentum dirimat matrimonium. Quocirca statuenda haec sunt:

4. *Primum:* Publicae honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus tum de futuro, tum de praesenti, vel etiam invalidis, dummodo invalidis non ex defectu consensus vel ex priore publicae honestatis impedimento orto ex sponsalibus valide contractis [4], *antiquo iure* matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum. Ita enim iura loquuntur, ut illud ad consanguineos extendi dicant. Atqui post Innocentium III [5] consanguinei dicuntur omnes et soli qui intra quartum constituuntur gradum.

5. *Secundum:* Novo *Tridentini iure* honestas publica ex *sponsalibus validis* orta matrimonium dirimit usque ad *primum* dumtaxat *gradum.* Sic enim ea Synodus decrevit: « Iustitiae publicae honestatis impedimentum, ubi spon-

[1] Constat ex cap. *iuvenis 3.* cap. *ad audientiam 4.* cap. *sponsam 8. de sponsalibus et matrimonio;* — et praesertim cap. unic. *de sponsalibus et matrimonio in 6.* — Item ex Tridentino *sess. 24. cap. 3. de reformat. matrim.*

[2] Cfr. Sanchez *lib. 7. disp. 70. n. 1.*

[3] Constat praesertim ex declaratione S. Pii V in Const. *Ad Romanum* 1 iulii 1568. — Cfr. etiam Benedict. XIV *quaest. canon. 291*

[4] Constat. ex cap. unic. § *1. de sponsal. et matrim.. in 6.*

[5] Cap. *non debet 8. de consanguinitate et affinitate.*

salia *quacumque ratione* valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant » [1].

Honestas publica orta ex *matrimonio rato* dirimit adhuc matrimonium iuxta antiquum ius *ad quartum gradum* inclusive. Synodi enim Tridentinae restrictio sponsalia tantum de futuro, non vero matrimonium comprehendit, quemadmodum declaravit Pius V his verbis: « Nos itaque....... attendentes, quod sponsalium appellatione, qua dictum Concilium *(Tridentinum)* utitur, non nisi improprie matrimonium verbis de praesenti conceptis contractum continetur,.... idcirco... declaramus ac definimus, decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum *in omnibus illis casibus et gradibus,* quibus de *iure veteri* ante praedictum decretum Concilii introductum erat » [2].

6. Hinc publicae honestatis impedimentum oritur adhuc hodie ex matrimonio etiam *invalido,* quia ante Concilium Tridentinum honestas ex huiusmodi etiam matrimonio oriebatur.

7. Et quamvis inter Doctores disceptatum fuerit, an praedictum oriatur impedimentum ex matrimonio rato et non consummato, sed contracto sine praesentia parochi et testium seu *clandestino,* communior tamen ac verior, ut eam Ligorius appellat [3], sententia est contra Sanchez aliosque [4], quod ex eiusmodi etiam matrimonio ob clandestinitatem invalido oriatur publicae honestatis impedimentum, quia licet illud nullum sit ex defectu formae a Tridentino praescriptae, non est tamen invalidum ex defectu consensus [5]. – Plures autem Doctores citati a Leu-

[1] Concil. Trid. *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 3.*

[2] Cit. Const. *Ad Romanum.* – Vide Sanchez *lib. 7. d. 70. n. 5.*

[3] S. Ligorius, *Theolog. moral. lib. 6. de matrimonio, n. 1064.*

[4] Sanchez *lib. 7. disp. 70. n. 13.*

[5] Vide Benedict. XIV *quaest. canonic. 291.* § *ultimum est.*

renio [1] testantur, ita fuisse a Sacra Congregatione decisum: « Praesupposita declaratione per Constitutionem Pii V super hoc decreto *(scilicet sess. 24. c. 3. de reformat. matrim.)* censuit Congregatio oriri impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus *per verba de praesenti etiam nulliter contractis* omissa forma Tridentini sess. 24. c. 1. ».

Excipe tamen eosdem casus a iure antiquo decretalium pro sponsalibus notatos, nempe 1° si oriatur invaliditas *ex defectu consensus*, ut si matrimonium ex errore, vel ex metu, aut ficto consensu initum fuerit; – 2° si invaliditas matrimonii profluat ex *priore* publicae honestatis impedimento, orto ex *sponsalibus valide contractis*; secus enim alterum induceretur impedimentum in praeiudicium priorum sponsalium, et esset *retroactivum*, contra expressam Bonifacii VIII definitionem [2]. – Hinc si Caius v. gr. sponsalia valide inierit cum Sempronia, ac dein relicta sponsa matrimonium cum eiusdem sorore contraxerit, ad Semproniam redire potest, imo debet [3]; nec ulla indiget dispensatione, nisi ex copula cum praesumpta coniuge affinitatem cum Sempronia contraxerit.

8. Haec explorata quidem sunt. At vero inter recentiores et in praesentiarum acriter disceptatum est, an ex *matrimonio civili*, ut illud appellant, seu inito coram civili magistratu, enascatur publicae honestatis impedimentum. – In qua quaestione, uti veteres theologi et canonistae in varias abierunt sententias de publicae honestatis impedimento disceptantes, an istud videlicet ex *clandestino* oriretur coniugio; ita et recentiores, an ex *civili*. Alii enim ex his nuper apud S. Congregationem Concilii de hac disceptantes quaestione affirmabant, alii negabant, alii vero distinguebant quidem, et tamen pro negativa apostolicae Sedis declaratione suffragabantur. Et videbatur quod non una eademque esset ipsarum sacrarum Urbis Congregationum opinio.

[1] Leurenius *lib. 4. tit. 1. quaest. III. n. 3.*

[2] Cap. unic. *ex sponsalibus, de sponsalibus in 6.* — Cfr. Leurenium *loc. cit.*

[3] Cit. cap. *ex sponsalibus, de sponsal. in 6.*

9. En itaque potiorum summa rationum, quas in medium proferebant patroni primae sententiae, quae affirmat, enasci ex matrimonio *civili* publicae honestatis impedimentum.

Communior veterum Doctorum sententia est, ex *clandestino* coniugio impedimentum publicae honestatis enasci, ut nuper vidimus. Hanc autem sententiam tum extrinsecis, tum intrinsecis argumentis fulciri contendebant. – Hanc eandem sententiam confirmari vel ab ipsa pene quotidiana praxi sacrae Poenitentiariae, quae invalida *clandestina* matrimonia *sanare* solet *in radice:* quae sanatio, docente Benedicto XIV, locum habere potest « quando matrimonium fuerit *de facto* contractum, et intercesserit affectus maritalis una cum *consensu naturali* » [1] atque unio habeat « extrinsecam speciem *iusti matrimonii,* neque copula fuerit *manifeste fornicaria* » [2].

Iam vero matrimonium *civile,* quod malo fato in morum christianorum cladem [3], impiorum molimine [4] alicubi olim invectum, ac nostris hisce temporibus fere ubique gentium sancitum, aequiparandum esse aiebant *clandestino* matrimonio quoties contrahentes vel errore ducti, vel in spretum ecclesiasticorum canonum animo statutum habeant, solo actu civili vere matrimonium inire. Ultro enim fatebantur, nullam matrimonii speciem nullumque naturalem ad matrimonium consensum haberi si contrahentes nihil aliud vellent ac intelligerent, quam civilem peragere caerimoniam. – In priori ergo hypothesi matrimonium civile aequiparandum est clandestino coniugio. In *civili* siquidem *foedere* extat *serius contrahentium naturalis consensus et species matrimonii de facto initi,* quod nemine refragante validum quidem est ubi tridentinum

[1] Benedict. XIV *quaest. canon. 74.* § *cumque.*

[2] Idem *de Synodo lib. 15. cap. 21. n. 7.*

[3] Cfr. doctissimam SSmi D. N. Leonis PP. XIII epistolam encyclicam, quae incipit: *Arcanum divinae sapientiae consilium,* datam die 10 februarii an. 1880.

[4] Vide Perrone: *De matrimonio christiano lib. 1. sect. 2. cap. 2. de matrimonii civilis origine et progressu.*

de clandestinitate decretum non est publicatum vel non viget; et irritum est ubi viget. - Cum igitur matrimonium civile non sit irritum ex naturalis defectu consensus, sed alio ex capite, scilicet ex defectu formae ab Ecclesia praescriptae, hinc publicae honestatis impedimentum ex eiusmodi matrimonio oriri dicendum est. - Urgebant autem argumentum, ut pro *clandestini efficacia* ad impedimentum gignendum, ex eo quod notissimum sit, Ecclesiam per idem sacrum Poenitentiariae tribunal passim *convalidare,* ope dispensationis *in radice,* matrimonia etiam *civilia.* - Atqui dispensare seu sanare nequiret Ecclesia coniugii *radicem* seu *naturalem consensum,* qui saltem ab initio haud extaret, et nisi huiusmodi coniunctio coniugum *speciem haberet extrinsecam iusti matrimonii de facto initi,* et nisi coniunctio *non esset manifeste fornicaria,* ut de clandestinis nuptiis docet Benedictus XIV; - haec igitur omnia, quae *clandestini* coniugii propria sunt, in matrimonio etiam *civili* supponit Ecclesia dum illud in radice sanat. - At certum est ex decretalium iure, per Tridentinum quoad hoc non innovato, oriri honestatis publicae impedimentum ex matrimonio etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus; - ergo ex matrimonio *civili* tanquam ex *clandestino* oritur iustitiae publicae honestatis impedimentum.

Hinc si Titius ex. gr. matrimonium in faciem Ecclesiae initurus, illud coram civili magistratu celebret cum Berta, quae paternae restituta domui moritur, Titius non posset, iuxta hanc sententiam, Bertae sororem ducere, refragante publicae honestatis impedimento.

10. Aliter tamen sentiebant oppositae sententiae patroni, propugnantes ex civili coniugio, nullum enasci iustitiae publicae honestatis impedimentum. Potiora autem ab ipsis fuse elucubrata rationum momenta ita breviter exponi possunt.

Matrimonium civile non aliter gignere posset iustitiae publicae honestatis impedimentum inter unum contrahentem et alterius consanguineos, quam ob horum alterutrum: Vel nempe 1° ex eo quod matrimonium civile *vim* habeat

sponsalium aut in sponsalia de futuro resolvatur, ex quibus publicae honestatis impedimentum enascitur ac dirimens matrimonium usque ad primum gradum; - vel 2° ex eo quod matrimonium civile spectandum sit uti matrimonium *clandestinum*, ex quo impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum oriri communior DD. sententia docet, ut nuper diximus. - Sed neutrum dici posse aiebant huius sententiae patroni.

11. Et *primo* quidem dici nequit, matrimonium civile vim habere sponsalium vel in sponsalia transire. Ut enim animadvertit Lambertinius [1]: « Assensus de futuro non « autem de praesenti sponsalia constituit. Sic ea definivit « Nicolaus Pontifex cum Bulgaris consilium petentibus re« sponsum ferret: *Sunt futurarum nuptiarum promissio* [2]. « Idem docet S. Thomas » [3]. Et contraria sententia ab eodem appellatur *nova insania, quae vel ab ignorantia vel a malitia proficiscitur*, eidemque sententiae *nusquam autem propositae, falsae doctrinae* notam inurit [4]. Ceterum pluribus S. C. Concilii resolutionibus declaratum fuit, matrimonia de praesenti nulla ex defectu formae a Tridentina Synodo praescriptae, *nec vim habere sponsalium, nec in sponsalia transire* [5]. Excipe matrimonium impuberum per verba de praesenti initum, quod non per se, sed ex dispositionibus iuris communis, uti ex decretali Bonifacii VIII [6], transit in sponsalia de futuro, quemadmodum docuit S. C. Concilii [7], servatis tamen de iure ser-

[1] Benedict. XIV *Institut. eccles. 46. n. 23.*

[2] Ex can. *nostrates 3. caus. 30. quaest. 5;* — sed vide cit. Opusc. *Responsa Nicolai I ad consulta Bulgarorum, cap. 3.* ubi *pag. 5* legitur: *Sponsalia, quae futurarum sunt nuptiarum promissa foedera.*

[3] Citatur a Lambertinio in d. *Instit. eccles. 46. n. 23.*

[4] In cit. *Instit. 46. n. 23.*

[5] Harum quasdam resolutionum refert Benedict. XIV cit. Instit. eodem numer. Aliae citantur in Ephemeride cui titulus: *Acta Sanctae Sedis, vol. 12. pag. 166.*

[6] Cap. unic. § *idem quoque, de desponsat. impuberum in 6.*

[7] In *Viterbien. mense iulii 1587, lib. 5. decret. pag. 3;* — in *Nullius 27 martii 1596.*

vandis. — Matrimonium ergo civile publicae honestatis impedimentum inducere nequit ex primo capite, ratione nempe sponsalium.

12. Sed neque ex alio capite, quod nempe civile coniugium spectandum sit tanquam matrimonium *clandestinum*, ex quo publicae honestatis impedimentum oritur iuxta communiorem DD. sententiam.

Missum enim facientes, quod plures et non infimae notae Scriptores veteres, quos inter eminet Sanchez, negant ex *clandestino* coniugio, ubi scilicet lex tridentina viget, publicae honestatis impedimentum oriri; – atque insuper, quod valde dubitare fas est de authenticitate resolutionum S. C. Concilii quae pro affirmante sententia in medium afferuntur, quum nusquam reperiri potuerint in eiusdem S. C. regestis, neque a Benedicto XIV citentur in causa quadam [1] cui plurimum profuisset: haec inquam missa facientes, ita ratiocinabantur.

13. Dato etiam quod ex *clandestinis* nuptiis impedimentum publicae honestatis oriatur, inquirendum superest 1° an matrimonium *civile* sit revera *in sensu Ecclesiae clandestinum;* – et 2° an ex hoc supposito clandestino matrimonio, civilis caerimoniae occasione inito, oriri queat publicae honestatis impedimentum.

14. Et quod ad primam attinet quaestionem, animadvertendum est, matrimonium civile, quantum ad christifideles, qui legum necessitati parere coguntur ne eorum sacrum ac verum iugale foedus civilibus careat effectibus ingenti familiae ac bonorum fortunae damno, *licitum* omnino esse. Constat ex declaratione S. C. supremae et universalis inquisitionis [2], quam declarationem ingeminat et confirmat Benedictus XIV [3]. Idem docuit Pius VI [4]. Sacra autem Poenitentiaria iussu Pii IX, posita legis necessitate, declaravit *opportunum* et *expediens* esse inire, praeter ve-

[1] Cui titulus: *Dubium matrimonii 21 nov. 1721.*
[2] *Die 29 nov. 1672.*
[3] Const. *Inter omnigenas* § *10;* et *de Synodo l. 6. c. 7. n. 2.*
[4] Literis *perlatae sunt, 28 maii 1793* ad Episcop. Lucionen.

rum matrimonium, etiam civile [1]. In pluribus etiam provincialibus Synodis, ad maiora mala vitanda, illud vel permittitur vel etiam praescribitur.

Cum igitur caerimonia seu matrimonium civile *licitum* sit, sponte sequitur, illud in *sensu Ecclesiae* non esse matrimonium *clandestinum,* quod *illicitum* profecto est, districte prohibitum [2] gravibusque poenis subiectum.

15. Ex hac autem conclusione atque ex aliis, quas afferebant, rationibus confici animadvertebant etiam opinionem illorum qui distinguentes asserebant, *clandestinitatem* eiusmodi in matrimonio civili admittendam esse quando agentes ex errore vel malitia verum coniugium per civilem caerimoniam perficere intendant; secus excludendam esse.

16. Praeterea ut matrimonium civile sponsalia praeseferat vel matrimonium clandestinum, ita ut impedimentum pariat publicae honestatis, considerari nequit illud civile coniugium tanquam actus humanus et moralis, qui ab intellectu et voluntate pendet agentis, sed tanquam *actus stricte iuridicus,* qui nedum *iuridicam indolem ecclesiasticam sponsalium et clandestini matrimonii* induere valeat, sed etiam *effectum gignere mere iuridicum,* praedictum scilicet *impedimentum,* quod ab uno ecclesiastico positivo iure procedit et pendet. - Iam vero quid est matrimonium civile coram Ecclesia? Sacra Poenitentiaria de mandato Pii IX declaravit, *actum illum coram Deo et Ecclesia nullo in pretio habendum esse, neque ratione sacramenti, neque ratione contractus* [3]; - ex declarationibus autem Benedicti XIV, Pii VI et eiusdem Pii IX in eadem instructione matrimonium civile nihil aliud est quam *caerimonia et actus mere civilis;* atque ideo eiusmodi actus neque sponsalibus aequiparandus est, quippe quae *matrimonii sacramentalia* a D. Thoma nuncupantur, neque constituere posset matrimonium clandestinum, quod est grave facinus gravibusque poenis obnoxium; atque insuper tam sponsa

[1] S. Poenitent. *Instruct. diei 15 ianuar. 1866.*
[2] Trid. *sess. 24. de reformat. matr. cap. 1.*
[3] Cit. *Instruct.*

lia de futuro ineundo coniugio, quam iugalia de praesenti foedera, ecclesiasticae subsunt iurisdictioni, et oppositum asserentes incidunt in propositiones ab Ecclesia damnatas [1]. Hinc patet ex hoc actu mere civili procedere non posse effectum mere ecclesiasticum qualis foret publicae honestatis impedimentum, quippe cum natura causae nullo pacto congrueret.

17. Atque ita altera ex duabus praemissis quaestionibus praeoccupabatur: an scilicet, etsi civilis eiusmodi actus esset matrimonium *in sensu Ecclesiae clandestinum,* oriri posset ex eo iustitiae publicae honestatis impedimentum.

Atque ex dictis iam videbatur oriri non posse. – Confirmari id autem aiebant vel ex eo quod clandestinum coniugium constitui certe nequiret ab externa actus civilis forma, quae nec directam nec necessariam habet connexionem cum interno consensu contrahendi de praesenti, imo regulariter eiusmodi consensum excludit, ac propterea dicta forma cum vero matrimonio celebrato vel mox celebrando plane consistit. Secus enim ratione formae tenendum foret, illum actum civilem esse semper matrimonium clandestinum, quod nemo cordatus admitteret. Hinc matrimonium clandestinum in iis tantum casibus omnino rarioribus per civilem illam caerimoniam haberetur, in quibus agentes intenderent verum celebrare coniugium; ac proinde matrimonium clandestinum in casibus particularibus ab intentione et voluntate unice penderet agentium, esset occultum, soli Deo notum, atque tale ut omnes iuris praesumptiones contra illud conspirarent.

Porro ex matrimonio clandestino *occulto* nequit impedimentum publicae honestatis oriri, quae in *externa* humanae opinionis *decentia* consistit, ut ex decretali Eugenii eruitur [2] ac docent passim Doctores [3].

[1] In Bulla *Auctorem fidei* sub *n. 58.* et in Encyclica *Quanta cura,* cum *Syllabo* Pii IX sub *n. 74,* quas refert Gury-Ballerini *theolog. moral.* initio *tomi I.*

[2] Cap. *iuvenis 3. de sponsalibus et matrimonio.*

[3] V. Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 68. n. 16;* — Pitonium *discep. eccl. 52. n. 96. et seqq.*

18. Solidior autem erat diluenda ratio seu difficultas, quam contrariae sententiae patroni ducebant ex praxi Ecclesiae, quae *civilia* etiam matrimonia *sanare in radice* solet. - Cui difficultati respondebant, distinguendum esse inter generalem regulam et casus particulares in eiusmodi Ecclesiae praxi. Ex generali regula sanatio in radice requirit, ut matrimonium sanandum 1° extrinsecam speciem praeseferat *iusti matrimonii,* 2° sit tamen nullum ob impedimentum *iuris mere ecclesiastici,* 3°. copula non fuerit *manifeste fornicaria* [1]. - Matrimonium porro civile, prout est, nedum speciem non perhibet *iusti matrimonii,* sed insuper copula *manifestissime fornicaria* est, cum eiusmodi coniunctio declarata fuerit turpis atque exitialis concubinatus. Pro regula itaque generali dicendum videbatur, matrimonium *civile,* uti tale, *non sanari in radice.* - In casibus tamen particularibus eiusmodi congruere possunt rerum adiuncta, quemadmodum sub fine praecedentis seculi contigit in Galliis, ut matrimonium habeatur putativum, quo contrahentes elementum naturale, mutuum nempe deliberatumque consensum ponant; quo posito, si ob graves quae urgeant causas, et constet de perseverantia consensus [2] Summus Pontifex tridentinae deroget legi, tunc elementum illud naturale, quod per se nullius erat valoris tum ob tridentinam legem clandestinas irritantem nuptias, tum quia sub civilis matrimonii forma ab Ecclesia nullo pacto recognoscitur, tunc, inquam, elementum illud naturale suas exerit vires; et si effectus huius derogationis seu dispensationis retrotrahitur ad initium emissi consensus, scilicet « non sane agendo ut matrimonium nulliter contractum, non ita contractum fuerit; sed effectus illos de medio tollendo, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem *(et in casu ob nullum naturalis elementi valorem)*, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu *(sub dicta non agnita forma)* producti fue-

[1] Benedictus XIV *de Synodo lib. 13. cap. 21. n. 7.*

[2] Hanc consensus perseverantiam S. Poenitentiaria in eiusmodi dispensationibus sedulo attendit.

runt » [1] habetur *sanatio in radice*. - Ex his tamen nihil inferri potest, subdebant, favore figurae matrimonialis in actu seu caerimonia civili: nisi enim praedicta accederet Ecclesiae recognitio ac dispensatio, consensus maneret actus seu caerimonia mere civilis, quae ad effectum ecclesiasticum, qualis est publicae honestatis impedimentum, gignendum erat omnino impar.

19. His aliisque omnibus maturo consilio perpensis, ac proposito dubio: *An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis,* - S. C. Concilii die 13 martii 1879 respondit: *Negative; et consulendum SSmo, ut id declarare ac statuere dignetur.*

Peracta autem de his omnibus relatione summo Pontifici Leoni XIII a Secretario eiusdem S. C. die 17 eiusdem mensis, Sanctitas Sua resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit, ac decretum fieri iussit [2]. - *Decretum* autem huiusmodi ex prudenti quidem, ut reor, provisione retardatum, tandem in lucem prodiit hisce concinnatum verbis:

« Postquam laici legumlatores, praeter civiles ac politicos matrimonii effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari praesumpsere matrimoniale foedus, quod a Deo auctore naturae, ante omnem civilis societatis existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem Sacramenti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum, quamlibet politicam et civilem iurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postularunt, an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii nomen, impedimentum iustitiae publicae honestatis oriatur. Quae postulationes cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit, ut huiusmodi negotium a S. Congregatione Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium

[1] Benedictus XIV *de Synodo lib. 13. cap. 21. n. 7.*

[2] Cfr. cit. Ephemeridem inscriptam: *Acta S. Sedis in compendium redacta, vol. 12. a pag. 147 ad pag. 177*, ubi haec et alia enucleantur argumenta, et iis, quae invicem contra obiiciuntur, responsum datur.

« Concilii Tridentini interpretum rite ac sedulo expende- « retur. Sacra autem Congregatio, exquisitis virorum in « theologicis et canonicis disciplinis peritorum consultatio- « nibus, ac re mature discussa in generali comitio diei « 13 martii 1879 propositae dubii formulae - *An actus, qui « vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum « iustitiae publicae honestatis* - rescripsit - *Negative; et « consulendum SSmo, ut id declarare ac statuere digne- « tur.* - Quapropter SSmus Dnus noster Leo Papa XIII « audita universa rei relatione in audientia diei 17 eiusdem « mensis in vota S. C. concedens, per praesens decretum « declarat, ac statuit, praememoratum actum, qui vulgo « dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum « est decretum Concilii Tridentini *sess. XXIV cap. 1 de « reformat. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes « intendant, uti par est, (matrimonio ecclesiastico iam rite « celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) « meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant « sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut « in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimo- « nium de praesenti contrahere, impedimentum publicae « honestatis non producere. Atque ita etc. » [1].

20. His quaestionibus absolutis, reliquum est, ut aliquid dicatur de sponsalibus *incertis* ac de sponsalibus et matrimoniis *sub conditione* initis, quoad iustitiae publicae honestatis impedimentum, deque huius *perpetuitate.*

Incerta itaque ac *indeterminata* sponsalia impedimentum publicae honestatis non pariunt. Hinc si quis v. gr. promiserit, se ducturum unam ex filiabus Caii, et hae omnes consenserint, nullum inde oritur honestatis impedimentum, cum Bonifacius loquatur de sponsalibus *certis* ac determinate initis [2]. Quia sicut matrimonium debet necessario iniri cum determinata persona, ita et sponsalia, quae sunt eius initium [3].

[1] Ex cit. Ephemeride, *vol. 13. pag. 126.*

[2] Cit. cap. unic. *de sponsalibus in 6.*

[3] Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 37. notand. 7.* — Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 26. n. 1. et lib. 7. disp. 69. n. 1.*

21. Quod attinet ad sponsalia vel etiam matrimonia inita sub *conditione de futuro,* cum conditio suspendat consensum usque ad conditionis eventum, efficit ne sponsalia vel matrimonium ante conditionis adventum effectum valoris habeant ex defectu consensus; ac proinde tum antiquo, tum novo Tridentini iure non inducunt publicae honestatis impedimentum. Statim ac autem impleta fuerit conditio, hoc oritur impedimentum, quia vel ex eo sponsalia evadunt pura, absoluta et valida. - Quare si quis sponsalia cum aliqua muliere *sub conditione* contraxit, et postea ante conditionis eventum contrahat per verba *de praesenti* cum illius sorore; *cum* hac *secunda remanere debebit* [1], quum validum sit eorum coniugium. - Si quis vero post contracta *conditionate* sponsalia de futuro cum Titia, *nova* etiam de futuro sponsalia quamvis absoluta cum eius sorore contrahat ante conditionis eventum, nulla ex secundis sponsalibus oritur publicae honestatis iustitia, cum haec invalida sint ex ea ratione quod priora sponsalia obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem nequit sponsus rem uni sub conditione promissam tradere absolute alteri; et ideo poterit, ac post conditionis eventum debebit Titiam ducere, non eiusdem sororem.

Quod si conditio sit *de praesenti* vel *de praeterito,* statim oritur publicae honestatis iustitia, si conditio vera sit.

Si autem conditio sit *de futuro impossibili* aut *turpi,* ita tamen ut non sit contra matrimonii substantiam, conditio habetur pro non adiecta, atque ex sponsalibus tamquam puris et absolutis impedimentum oritur [2].

22. Semel autem ortum publicae honestatis impedimentum, *perpetuo durat.* Quare si sponsa v. gr. moriatur, aut ingrediatur religionem, non poterit sponsus cum consanguineis sponsae intra gradus ex publicae honestatis iustitia prohibitos contrahere [3]. - Idem dicendum etiam si spon-

[1] Ita Bonifacius VIII in citata decretali *ex sponsalibus,* § *ille vero.*

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 69. n. 2 et seqq.* — Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 38.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 68. nn. 20-21,* aliique plures.

salia mutuo partium dissolvantur consensu, dummodo ab initio valida fuerint, iuxta resolutionem S. C. Concilii ab Alexandro VII approbatam die 10 iulii 1658 apud Fagnanum [1]; quidquid alii aliter sentiant [2].

23. Ad *Ecclesiam Orientalem* quod attinet, de hoc impedimento scribit Blastaris: « In nuptiis contrahendis non solum quid permissum sit consideramus, verum et quid sit *honestum* ». Quare « ubi perfecta sunt *sponsalia,* licet antequam cum desponsata sibi vir coeat per mortem ab ea diremptus fuerit, ne laicus quidem ducere potest vel consobrinam eius, vel aliam personam cognatam lege prohibitam » [3]. - Synodus autem provincialis Ruthenorum habita Zamosciae anno 1720, et Synodus provincialis Maronitarum in monte Libano celebrata anno 1736, ab apostolica Sede approbatae et confirmatae in forma specifica [4], ea ingeminant, quae de hoc impedimento tum decretalium, tum Tridentini iure constituta sunt pro sponsalibus ac matrimonio rato [5].

[1] Vide Fagnanum in cap. *ad audientiam n. 29;* — et Benedictum XIV *cit. quaest. can. 201;* — Sanchez *loc. cit. n. 21.*

[2] Vide apud Leurenium *lib. 4. tit. 1. quaest. 113. n. 3.*

[3] Vide Papp-Szilágyi *loc. cit.* § *116,* ubi etiam ea refert, quae *Instructio austriaca* de hoc impedimento praescribit ad ecclesiastici iuris tramites.

[4] Synodus Ruthenorum approbata fuit a Benedicto XIII Const. *Apostolatus officium* die *19 iulii 1724;* — Synodus autem Maronitarum a Benedicto XIV Const. *Singularis Romanorum Pontificum* die *1 septembris 1741.*

[5] Vide Synodum Ruthenorum *tit. 3.* § *8. pag. 109;* — et Synodum Maronitarum *l. c. n. 8.* § *XI. pag. 79.*

CAPUT IV.

De impedimentis matrimonium dirimentibus, ob religionis et sacramenti sanctitatem inductis.

ARTICULUS I.

De impedimento disparitatis cultus; ac de mixtae religionis coniugiis.

1. Cultus disparitas *lato sensu* intelligitur religionis diversitas inter contrahentes, qualis est nedum inter fidelem et infidelem, sed et inter catholicum et haereticum seu schismaticum [1]. - *Strictiori* autem *sensu* et *proprie* cultus disparitas ea hic intelligitur, quae inter christianos et infideles, sive inter baptizatos et non baptizatos intercedit. - De hoc impedimento, accepto sub utroque cultus disparitatis sensu, praecipua delibare opus est. Haec igitur statuenda sunt:

2. *Primum:* Propria *cultus disparitas*, quae est inter baptizatum et non baptizatum, matrimonium efficit invalidum.

3. Hoc autem impedimentum haud quidem *naturali iure* matrimonium dirimit, ut communis docet Doctorum sententia [2]. Siquidem cultus disparitas non repugnat matrimonii substantiae seu essentiae et fini; ea enim extante coniuges obligari invicem possunt ad cohabitationem, debiti redditionem et prolis educationem. Iurgia autem, prava filiorum educatio aliaque mala, quae ex eiusmodi coniugiis oriri vel timeri possunt, non quidem probant ea coniugia esse iure naturae irrita, sed tantum *illicita* plerumque, et quandoque *licita*, si scilicet gravis excuset necessitas et causa. Atque ita factum est, ut nedum in lege veteri aliqui fideles cum infidelibus coniugii foedus inierint, ut Ioseph cum filia Putipharis, Esther cum Assuero; sed et in nova lege primis Ecclesiae seculis eiusmodi non desint exempla:

[1] Papp-Szilágyi: *Enchirid. iur. orient. part. 2.* § *102.*
[2] Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 164.*

sic Caecilia nupsit Valeriano adhuc ethnico, Monica Patritio infideli, Clotildis regi Francorum Clodoveo adhuc pagano; quin Scriptura et Ecclesia eiusmodi matrimonia concubinatus nota inusserint, vel etiam improbaverint [1].

4. Neque *iure positivo divino* eiusmodi impedimentum dirimit matrimonium. Quia quamvis hoc iure *prohibitum* sit christianorum cum infidelibus matrimonium, ut ex illo Apostoli: *Nolite iugum ducere cum infidelibus* [2], nullum tamen extat testimonium, ex quo eruatur, nedum illicitum sed irritum eo iure esse tale matrimonium, quamvis in nova lege Christus matrimonium ad sacramenti dignitatem evexerit [3].

5. Hoc ergo dirimens impedimentum, ex communi et certa sententia, solo *ecclesiastico iure* inductum est; et nullo fortasse iure scripto, sed consuetudine et praxi universalis Ecclesiae, vim legis irritantis habente [4]. Ad rem Benedictus XIV [5] de hoc disserens impedimento docet: « Cum impedimentum illud iure canonico statutum non fuerit (*ex §§ praeced.*), perquiramus an *communi Ecclesiae catholicae consuetudine susceptum atque firmatum* inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, *non quidem iure sacrorum canonum,* sed *generali Ecclesiae more,* qui pluribus abhinc seculis viget, ac *vim legis obtinet*. Consulatur Cardinalis Bellarminus.... ».

6. Atque inde sequitur posse Papam in hoc dispensare, ut fidelis matrimonium contrahat cum infideli, et *licite* quidem si gravis urgeat causa, et perversionis praeterea periculum tam in coniuge quam in liberis caveatur [6]. Scilicet ex pluribus instructionibus, quae habentur etiam apud

[1] Pirhing *l. c.* — Leurenius *lib. 4. tit. 1. quaest. 115. n. 1.*

[2] *2. Cor. 6.*

[3] Cfr. Leuren. *l. c. n. 2.*

[4] Sanchez *lib. 7. disp. 71. nn. 7-8;* — Pirhing *l. c.;* — Leuren. *l. c. n. 3.*

[5] Benedict. XIV Const. *Singulari Nobis* (seu *Continuando Ella*) diei *9 febr. 1749* ad Cardinalem Eboracensem, § *10.*

[6] Sanchez *l. c.;* — Pirhing *l. c.;* — Leuren. *l. c. n. 3.*

Perrone [1], hae praescriptae reperiuntur conditiones in dispensationibus quoad matrimonia inter baptizatos et non baptizatos servandae: 1° Si cohabitatio cum infideli non adduceret aut contumeliam Creatoris, aut periculum perversionis; – 2° si proles institueretur in christiana religione; – 3° si dispensaretur solum in locis (in *provincia, vicariatu* etc.) ubi plures essent infideles, quam chistiani; – 4° si dispensatio gravibus tantum de caussis concederetur, adeo ut potius dispensaretur in impedimentis consanguinitatis seu affinitatis, si hoc pacto vitarentur matrimonia cum infidelibus; – 5° additur aliquando, si adsit probabilis spes de conversione contrahentis infidelis.

7. Apud *Orientales* hoc impedimentum dirimens enunciatum etiam est in *Concilio Maronitarum* an. 1736 his verbis: « Septimum *(impedimentum dirimens):* Cultus disparitas, idest matrimonia christianorum cum non baptizatis, sive iudaei sint sive infideles cuiuscumque sectae, sive etiam catechumeni » [2].

8. *Instructio* autem *austriaca,* quae ad quosdam etiam orientales ritus extenditur, ita hoc impedimentum evolvit. – Inter baptizatos et eos qui regenerationis sacramentum haud susceperunt, matrimonium consistere nequit: « Iuxta hoc ergo impedimentum disparitatis cultus nullum est matrimonium *a)* quod catholicus cum iudaeo, turca aut pagano iniret; *b)* quod schismaticus christianus aut protestans cuiuscumque confessionis, *valide* tamen baptizatus, cum iudaeo, turca aut gentili aut quocumque non baptizato contraheret; adeoque si tales catholici fierent, consensus renovatione eorum matrimonium validari deberet [3]. – Cum

[1] Perrone: *De matrim. christ. lib. 2. sect. 1. cap. 7. art. 2. pag. 333 et seqq. tertia quaestio.*

[2] Synod. libaneus. *cap. 11.* § *8. n. VII.*

[3] **Benedict. XIV cit. Constit. ad Cardinalem Eboracensem, hunc praecipue casum expendit, atque § *20* concludit: « Quamobrem ad propositum redeuntes, compertum habeas, quod postquam mulier haeresim more solito in idoneo tribunali eiuraverit; tu vero hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram parocho matrimonium**

autem existant sectae ex protestantismo enatae, prout sunt sociniani, unitarii, aliique, imo in quibusdam locis ipsi etiam protestantes, quorum baptismus aut dubius aut invalidus est, ad quaestionem: An calvinistae et lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium aut suspectum est, infideles habendi sint ita, ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Feria 4, die 17 novembris 1830, in Congregatione generali S. R. U. Inquisitionis proposito supra scripto dubio, decretum est: *a*) Quoad haereticos quorum sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. - *b*) Quoad illos qui iuxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii [1]. - *c*) Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium » [2].

9. *Secundum:* Diversitas religionis inter baptizatos, seu *impropria cultus disparitas*, non constituit impedimentum dirimens [3].

Probatur id ex eo quod nulla ecclesiastica lege aut consuetudine declarentur irrita *mixta,* ut aiunt, *matrimonia,* inter catholicos scilicet et haereticos vel apostatas baptizatos. Immo vero id clare eruitur ex decretali Bonifacii VIII [4], qui statuit, mulieres, quae scienter nupserunt haereticis dote privandas esse in poenam delicti et tamen

erit iterandum, a Concilio Tridentino praescripta forma servata; quum baptismi sacramentum sit ianua ceterorum ».

[1] Si forte baptisma reipsa validum non extiterit, dispensare in tali dubio Ecclesia censetur ab impedimento disparitatis cultus, ut ex hoc decreto patet.

[2] Cfr. Papp-Szilàgyi: *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae, part. 2.* § *102.*

[3] D. Thomas *in 4. sent. distinct. 39. quaest. 1. art. 1. ad quintum,* citatus a Benedicto XIV, *de Synodo lib. 9. cap. 3. n. 1.*

[4] Cap. *decrevit 14. de haereticis in 6.*

non praecipit, illas separandas a viris, adeoque supponitur matrimonium esse validum.

10. *Tertium:* Diversitas religionis inter catholicos et haereticos seu apostatas aut schismaticos constituit impedimentum *impediens.*

Eiusmodi enim matrimonia prohibita et illicita sunt *ecclesiastico iure,* ut constat ex pluribus Conciliis, uti Laodiceno et Trullano [1], Agathensi, Chalcedonensi [2], quorum sanctiones roboravit Bonifacius VIII citata decretali. Unde merito Benedictus XIV connubia haec vocat *detestabilia, quae sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit* [3]. — Imo *iure* etiam *naturae* illicita sunt, si adest periculum perversionis coniugis catholici, vel malae educationis prolis in haeresi, aut etiam gravium iurgiorum inter coniuges. « Vix autem, ut scribit idem Benedictus XIV, evenire potest, ut a connubiis catholicorum cum haereticis ea amoveantur pericula, quae ipsis plerumque coniuncta esse solent [4]. Verum non id omnino impossibile esse pronunciamus. Tales enim re ipsa concurrere possunt circumstantiae, quae cum ab eo, qui facultatem dispensandi habet, expensae fuerint, aditum aperiant concessioni legitimae dispensationis, cuius vi matrimonium inter partes, haereticam unam, alteramque catholicam, licitum reddatur, ut alibi demonstrabimus » [5].

11. Hinc eiusmodi dispensationes apostolica Sedes non concedit nisi sub hisce conditionibus: 1° Ut absit pro parte

[1] Cfr. Papp-Szilágyi *l. c.*

[2] V. Benedict. XIV, *de Synodo lib. 6. cap. 5. n. 3.*

[3] Benedict. XIV Constit. seu Declaratione quae incipit *Matrimonia 4 novemb. 1741* quoad matrimonia in Belgio et Hollandia, § *3.* — Vide etiam eiusdem Pontif. Const. quae incipit *Magnae nobis* diei *29 iunii 1748.*

[4] Ideo idem Summus Pontifex in cit. Declaratione seu Const. diei *4 nov. 1741,* eodem § *3.* hortatur sacrorum Antistites, ut ab eiusmodi matrimoniis *mixtae religionis* in propriarum animarum perniciem contrahendis catholicos absterreant.

[5] Benedict. XIV *De Synodo lib. 6. cap. 5. n. 4;* — et vide *lib. 9. cap. 3.*

catholica perversionis periculum, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; - 2° ut infantes utriusque sexus ex matrimonio nascituri, in religione catholica educandi sint; - 3° ut sit ratio gravis [1].

12. Quum autem intercessit apostolicae Sedis dispensatio, parochus licite potest mixto assistere coniugio. Ita enim S. C. Inquisit. ad hanc quaestionem respondit die 20 decembris 1838: « Si altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere ».

Ad benedictionem quod attinet, citata Instructio, edita pro austriaca Ditione, haec habet: « Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis coniugia; improbat quoque matrimonia inter catholicos et non catholicos, et ab iis ineundis suos dehortatur. - Quod si tamen hoc non obstante inter catholicos et acatholicos matrimonium contrahatur, nisi utriusque sexus prolium catholica educatio assecuretur, Ecclesia denegat in signum reprobationis talibus matrimoniis benedictionem sacerdotalem; atque aut passive solum assistente catholico parocho, coram eo et testibus enunciato per partes consensu matrimonium contrahitur, aut vero coram Ministro confessionali acatholico [2] in Hungaria, sic consentientibus partibus, instituitur. - Clericis autem matrimonium cum haereticis absolute prohibetur canone XIV Concilii Chalcedonensis » [3].

13. At quamvis ea, quae de Ecclesia et benedictione parochi in eiusmodi mixtae religionis coniugiis DD. docent, ad amussim congruant cum instructionibus ac decisionibus S. C. Inquisitionis, tamen ecclesiastica haec disciplina, pro rerum adiunctis, exceptiones pati potest vigore citatae *In-*

[1] Cfr. Benedict. XIV *De Synodo lib. 9. cap. 3. n. 5.* — Vide etiam in Appendice 5 huius operis *Instructionem* quae incipit: *Etsi Sanctissimus,* iussu Pii IX ad omnes sacrorum Antistites missa sub die 15 novembris 1858.

[2] Hic historice enunciatur factum, quod tamen Ecclesia nedum non approbat, sed nec tolerat.

[3] Apud Papp-Szilàgyi *l. c.* § *102. pagg. 439-440.*

structionis diei 15 nov. 1858 iussu Pii IX ad omnes sacrorum Antistites de mixtis matrimoniis datae. Haec enim de hoc argumento in ea habentur: « Quod si in aliquibus locis sacri Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin *graviora exinde oriantur damna ac mala;* in hoc casu tantum Sanctitas Sua *ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda* [1], prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac diligenter servatis cautionibus *de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda,* iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce

[1] Cum Vicarius apostolicus Maysurii dubia quaedam proposuerit S. C. de Propag. F. quoad interpretationem huius *Instructionis,* et praesertim quid intelligendum esset per verba quibus in eadem innititur et quasi ligatur facultas seu tolerantia benedicendi mixta matrimonia, scilicet *ad vitanda graviora mala ed damna,* eadem S. C. die 4 decembris 1862 eidem Vicario ap. respondit per litteras Supremae S. C. S. Officii: « Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna 1°. Quotiescumque, ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem, facile excitarentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles legesque ecclesiasticas. — 2°. Quotiescumque, denegata a parocho catholico benedictione, sponsi, ante vel post coram illo celebratum matrimonium, ministellum adeant, vel etiam in heterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem obtinendam, parocho catholico omnino posthabito. — 3°. Quotiescumque insuper timendum esset quod, recusata ab ipsis expetita benedictione, aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et de universa prole in catholica religione educanda, aut, quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra in sui et futurae prolis aeternam perniciem transiret. Evidenter haec et similia sunt gravia illa damna ac mala ad quae vitanda summus Pontifex indulgere, seu tolerari posse declaravit ut in matrimoniis mixtis nuptialis impertiretur benedictio ». — Habes has litteras in *Collectanea* constit. decret. indult. ac instruct. Sanctae Sedis ad usum *Societatis Missionum ad exteros, n. 908. pag. 401 et seqq.* edit. Parisiis 1880.

nuptiis *extra Ecclesiam* et *absque parochi benedictione impleri minime possint,* et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis *tolerari* queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione » [1].

14. Quid tamen iuris quoad assistentiam parochi coniugiis mixtae religionis, si pars acatholica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur? Poterit ne eiusmodi matrimonio parochus assistere?

Quamvis S. Congr. Inquisitionis die 17 iunii 1829 rescripserit, debere parochum se *abstinere a quocumque interventu,* tamen in *Instructione* addita litteris Gregorii XVI ad Primatem et Episcopos Hungariae datis die 20 aprilis 1841, haec habentur: « *Tolerari* posse (Sua Sanctitas) declaravit, ut quoties ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, *omissis licet necessariis cautionibus,* sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud quamvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus parochus, aliusve sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi, materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, qualificati seu *authorizabilis,* ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre » [2].

ARTICULUS II.

De impedimento voti solemnis castitatis vel in Professione religiosa vel in susceptione sacrorum Ordinum nuncupati.

1. Bonifacius VIII decretali de voto ita eiusmodi impedimentum perspicue declarando sanxit: *Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod*

[1] Ex cit. Instruct. *Etsi Sanctissimus* relata in Appendice 5.
[2] Apud Roskovani, *tom. 2. pag. 818.*

voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa..., praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem apostolicam approbatis. — Reliqua vero vota etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum..., non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta [1].

Quo praemisso declarationis et sanctionis oraculo, haec statuenda sunt:

2. *Primo:* « Votum solemne castitatis emissum per professionem in Religione approbata dirimit matrimonium contrahendum ». Constat tum ex relata Bonifacii VIII decretali, tum ex aliis pluribus iuris canonici textibus, et praesertim ex Tridentino [2], quod mox referam, aliisque Conciliis et ss. PP. [3]. - Ideo autem et eatenus *religiosa professio* matrimonium dirimit, quatenus solemne castitatis votum includit. - Sed nulla de hoc est inter catholicos controversia [4].

3. *Simplex* autem votum castitatis, etiam perfectae et perpetuae, matrimonium non dirimit, uti ex citata decretali. - Excipe tamen simplex castitatis votum, quod una cum aliis duobus quae verum Religiosum constituunt, emittitur in Societate Iesu post biennium novitiatus. Hoc enim votum, ex speciali Gregorii XIII privilegio [5], dirimit matrimonium ratum non consummatum [6].

[1] Cap. unic. *de voto et voti redemptione in 6°.* — His gemina habet Benedict. XIV Constit. *inter praeteritas* diei *3 decembris 1749. § 41.* et *de Synodo lib. 13. cap. 12. n. 11. in fine.*

[2] *Sess. 24. can. 9.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 26. n. 1.*

[4] Castrop. cit. a Leuren. *lib. 4. tit. 6. quaest. 181.*

[5] Constit. *Ascendente Domino.*

[6] Pirhing *lib. 4. tit. 6. n. 26.* Solvi ratum coniugium hoc voto simplici scripsit erronee Pontius et ex eo De Iustis. Videsis cl. Ballerini in not. ad Gury *Theolog. moral. t. 2. § 759. n. 2° not. a,* ubi citat Suarez, Sanchez, Schmalzgrueber etc. et Resolut. S. C. quam refert Barbosa contra eiusmodi opinionem.

4. *Secundo:* « Votum solemne castitatis ex constitutione Ecclesiae sacro Ordini annexum, etsi non dirimat matrimonium ratum, dirimit tamen contrahendum ».

Nedum praemissa Bonifacii VIII decretali, sed, ut cetera mittam, citato Tridentini canone ita de utroque Voti impedimento decernitur: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto..., anathema sit* [1].

5. Porro quae ad normam veterum canonum sanxerat Clemens V in Concilio Viennensi [2] contra *eos qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter..... cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religiosos et Moniales ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes* [3], Pius IX renovavit, declarans, excommunicationi latae sententiae, Episcopis sive Ordinariis reservatae, subiacere *Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes* [4]. Idque praeter *irregularitatem,* quam ita delinquentes incurrunt, ratione bigamiae *similitudinariae* [5], et praeter *beneficiorum amissionem.* Clerici enim in sacris constituti matrimonium attentantes, et simplices Clerici illud contrahentes, quamvis etiam ob dirimens impedimentum invalide contraxerint, dummodo tamen coniugium irritum non fuerit ob consensus defectum ex parte Clerici, ecclesiastica, si quae possi-

[1] Trident. *sess. 24. can. 9.*

[2] Per Const. quae legitur in *Clement. unica de consanguinitate et affinit.*

[3] Cit. *Clement.* verba.

[4] Constit. *Apostolicae Sedis* diei *12 octobr. 1869.*

[5] Constat vel eruitur ex *cap. 2. ex literarum,* tit. *qui Clerici vel voventes matr. contr. possunt;* ex *cit. Clement.;* ex *tituto de bigamis non ordinandis.* — Vide Leurenium I. C. *lib. 1. tit. 21. quaest. 642. n. 5.* et *quaest. 643.*

dent, beneficia *ipso iure* amittunt, ut communiter DD. tradunt, et sacra Concilii Congregatio non semel docuit [1].

6. Quonam autem *iure* impedimentum Voti solemnis castitatis, sive Religionis sive Ordinis, vim habeat dirimendi matrimonium contrahendum, disceptatur inter DD. – Verum hanc vim ex solo *ecclesiastico iure*, non autem naturali vel divino inesse dicto Voto, docent cum communi magni nominis tum theologi tum canonistae, gravibus in medium prolatis rationum momentis [2].

7. Hinc sufficienti ex causa, idest rei gravitati proportionata, posse Papam in hoc Voti impedimento, tum Ordinis tum etiam Religionis, matrimonium dirimente dispensare, sententia est receptissima theologorum et canonistarum, quos longa serie, post allatas probationes, refert Sanchez [3]. Et quidem vel ipso ex facto constat romanorum Pontificum, qui passim eiusmodi concesserunt dispensationes, ut videre est apud Schmalzgrueber [4].

8. Videndum nunc breviter an solemne castitatis Votum, sive Ordinis sive Religionis, vim habeat dirimendi matrimonium iam contractum.

Porro matrimonium iam initum dicitur *ratum*, quod post baptismum susceptum mutuo contrahentium consensu perficitur, nulla inter coniuges subsecuta carnali copula apta ad generandum. Hinc etsi infidelium seu non baptizatorum matrimonium sit *legitimum*, non est tamen ratum [5]. Matrimonium autem baptizatorum dicitur *consum-*

[1] In causa, cui titulus: *dubium matrimonii et resignationis beneficii* diei *21 iulii 1674*, et recentius in *Brundusina reintegrationis seu rehabilitationis in paroeciam, 28 iulii 1877.*

[2] Cfr. Sanchez *lib. 7. disp. 26. a n. 2, et disp. 28. n. 8. et seqq.*

[3] *Lib. 8. disp. 8. n. 7.*

[4] *Lib. 8. tit. 35. n. 48.* — Cum autem agitur de nullitate professionis regularis diiudicanda, prae oculis habenda est Const. Benedicti XIV quae incipit *Si datam hominibus fidem,* in qua et ordo praescribitur in eiusmodi causis servandus; uti in causis de matrimonii valore, servanda est Constit. *Dei miseratione* eiusdem Pontificis.

[5] Cap. *quanto 7. de divortiis.*

matum si post ratum coniugium intercesserit inter eos copula per se apta ad generandum, qua coniuges fiunt una caro. – Quo posito statuendum.

9. *Tertio:* « Matrimonium ratum fidelium per susceptionem Ordinum sacrorum non dissolvitur ». Ita communis omnium sententia iuxta decisionem Ioannis XXII his verbis expressam: « *Antiquae concertationi* (an scilicet matrimonium ratum non consummatum dissolvatur per susceptionem sacri Ordinis, uti dissolvitur per professionem religiosam) *finem cupientes imponere... praesenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiam si per carnis copulam non fuerit consummatum, ... invalidum est censendum* » [1].

10. *Quarto:* « Matrimonium *ratum* non consummatum dissolvitur per solemnem professionem religiosam ». Ita omnes Catholici tenent, uti decisum fuit a Ioanne XXII [2], ab Alexandro III [3], ab Innocentio III [4] ac novissime per hanc Tridentini definitionem: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit* [5]. – Atque hoc ex privilegio speciali a Christo concesso et ab Ecclesia declarato, quod satis colligitur ex facto ipso, iuncta ipsius Ecclesiae traditione [6].

Animadvertendum tamen est cum Benedicto XIV « privilegium hoc esse concessum tantummodo religiosae professioni emissae in aliqua ex approbatis religionibus, in quibus nimirum emissa castitatis, paupertatis et obedientiae

[1] Extrav. *Antiquae concertationi* Ioan. XXII *de voto et voti redemptione.*

[2] Cit. *Extrav.*

[3] In cap. *Verum 2. de conversione coniugatorum.*

[4] In cap. *Ex parte tua 14.* § *Nos tamen, eodem tit.*

[5] *Sess. 24. can. 6.*

[6] Cfr. Leuren. *lib. 4. tit. 19. quaest. 279. a n. 3.*

vota, solemnium vim et naturam obtinent; nunquam vero professioni emitti solitae in quibusdam piarum mulierum coetibus, veluti Tertiariarum, Beguinarum aut Oblatarum, quarum vota non inter solemnia sed inter simplicia recensentur » [1].

11. Ad tempus quod attinet concessum coniugibus ad deliberandum de religionis ingressu vide Leurenium [2] aliosve.

12. *Quinto:* « Coniux *consummato matrimonio* et seclusa omni alia causa, nec licite nec valide profitetur religionem *sine licentia* alterius coniugis ». Constat ex decretalibus [3]. Consummato enim matrimonio, coniux non est sui iuris sed alterius, cui per matrimonium se tradidit; adeoque eo invito, vel gravi metu iniuste incusso aut dolo extorta licentia, invalide profitetur, se illicite et invalide separat quoad torum a coniuge, qui per consequens eum revocare potest, ut rescripsit Innocentius III [4].

13. *Sexto:* « Coniux consummato vel etiam non consummato matrimonio, *valide* quidem sed *illicite sine consensu* alterius recipit Ordines ». Est communis doctrina definita iure decretalium [5]. Unde coniux etiam iam ordinatus potest ab uxore revocari; cum illius malitia non debeat alterius iuribus praeiudicium inferre; nisi forte vir, necdum consummato matrimonio, velit religionem ingredi, uti constat ex dictis.

14. *Septimo:* « Matrimonio etiam consummato, licita et valida est *professio,* uti et *susceptio Ordinum,* et hinc licita etiam separatio quoad torum, facta de *licentia alterius* coniugis, servatis tamen praescriptionibus canonico iure servandis » [6].

15. Scilicet, ad professionem quod attinet, ut *licite* coniux profiteatur, non sufficit libera alterius coniugis licentia, sed

[1] Bened. XIV *De Synodo lib. 13. cap. 12. n. 9.*

[2] *Lib. 4. tit. 19. quaest. 280.*

[3] Cap. *quidam 3.* cap. *placet 12. de conversione coniugatorum.*

[4] In decretali *accedens 17. eodem tit.*

[5] Cap. *coniugatus 5. de conversione coniugatorum;* cit. Extrav. *antiquae, de voto et voti redempt.*

[6] Cap. *coniugatus 5,* cap. *uxoratus 8, de convers. coniugat.*

requiritur insuper ut etiam coniux, qui licentiam dat, religionem ingrediatur seu et ipse *profiteatur,* uti patet ex decretali Alexandri III [1]: *Ignorare non debes, sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, aut uxor viro eius non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire.* - Vel etiam saltem requiritur, ut coniux licentiam alteri dans, manens in seculo *votum edat perpetuae continentiae* [2], et insuper sit eiusmodi provectae aetatis, ut sine incontinentiae suspicione et probabili periculo valeat in seculo manere. Sic enim prosequitur Alexander Pontifex in praecitata decretali [3]: *Inde est quod auctoritate apostolica prohibemus, ne in episcopatu tuo virum vel uxorem, nisi uterque ad religionem migraverit, transire permittas. Verum si ita uxor senex est et sterilis, quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut ea in seculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem transeat vir eiusdem* [4].

16. Quod si ex parte coniugis dantis licentiam prima vel altera sacrorum canonum praescripta conditio non servetur, non inde tamen sequitur, quod alterius coniugis professio sit nulla [5]. Attamen si ille postquam dedit licentiam neque *profiteri,* neque *vovere* velit, Episcopus debet professum alteri coniugi revocare iuxta decretalem eiusdem Pontificis: *Dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest et debet de monasterio revocari* [6]. - Si autem post hanc revocationem uxor vel votum emittat vel

[1] In cap. *cum sis 4. de convers. coniugat.,* — item ex cap. *praeterea 1.* eod. tit.

[2] Hoc votum tamen non est solemne, cum non aliud detur solemne votum, matrimonium dirimens, quam quod est sacro ordini vel regulari professioni annexum. Castrop. Sanch. Guttier. Pont.

[3] Cit. cap. *cum sis 4. de convers. coniugat.*

[4] Haec confirmantur in subsequentibus decretalibus scilicet cap. *uxoratus 8.* cap. *ad apostolicam 13.* cap. *significavit 18. eodem titulo.* Cfr. Benedict. XIV *de Synodo lib. 13. cap. 12. nn. 9-10-11.*

[5] Vide argumenta apud Sanchez *lib. 7. disp. 33. a n. 2.*

[6] Cap. *1. de convers. coniugat.*

profiteatur aut moriatur, professus ad monasterium redire debet. Eius enim professio fuit valida, et huius dumtaxat executio ob alterius coniugis incontinentiam fuit suspensa [1].

17. Pro susceptione Ordinum, de licentia coniugis, eadem sunt observanda quae in professione religionis [2].

18. Breviter nunc inquirendum, an etiam in *Ecclesia Orientali* tum Ordo, tum religiosa professio dirimant matrimonium contrahendum.

19. Et primum *de Ordine*. Num in Ecclesia Orientali etiam Ordo sit impedimentum dirimens matrimonii, disputant theologi et canonistae, et adhuc sub iudice lis est [3]. – Benedictus XIV [4] ita eiusmodi quaestionem exponit: « Diu multumque agitata est inter theologos controversia illa, plena iurgii ac dissidii: – An solum illicitum, vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem sacrorum Ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia *Occidentali*. – Placuit sane pluribus, *validum* sed *illicitum* censeri debere huiusmodi matrimonium, tum quia canonicae sanctiones et decreta Ecclesiae Occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; tum quia canones Synodi Trullanae, quorum semper a Graecis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant et irritant matrimonium post sacros Ordines contractum. – Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate. Et saniori certe consilio, utpote tuentes sententiam maioribus suffragiis suffultam et menti Congregationum Urbis consentaneam. Nullitatem matrimonii satis erui posse iudicarunt ex ipso *can. 3* Concilii Trullani his verbis: *Eis nefario videlicet* [5] *dissoluto coniugio.*

[1] Sanchez *l. c.* et cum eo Less. Castrop. Gutt. Pont.

[2] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 19. quaest. 301. nn. 3-4.*

[3] Papp-Szilágyi: *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae, part. 2. § 101.* fuse de hac disputat controversia.

[4] Const. *Eo quamvis tempore* diei *4 maii 1745 § 38. et seqq.* edita pro Cophtis.

[5] Papp-Szilágyi *l. c.* exscribit *manifeste* pro *videlicet* ex Trullano canone.

« Favet etiam eidem sententiae auctoritas Imperatoris Iustiniani, qui in codice a Gothofredo illustrato *lib. 1 de Episcop. et Cleric. Novell. 45,* huiusmodi nuptias nefarias et incestuosas appellat, et soboli inde procreatae notam illegitimitatis et turpem paternae incontinentiae maculam inurit. Et licet in iuribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; in subiecto tamen casu loquitur Imperator relative ad ss. canones, ibi: *quae et sacris nisa sunt canonibus* ».

20. Posteriori autem Constitutione item pro cophtis catholicis edita [1] idem Pontifex quaedam decernens, quoad dispensationes super matrimoniis contractis post Ordinem sacrum [2], iterum hanc tangit quaestionem. Quoad dispensationes itaque scribit: « Auditis Congregatorum suffragiis, in ea fuimus sententia, ut nemini facultas dispensandi concederetur, sed Sedi apostolicae reservaretur: ut cum casus contigerit, et dispensatio postuletur, mature expendantur quae necesse est considerare, ut vel concedatur vel denegetur dispensatio, cum de re gravissima ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum est in haec verba: – *Recurrant ad apostolicam Sedem in casibus particularibus; in quibus si ob graves causas dispensatio super matrimonio inito post Ordines sacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus* ».

Rationem reddens Pontifex huius praescriptionis de nullo verbo faciendo in dispensationibus quoad renovationem consensus, ita, ad praesentem quod attinet quaestionem, prosequitur: « In decreto mox relato haud mens nostra fuit, renovationes consensus excludere cum matrimonium extra dubitationem nullum est; – sed cum gra-

[1] Benedictus XIV Const. *Anno vertente repar.* sub die *19 iunii 1750* § *12. et seqq.*

[2] Id frequenter accidit inter Iacobitas (Syriaci ritus), aliosque schismaticos, qui post susceptum Diaconatum saepe ducunt uxores. Cum autem eiusmodi Clerici in sacris constituti, schismate et erroribus eiuratis, ad sinum redeunt S. M. Ecclesiae catholicae, agendum occurrit de eorum celebrato post sacros Ordines matrimonio.

vis illa *controversia*, ut dictum est, *adhuc vigeat,* - An matrimonium in Ecclesia Orientali post Ordinem sacrum contractum, perinde nullum sit ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum -; et cum huiusmodi controversia (exceptis Italo-Graecis, quorum matrimonia post Ordinem sacrum inita, statutum est, nulla et irrita esse, ut in nostra Constitutione, quae incipit *Etsi pastoralis* § 7. *n.* 25) quoad ceteros Orientales Graecos, *nullo adhuc decreto apostolico definita fuerit,* licet tribunalia huius almae Urbis opinioni eorum adhaereant, qui haec matrimonia nulla existimant; nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur. Decretum autem de quo agitur, nunc etiam a Nobis solemniter confirmatur ».

21. Praeterea ipse summus pontifex Pius IX quamvis per S. C. de Propaganda fide cuiusdam provinciae Episcopis graeci ritus significandam curaverit germanam de caelibatu et continentia cleri Ecclesiae orientalis traditionem; - quamvis maxime improbaverit, tanquam a germana orientalis Ecclesiae disciplina aberrantem morem illum, ut hypodiaconi, contrahentes post huiusmodi ordinationem matrimonium, ad superiores Ordines promoverentur, cum hoc vel ab ipsa Trullana Synodo penitus abhorreat; - quamvis meritis laudibus prosequeretur sacrorum Antistitum illius provinciae propositum, neminem deinceps ad sacros Ordines admittendi, nisi aut penitus caelibem, aut eum qui ante hypodiaconatum, iuxta morem orientalem, legitimam uxorem duxerit; - quamvis eosdem Episcopos vehementer hortaretur in Domino, ut ministerium eorum implentes sedulo niterentur, ut clericorum continentia purior floreret, ac ad normam genuinae orientalis disciplinae restituta inviolate persisteret: - nihilominus quaestionem de valore matrimonii post sacrum Ordinem initi in Ecclesia orientali eodem in statu reliquit ac erat tempore decessoris sui Benedicti XIV. In illa enim instructione concluditur: « Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) « post sacros, ut praefertur, Ordines matrimonium atten- « tare praesumpserint, decernit Sanctitas Sua, ut ad tra-

« mites sacrorum canonum severe puniantur, ut quos stu-
« dium servandae disciplinae ac amor continentiae non
« movet, vel poenarum timor compescat » [1].

22. Nihilominus praeter Constitutionem *Etsi pastoralis* Benedicti XIV, quae irrita statuit matrimonia post sacros Ordines ab Italo-Graecis inita, provincialis etiam Synodus Zamoscensis idem pro Ruthenis decrevit his verbis: « Si quis presbyter post collatos Ordines matrimonio iungi, aut prima uxore defuncta, secundas incestas nuptias inire praesumpserit, per Episcopos a communione atque altari arceatur, captivetur et aliis poenis canonicis afficiatur, ut peregrinam spuriamque coniunctionem *abiiciat* » [2]. - Idem et provincialis Synodus Libanensis pro Maronitis diserte statuit: « Nonum impedimentum *(est)* Ordinis sacri, nimirum in Ecclesia nostra post susceptum Diaconatum, qui primus inter sacros Ordines est, Subdiaconatu inter minores computato. Diaconi enim, Presbyteri et Episcopi post susceptos Ordines, irritum est et nullum matrimonium quod contrahere praesumpserint » [3]. Vi porro approbationis, ut supra annotavi, in forma specifica datae ab apostolica Sede harum Synodorum decretis, matrimonia a praedictis inita Clericis sunt quidem irrita, dirimentis impedimenti ratione.

23. Quid porro dicendum de matrimonio post solemnem *religiosam professionem* contracto? - Certum exploratumque est, etiam apud Orientales Ecclesias, nullum et irritum esse matrimonium initum seu potius attentatum a Monachis vel Monialibus post emissum solemne perpetuae castitatis votum in professione religiosa. Id ex pluribus eruitur documentis. Et primum eruitur ex citata Synodo Ma-

[1] Vide hanc eruditam *Instructionem* diei *24 martii 1858* apud Gury-Cretoni, *theolog. moral. t. 2. adnot. nota B. pag. 638 et seqq.* edit. Romae 1875.

[2] Synodus Ruthenorum habita in civit. Zamosciae *an. 1720. tit. 3.* § *8. pag. 113.* et citat Synodum Quinis. *can. 3.*

[3] Synodus Maronitarum habita in monte Libano *an. 1736. part. 2. cap. 11.* § *8. n. IX.*

ronitarum, nedum vi decreti pro Maronitis, sed ratione etiam auctoritatis disciplinam Orientalium asserentis. Haec autem ea Synodus decernendo declarat: « Votum solemne castitatis, tam in viris qui Monachi habitum, quam in feminis quae-monialium schema accipiunt, est impedimento dirimens matrimonium; sive tria vota expresse coram Superiore emiserint, sive tacite et implicite iuxta Rituale Orientalis Ecclesiae. Ut ait sanctus Basilius: *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum coniunctio omnino divellatur*. Et Concilium Chalcedonense: *Si qua virgo se dedicavit Deo, similiter Monachus, non licere eis iungi nuptiis. Si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati* » [1].

Canon 44 Concilii Trullani statuit: « Monachus fornicationis convictus, vel qui ad matrimonii communionem vitaeque societatem uxorem duxit, fornicationis poenis subiiciatur » [2]. Ergo Monachi professi matrimonium subsequens, non matrimonium est, sed fornicatio, concubinatus. – Idque Pravila ita clarius enunciat: « Monachus vel Monialis si deserto monasterio matrimonium inierit, hoc non pro matrimonio, sed pro adulterio reputetur; et si non dimiserit talis Monachus sociam adulterii, excommunicatus sit » [3].

De duobus hisce impedimentis Ordinis et Voti Austriaca instructio (§ 24) gemina habet his quae Ecclesia latina sacrorum canonum tenet sanctione [4].

[1] Synodus Libanensis *loc. cit.* § *8. n. III.*
[2] Apud Papp-Szilàgyi, *loc. cit. pag. 435.*
[3] Apud eumdem Papp-Szilàgyi, *ibid.*
[4] Apud eumdem, *ibid. pag. 436.*

ARTICULUS III.

De stantis impedimento foederis seu ligaminis, ubi et de casibus atque rationibus, quibus initum coniugium dissolvitur, praesertim de summi romani Pontificis dispensatione a vinculo matrimonii rati non consummati, deque casu conversionis alterutrius coniugis ad Christi fidem et interpellationis alteri faciendae.

1. *Stans foedus* seu *ligamen* est matrimonii valide initi vinculum, quo coniuges ita inter se obstringuntur, ut, utroque vivente, neuter aliud matrimonium valide contrahat. - Hoc autem impedimentum fundatur in *unitate* et *indissolubilitate* nuptialis foederis divino iure sancitis. Vel ipsa enim inter mundi primordia ita Deus matrimonium instituit, ut unus cum una duntaxat coniungeretur, uti Spiritus Dei instinctu inquit Adam: *Homo ... adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* [1]. Christus autem Dominus matrimonium ad pristinum monogamiae statum conditionemque restituit quum praemissa Geneseos verba resumens *(erunt duo in carne una)* conclusit: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* [2]. Concludit autem quod *si quis dimiserit uxorem suam*, sive iure ob adulterium uxoris [3], sive iniuria, nulla scilicet suffragante legitima causa, *et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moe-*

[1] Genes. *cap. 2. v. 24.*

[2] Matth. *cap. 19. v. 6.*

[3] Post Florentinum Concilium Tridentina Synodus *sess. 24. can. 7.* definivit: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit ». — De hac dogmatica veritate in Orientalium gratiam fuse disserit Philippus de Carboneano in *Appendice 2 ad tract. de matrim. Theolog. moral. Antoine* « de Orientalis Ecclesiae circa matrimonium disciplina » *not. 2* (*).

chatur [1]. - His gemina scribit Apostolus [2]. - Quae omnia luculenter exponit Innocentius III in celebri decretali [3], qua de paganis ad fidem conversis agit. - Tridentinum autem de fide hoc esse definiens, scilicet, polygamiam divino iure vetitam esse, ait: « Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit » [4].

2. « Hinc, ait Sanchez, confutatur aperte haeresis Lutheri et Anabaptistarum, impie defendentium pluralitatem uxorum, quam et spurcissimus Mahumetus in nefanda sua lege suis sectatoribus concessit » [5].

3. Ex his igitur certo constat, impedimentum ligaminis *iure divino* matrimonium dirimere contrahendum. - At quaeritur an dirimat etiam *iure naturae,* seu an *polygamia* tum ex parte viri, idest simultanea uxorum pluralitas, tum ex parte feminae, scilicet simultanea virorum pluralitas, nedum divino quidem iure, sed et naturali iure sit vetita. - Et quoad primam polygamiae speciem, quamvis quidam sint, qui cum Abulensi, Durando, Caietano doceant, lege divina tantum *positiva,* non autem *naturali* prohibitam esse simultaneam pluralitatem uxorum, communior tamen sententia, quam sequuntur magni nominis Doctores [6], habet, eam iure quoque *naturali* prohiberi. Id autem demonstrant ex gravissimis, quae inde oriuntur, malis. Pluralitas enim uxorum libidinem fovet: prolis generationem minuit; concupiscentiae uxoris non satis consulit; discordias et iurgia et convicia et rixas excitat; nuptialis aequalitatem contractus tollit, cum quaelibet uxor integre se tradat viro, dum hic in plures dividitur. - Quod autem attinet ad alteram polygamiae speciem, quam *po-*

[1] Matth. *cap. 19. v. 9.* - collat. Matth. *c. 5. v. 32;* Marc. *c. 10. vv. 11-12;* Luc. *c. 16. v. 18.*

[2] Ad Roman. *c. 7. vv. 2-3;* — I. Corinth. *c. 7. vv. 10-11.*

[3] Cap. *gaudemus 8. de divortiis.*

[4] Trid. *sess. 24. can. 2.*

[5] Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 80. n. 2. iunct. 1.*

[6] Sanchez, Bellarminus, Pontius, Layman, Guttierez, Castropalaus citati a Leurenio *lib. 4. tit. 4. de sponsa duorum qu. 170. n. 2.*

lyandriam vocant, praeter alia quae secum trahit incommoda, tum *primario* repugnat coniugii fini, qui est generatio prolis, utpote quae erit incerta, et ex plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam vel rarius subsequatur; – tum *secundario* fini, tranquillae scilicet coniugum cohabitationi et paci: ubi enim multa sunt unius corporis idest unius familiae capita, ibi plures iugesque inter ea, hoc est inter viros, contentiones et rixae [1].

4. Huic autem veritati, quod iure etiam naturae vetita sit polygamia, obiicitur, olim Deum dispensasse in hac monogamiae lege cum populo Israelitico. Evanescit tamen difficultas si cum communi DD. animadvertatur « in duo veluti genera, ut verbis utar Benedicti XIV, naturae praecepta distingui; et eorum quidem aliqua esse tanquam *primigenia* aliorum *principia;* alia vero veluti *consequentia,* quae a primis illis oriuntur. Prima illa invariabilem quamdam rectitudinis regulam in se continent, quae nullius mutationis aut dispensationis est capax, ut est praeceptum amandi Deum, abstinendi a mendacio, aliaque divinae legis capita quae in decalogo exponuntur. – Posteriora vero regulam pariter continent rectitudinis, ita tamen ut circumstantiis rerum et personarum mutatis, et ipsa mutari possint, mediante dispensatione, quae tamen a sola potest auctoritate divina procedere. . . . Itaque ad hanc secundam naturalium praeceptorum classem referenda est lex monogamiae, circa quam aliquando Deus ad tempus indulsit, ut, ea non obstante, plures . . . duci possent uxores » [2]. – Potuit autem Deus in hac naturali monogamiae lege dispensare ob finem honestissimum, nimirum ob favorem populi israelitici multiplicandi. Dum enim penes Deum est humanorum corporum dominium, potuit illorum usum, ad matrimonium quod attinet, hoc vel illo modo concedere. Atque ita postquam semel concessit illorum potestatem in ordine ad generationem medio tantum coniugio unius cum

[1] Cfr. Sanchez *cit. lib. 7. disp. 80.* a *n. 4.* ad *9.*

[2] Benedictus XIV *de Synodo lib. 13. cap. 21. n. 9.* — Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 4. quaest 171. nn. 1–2.*

una ob recensita incommoda, potuit nihilominus dein permittere, ut vir se dimidiate cuilibet uxori traderet, uxore qualibet integre se tradente viro [1].

5. Ceterum certum est, dictam dispensationem seu concessionem plurium uxorum cessasse a lege evangelica, qua, ut nuper dictum est, Christus matrimonium ad primaevam sui institutionem reduxit. – Unde et infideles ad fidem conversi, si plures habent uxores, cogendi sunt, ut aliis dimissis, solum primam legitimam retineant uxorem, quod expresse definit Innocentius III [2].

6. Porro iam etiam Papa in polygamia ex nulla causa dispensare potest, cum potestas illa ei a Christo concessa non sit, nec ulla huius concessionis congruentia appareat [3].

7. Deducitur etiam ex dictis, nulla consuetudine effici posse licitam uxorum pluralitatem, quia nulla consuetudo iuri divino et naturali derogare potest, sed tantum humano [4].

8. Tandem deducitur, matrimonium a christianis contractum, postquam consummatum fuerit, nonnisi *morte* solvi posse, ac proinde neminem ad secundas nuptias migrare posse, nisi primum de coniugis morte certus nuntius allatus sit [5]. Quod si forte secundum inierit matrimonium, et *post hoc de prioris vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur* [6]. – Ad novum igitur matrimonium ineundum non sufficit sola coniugis absentia quantacumque sit, sed certa et authentica requiruntur argumenta, ex quibus moralis eruatur certitudo de secuta alterius coniugis morte. Cum

[1] Ita fere Sanchez et alii citati a Leurenio *qu. cit. 171. n. 2.*

[2] Cit. cap. *gaudemus 8, de divortiis.* – Cfr. Sanchez *cit. lib. 7. disp. 80. n. 14.*

[3] Ex cit. cap. *gaudemus 8, de divortiis;* Sanchez *l. c. n. 9.* ubi longam DD. allegat seriem.

[4] Sanchez *ibid. n. 10.*

[5] Cap. *in praesentia 19, de sponsalibus et matrimonio.*

[6] Cap. *dominus 2, de secundis nuptiis.*

enim de priori inito coniugio et consequenter de extante ligaminis impedimento, certo constet, constare etiam certo debet de soluto priori vinculo per mortem coniugis, ut alter coniux aliud valeat matrimonium inire [1]. – Haec autem moralis certitudo ex pluribus capitibus erui potest.

9. Verum quo libertas novas ineundi nuptias ita cuique salva sit, ut tamen praedicta matrimonii unitas, divina lege sancita, in discrimen non adducatur, prae oculis habenda est nedum *Instructio* S. C. S. Officii data die 21 augusti 1670, et a Clemente X sancita, super examine testium ad statum liberum comprobandum pro matrimoniis contrahendis [2], sed praesertim altera eiusdem Supremae S. C. *Instructio* an. 1868 edita, quae numeris omnibus absoluta, veluti manu ducit ad probandum alicuius coniugis obitum. Hinc eam hic infra referam [3]. In ea enim regulae indigitantur, quas in eiusmodi casibus sacra illa Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad apostolicam Sedem, possint sacrorum Antistites iudicia ferre ; vel quidem si ad eam recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut longiori mora impediri sententia non debeat. – Scilicet traditur quomodo probanda sit coniugis mors per authenticum obitus documentum, vel per testium depositiones, vel per unius testimonium ceteris iunctis, vel de auditu, vel, his omnibus deficientibus, ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis urgentioribus et propiore nexu cum veritate mortis coniunctis, vel ex fama aliis adiuta adminiculis, vel tandem investigatione per publicas ephemerides [4].

[1] Cfr. Pignatelli: *Consultationum canonicarum, consult. 189.* a *n. 1.* ad *n. 6.*

[2] Hanc *Instructionem*, quae incipit per decretum *Cum alias*, habes tum in Bullario Romano, tum in *Collectanea constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis, ad usum Societatis Missionum ad exteros, n. 968. pag. 437 et seqq.* edit. Parisiis 1880.

[3] In *Appendice 8.*

[4] Cfr. praedictam *Instructionem* in *Appendice 8.* – Si sine sufficienti certitudine obitus alterius coniugis novum matrimonium con-

10. Praeter alterutrius coniugis *mortem*, vinculum matrimonii, valide quidem inter fideles contracti seu *rati sed nondum consummati*, dirimi potest 1° per *solemnem religionis professionem* alterutrius coniugis, - 2° per summi Pontificis *dispensationem*.

11. De priori ratione ratum dirimendi coniugium per solemnem religionis professionem, in praecedenti articulo iam satis actum est. Ad alteram autem quod attinet rationem rati coniugii vinculum solvendi, scilicet per summi romani Pontificis dispensationem, de cuius potestate eiusmodi dispensationes concedendi nemini catholicorum iam dubitare fas est [1], duo potissimum requiruntur: 1° ut certo constet de non secuta matrimonii consummatione; - 2° ut adsit iusta et gravis dispensationis concedendae causa [2].

12. *Certitudo de non secuta matrimonii consummatione.* Et *primo* quidem ut summus Pontifex dispensare valeat fideles a vinculo matrimonii rati, certo constare prius debet, matrimonium illud non fuisse consummatum. Certum enim est, matrimonium fidelium semel consummatum, adeo esse insolubile, ut nonnisi morte naturali alterutrius coniugis dissolvatur, ut patet ex Tridentini definitionibus [3].

tractum est, hoc est invalidum si postea constat tempore matrimonii alterum coniugem fuisse superstitem, nec revalidatur istius morte nisi consensus renovetur saltem tacite nisi clandestinitatis impedimentum obstat. - Quod si tempore secundi matrimonii mors alterius coniugis obtigerit, matrimonium est validum quoties contrahentes putarint se non teneri ad plenam obitus certitudinem habendam, vel saltem voluerint quantum potuerint novum matrimonium contrahere, secus autem si secus. - Cfr. Lehmkuhl, *Theol. Mor. vol. 2. pag. 529.*

[1] Benedict. XIV, *quaest. can. 24* scribit: « De summi Pontificis potestate in dispensando super matrimonio *rato et non consummato*, nulla est in foro et in praxi disputatio, et sola controversia reduci consuevit ad *causam*, an adsit videlicet causa sufficiens pro tali dispensatione concedenda ». Et hanc doctrinam idem Pontifex, constitutus in minoribus, iam dixerat notorie communem esse inter theologos et canonistas. Vide *quaest. can. 479 et 108.*

[2] Haec in casu speciali elucubrata satis habes etiam in huius operis *part. 2. discept. 3.*

[3] *Trid. sess. 24. can. 5 et 7.*

Firmitas namque matrimonii consummati a iure divino, naturali et evangelico profluit [1]. Constat quidem, ex divino privilegio in favorem fidei solvi posse vinculum coniugii inter *infideles* consummati, quoties alteruter ad veram fidem convertitur, altero in infidelitate manente ac renuente secum habitare sine Creatoris contumelia, ut mox declarandum; – at nullo pacto constat supremo Pontifici collatam fuisse auctoritatem solvendi vinculum matrimonii inter *fideles* consummati.

Si ergo dubium adsit, non *certitudo* de non consummatione matrimonii valide inter fideles initi, seu rati tum dispensatio apostolica quae ab hoc vinculo concederetur, tum proinde alterum coniugium vigore illius dispensationis fortasse celebratum nullitate laborarent si reapse primum matrimonium consummatum fuisset, ideoque in gravissimam animarum perniciem cederet. Patet igitur, apostolicam sedem dispensare non posse a vinculo coniugii rati, nisi prius certo constet de non consummatione eiusmodi matrimonii.

13. Id autem plene confirmatur ex constantissima Ecclesiae sentiendi ratione atque usu. Sacra enim Congregatio Concilii saepe declaravit, in *dubio* de non consummatione matrimonii, dispensationem haud esse impertiendam: ita in *Pragensi* 26 ian. 1732; – in *Vormatiensi* 23 ianuarii 1734; – in *Hispalensi* 14 martii 1739; – in *Cordubensi* 22 nov. 1760 et alibi passim. Quam constantissimam iudicandi rationem confirmavit Lambertinius, dum munere Secretarii eiusdem S. C. fungebatur, in causa *Frisigensi* 7 maii 1718 [2]. Itidem in eiusmodi causis religiosa senserunt et sentiunt ceterae Romanae Congregationes et ecclesiastica tribunalia, quibus a Romano Pontifice earundem examen committi solet: quae, perstante dubio de non consummato matrimonio inter fideles, petitionem pontificiae dispensationis reiiciendam, nedum SSmo consulendam censuerunt.

[1] *Genesis* cap. 2. — Matth. 19.

[2] Cfr. Thesaurum decretor. S. C. C.

14. Ne igitur tempus et expensae incassum terantur, probe ageret parochus vel confessarius si antequam coniuges supplicationem Summo Pontifici porrigant pro dispensatione a vinculo matrimonii rati, eos opportune instrueret, itemque ab eis haec duo exquireret, an scilicet eorum matrimonium reapse non fuerit consummatum, et an eiusmodi argumenta afferre valeant quae tantam ad probandum vim habeant, ut omne prorsus dubium excludant, de non secuta consummatione.

15. *De repugnantia alterutrius coniugis pontificiae dispensationi petendae.* Ex quorumdam Canonistarum opinandi ratione dubium oriri posset, an *repugnantia* alterutrius coniugis, queat Summum Pontificem impedire ne alteri coniugi, iustam habenti dispensationis causam, consulat. Verum communis et certa est DD. sententia quae affirmat, pontificiam potestatem dispensandi a vinculo matrimonii rati extendi quoque ad casus, in quibus alter coniux dissentiat. Ita praeter Sanchez et Schmalzgrueber citatos a Petro Giovine [1] diserte docet Dominicus Ursaya allatis Doctorum sententiis, exemplis dispensationum, pluribusque et solidis argumentis [2]. Et potissima ratio est, quia pontificia potestas nec promanat, nec pendet a consensu privatorum, sed a divina auctoritate, quam Christus Dominus divo Petro eiusque successoribus tradidit pro Ecclesiae regimine, pro maiori fidelium bono et animarum salute. Et eiusmodi ratio confirmatur ex generali Ecclesiae lege, qua dispensatur super vinculo matrimonii rati non consummati per solemnem alterutrius coniugis professionem [3] etiam altero invito; imo quamvis transactum fuerit bimestre spatium coniugibus concessum ad deliberandum de religione suscipienda, quia donec matrimonium non fuerit consummatum, liberum adhuc est coniugibus religionem amplecti, et

[1] Giovine: *De dispensat. matr. consult. canon. consult. XVII.* § 252.

[2] Ursaya: *Disceptationes ecclesiasticae, tom. 3. part. 2. discept. XXI.*

[3] Cap. 2. de convers. coniug. — Trid. *sess. 24. can 6.*

uno profitente potest alter novas nuptias inire [1]; non dissolvitur tamen matrimonium *ratum* non consummatum per sacri ordinis susceptionem, et multo minus per simplex castitatis votum [2]. Dicta ratio confirmatur etiam ex ipsius Ecclesiae disciplina, cum constet, romanos Pontifices pluries dissolvisse matrimonia simpliciter rata ad instantiam unius coniugis, altero non consentiente, aut penitus invito et reluctante prout testantur Benedictus XIV in quaestionibus canonicis [3] et Ursaya [4].

16. *Rationabilis et gravis causa.* – *Secundo* certum est ad ipsam *validitatem* dispensationis eiusmodi necessario requiri iustam causam; et ut *licite* concedi et impetrari possit, requiri causam gravem.

Et quod ad *validitatem* attinet, Doctores communi sententia docent, dispensationes in impedimentis a iure divino vel naturali inductis, necessariam omnino esse iustam causam, qua deficiente, irrita est dispensatio. Ratio est quia huiusmodi dispensationes non respiciunt propriam constitutionem seu iuris ecclesiastici, sed legem superioris; nempe Dei, in qua quidem plus Pontifex nequit, quam ipsi Deus concesserit. Atqui ei Deus potestatem administratoriam tantum concessit, in quantum dispensationem exigit Ecclesiae bonum et fidelium salus. – Ergo ut Papa valide dispenset in impedimentis a iure divino vel naturali inductis, necessario requiritur causa, scilicet bonum seu maior utilitas Ecclesiae, vel salus seu necessitas animarum [5]. – Causa vero debet esse *iusta,* scilicet *sufficiens* et *legitima,* quia quando agitur de dispensatione in lege superioris, si id fieret ex causa haud iusta, idem esset ac si daretur dispensatio absque causa, ut DD. plurimi citati a Sanchez

[1] Cfr. Benedict. XIV *De Synodo lib. XIII. cap. 12.* §§ *2–9–14.*

[2] Bened. *loc. cit.* § *9.*

[3] Bened. XIV *quaest. can. 108* in causa Ianuensi *dispensationis* die 20 maii 1719 inter Annam Mariam Pallavicini et Ioannem Iacobum Imperiali.

[4] Ursaya, *cit. discept. 12.*

[5] Cfr. Sanchez: *de matrim. lib. VIII. disp. 17. n. 3.*

demonstrant [1]. Et ratio patet, quia potestas haec divinitus collata est, ut ea Pontifex utatur iusta de causa seu sufficienti, secus dispensans excederet limites auctoritatis sibi collatae.

17. Porro ex dictis superius constat, impedimentum ligaminis fundari in unitate et indissolubilitate nuptialis foederis *divino iure* sancitis [2].

18. Ut autem *licite* concedi et impetrari queat praedicta dispensatio, requiritur causa omnino *gravis*. Cardinalis Albitius in voto consultivo ab ipso exarato pro *causa hispalensi dispensationis* supra citata (n. 13) testatur hanc esse doctrinam omnium Canonistarum. Ratio est tum quia agitur de dispensatione in iure divino, ad quam urgentiora requiruntur rationum momenta, quam si de humano tantum iure ageretur, tum quia haec relaxatio rem gravissimam attingit. Unde merito Cardinalis Hostiensis, Petrus de Ancarano, Antonius de Butrio notant, *non expedire in hac materia multum laxare habenas:* quod probe notat etiam cardinalis Lancellotti in suo celebri voto relato ab Ursaya [3] et Iacobus Pignatelli [4].

19. Animadvertendum tamen est, non esse in iure statutum, neque ex stylo Curiae inductum, hanc dispensandi causam necessario ac directe spectare debere *bonum publicum*, sed sufficit etiam ut sit causa privata, modo ex gravissimis proponatur, et reapse veritate nitatur, ut patet ex dispensationibus quae ab apostolica Sede passim conceduntur tum magnatis, tum infimae notae personis [5].

20. *De causis in specie pro dispensatione.* – Cum igitur ad *licite* dispensandum super vinculo matrimonii rati causa omnino gravis esse debeat, inquirendum superest, quaenam illae sint a iure seu consuetudine probatae. – Plures

[1] Idem *ibid. nn. 4 et 7.*
[2] §§ *1–3.* huius articuli.
[3] Ursaya *discept. 21. n. 62. et seqq.*
[4] Pignatelli: *Consultat. canonicae t. 1. consult. 148. n. 7.*
[5] Cfr. Bened. XIV *quaest. can. 479,* in *causa Urbaniensi* S. C. C. die 12 ian. 1726.

a Sanchez [1], ab Ursaya [2] aliisque referuntur, quae tamen omnes ad quinque facile reduci possunt, quarum aliquae ea ratione probari debent, qua opus est in causa dispensationis. – Itaque: *Prima* causa sit *impotentia*, scite tamen accipienda et probanda.

Secunda: *lepra vel alia infirmitas usum matrimonii impediens.*

Tertia: Odium implacabile inter coniuges, pro modo expendendum ac probandum, praesertim ex rationibus aversionis animi.

Quarta: voluntaria et nimis protracta dilatio alterius coniugis ad consummandum matrimonium.

Quinta: secundum matrimonium cum alia persona ab alterutro coniuge initum.

21. *De prima causa.* – Omnes Doctores, inter quos Pignatelli [3] et Fagnanus [4], docent, *impotentiam* alterutrius coniugis, quae matrimonio rato superveniat, iustam dispensandi causam censendam esse. Ratio est quia propter impotentiam cessat matrimonii finis; et quia altera pars ad castitatem servandam cogeretur invita, quod iura vetant [5]. – Hinc mera *sterilitas*, seiuncta ab impotentia coeundi, non est iusta causa dispensandi in matrimonio rato, quamvis sterilitas probata sit, non quidem ex usu huius legitimi coniugii, quod iam non esset simpliciter ratum sed consummatum, verum etiam si certo constaret vel ex alio matrimonio uxoris, vel ex alia qualibet ratione, uti ex chirurgica morbi in utero curatione, quae infecundam effecerit uxorem. Etenim mera sterilitas non exponit coniuges periculo incontinentiae.

22. Igitur alleganti solam impotentiam, procedendum est in causa *nullitatis matrimonii;* et si, iuris ordine ser-

[1] Sanchez: *de matr. lib. 2. disp. XVI.*

[2] Ursaya *cit. discept. 21. n. 60. et seqq.*

[3] *Consult. 147.*

[4] In *cap. verum, de convers. coniug.*

[5] Canone *integritatis 32. q. 2, de muliere non cogenda ad perpetuam castitatem.*

vato, evidenter constet, impotentiam coeundi esse *antecedentem* et *perpetuam*, matrimonium *per se nullum est.* Si vero ex actis et probatis clare colligitur, impotentiam *supervenisse* iam inito matrimonio, vel etiam si ex actis iudicialibus rite confectis *incertum* maneat, an impotentia sit *antecedens* vel *subsequens*, *temporanea* vel *perpetua*, tunc relicta actione nullitatis, proceditur in causa *dispensationis*, servatis de iure servandis. - At si vel ab initio evitari velit causa nullitatis, alleganda foret altera aeque gravis causa, ut res ineatur et procedat in ratione pontificiae dispensationis.

23. Porro *probationes*, quae de veritate impotentiae requiruntur *in causa dispensationis*, minoris momenti esse possunt et sufficiunt, quam illae quae necessariae sunt ad probandam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive relativam, quae allegatur pro fundamento declarandae *nullitatis matrimonii per officium iudicis.* In causa enim dispensationis sufficit ut artis periti, perspecto coniuge impotente, iudicent de actuali impotentia, quamvis eam deprehendant per signa praesumptive probantia, nec necessario requiritur ut eiusdem qualitates declarent, sed « satis est, ut tenet Ursaya, quod dicta impotentia sit adeo « probabilis, ut summus Pontifex illam veram existimare « possit indeque moveri ad gratiam dispensationis » [1].

24. Neque obstat quod, non cognitis qualitatibus impotentiae, contingere possit ut dispensatio concedatur super matrimonio prorsus irrito ob impotentiam antecedentem et perpetuam. Nam « in hac facti specie, ut scite animad« vertit Cardinalis De-Luca, vere et proprie non erat dis« pensatio super matrimonio alioquin firmo ac indissolu« bili, dum stantibus claris inditiis impedimenti naturalis, « videbatur potius quaedam administratio iustitiae, ita pru« dentialiter sub alio titulo magis honesto, more Principis « administratae, cum ita utriusque partis iuribus consultum « remaneret, ne scilicet vir iudicialiter declararetur impo« tens, quod idem abhorrebat, sperando ut ea impotentia,

[1] Ursaya *cit. discept.* 21. *nn.* 103-104.

« quam in hac sponsa virgine experiebatur, cessare posset « in alia muliere vidua, quod saepe praxis docuit » [1]. – His haec adde.

In foro notissimum est, saepius impotentiae qualitates esse difficillimae probationis. Hinc sapientissimo consilio apostolica Sedes in eiusmodi dubio, et alia concurrente legitima causa, adhibere non renuit salutare dispensationis remedium ad evitanda etiam gravissima illa incommoda, quae haud raro exoriuntur, quum, declarata per viam iustitiae nullitate matrimonii, et initis secundis nuptiis a coniuge potente, pars declarata impotens, sive artis remediis sive naturae viribus, aptitudinem adipiscitur ad coeundum. Tunc enim vel huic restituenda foret prima coniux quamvis haec alteri nupsisset, vel ad maiora damna et exorta incommoda amovenda, concedenda esset dispensatio a vinculo primi matrimonii rati non consummati. Et ideo in eiusmodi adiunctis haud raro S. C. declarationi nullitatis cavet ea clausula: *vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta sacra Congregatione.*

25. Quoad alias probationes huius causae animadvertendum est *primo,* triennale cohabitationis experimentum cum ab aula recesserit ad detegendum an impotentia perpetua sit vel sanabilis in causa *nullitatis* matrimonii, multo minus adhibendum est in causa *dispensationis* matrimonii rati non consummati. – *Secundo* si coniuges confugiunt ad remedium dispensationis quando signa impotentiae viri non sunt evidenter concludentia, sed *praesumptive probantia,* tunc requiritur ut uterque coniux cum *septima manu* parentum aut viciniorum bonae famae, si propinqui defuerint, depositionibus suis iuramento firmatis rem comprobent, ut dispensationis causa constet.

26. *Secunda causa.* – Lepra vel alia infirmitas contagiosa et diuturna, uti est elephantiasis, quae post initum matrimonium ante consummationem in alterutro coniuge detegitur, legitima censetur causa ad dispensandum. Ita

[1] De Luca: *Theatrum veritatis et iustitiae, lib. 14. part. 2. de matrim. discurs. IX. n. 8.*

comunissime DD. sentiunt ea ducti ratione quod ob magnum contagionis periculum, finis ad quem ordinatum est matrimonium, non obtinetur; et praeterea periculum incontinentiae, immineret alteri coniugi, si hic invitus teneretur servare castitatem. Quare Martinus V, ut refert Borgasius citatus a Sanchez [1], ob leprae causam dispensavit super vinculo matrimonii rati non consummati.

27. At vero eiusmodi causa ex iudicio in arte medica peritorum, et qui sint fide digni, probanda est, non solum quoad morbi existentiam, sed etiam an per illum immineat alteri coniugi infectionis periculum saltem probabile. Datur enim, ex medicorum sententia, lepra contagiosa et non contagiosa. Sic etiam si agatur de *phthisi* ut causa dispensationis, medicorum testimonio probandum est an de huius morbi existentia in alterutro coniuge constet, et an talis sit eius indoles, ut contagiosa iudicetur.

28. Verum cessante etiam infectionis periculo, potest morbus haberi uti causa dispensationis si coniux sanus abhorret ab accessu ad coniugem, ex. gr. lepra, lue venerea aliove morbo horrorem inferente, infectum, quamvis non agatur de ingentissimo horrore, uti ob lepram quam dicunt leoninam, « ita ut membra computrescerent et deciderent » ut ait Sanchez. Qui disserens de debito coniugali in hisce adiunctis, prosequitur: « sunt enim plerique ita ad nauseam propensi, ut ad instar mortis ab accessu ad coniugem leprosum abhorreant, et cogere illos ad copulam, esset difficillimum, ne moraliter impossibile dixerim » [2]. Et quidem ubi uxor eo morbo laboraret, ipse horror saepius inhabilem faceret virum ad reddendum, qui per se habilis esset cum uxore eo morbo non infecta (Sanchez ibid.)

29. *Tertia causa,* nempe *odium implacabile inter coniuges.* – Quae a nonnullis DD. uti a Sanchez et Ursaya (cit. locis) assignantur tanquam totidem causae iustae ad gratiam dispensationis obtinendam, nempe inimicitiae, odia, dis-

[1] *De matrim. lib. 2. disput. XVI. n. 5.*

[2] Sanchez: *De matr. lib. IX. disput. 24. n. 21.*

cordiae vel ob ipsam litem contestatam pro nullitate matrimonii, timor gravium scandalorum, rixarum et caedum, disparitas qualitatum aliaeque similes, quum fere omnes recidant in *causam implacabilis odii inter coniuges,* quippe quae vel sunt huius causae effectus vel fontes vel probationes, cumque invicem consocientur, hinc eos omnes sub unica hac causa *aversionis animi* comprehendi posse puto.

30. Itaque ex communissima Doctorum sententia, uti testatur Ursaya [1] aliique, certum est, odium implacabile, quo invicem coniuges afficiuntur, esse legitimam causam ad dispensandum super vinculo matrimonii rati non consummati. – In his enim adiunctis si coniuges cogerentur ad coniugalem vivendi consuetudinem, crebrae rixae sequerentur et probabiliter caedes; si vero in aevum separati manerent adhuc extante coniugali foedere, in adulteria facillime ruerent. Haec autem omnia publica parerent scandala, aliaque gravia mala et pericula, quae saepe nonnisi praedicta pontificiae dispensationis gratia depelli possunt. Quare hisce in casibus ex necessitate potius, quam ex aequitate concedenda est dispensatio. « Et sicut ex causa « odii, ut scribit Pignatelli, interdicitur cohabitatio, immo « non datur restitutio uxoris, sed fit perpetua separatio « etiam in matrimonio consummato, ita et in rato haec « eadem causa *urgere debet ad dispensandum* » [2].

31. Verum ut haec causa pro dispensatione efficaciter valeat, probationes afferri debent, quibus clare constet, eiusmodi animi aversionem seu odium fore implacabile. Porro si res agatur inter nobiles et potentes familias, seu inter magnates, istorum conditio per se sumpta satis ostendit, probabiliter extingui non posse odia, imo plurimum timeri « ne discordiarum semina in publicam ac diuturnam « tranquilli status mutationem, atque ipsius publicae quie« tis interversionem erumpant » ut probe notat Ursaya [3], qui plura opportuna affert exempla dispensationum a sum-

[1] *Loc. cit. discept. 21.*

[2] Pignatelli: *loc. cit. t. 1. cons. 148. n. 9.*

[3] *Cit. t. 3. part. 2. discept. 21. n. 85.*

mis Pontificibus concessarum, ut quae ab Alexandro VII impertita fuit Babilano Pallavicino et Annae Mariae Pinella, personis valde nobilibus reipublicae ianuensis, ut patet ex Brevi die 2 decembris 1662 expedito [1].

Graviores etiam probationes peti possunt ex causis unde promanant odia. Si enim ista ortum habent ex ipsa lite super matrimonii nullitate, quocumque ex capite instituta in cuius processu alter alterius famam laesit, existimationem offendit, contumeliis affecit, odia saepe haud facile nec unquam satis extingui possunt. Ita, ut inter plura, exemplum afferam, hanc causam in terminis admisit, ex S. C. C. consilio, Urbanus VIII in causa dispensationis super matrimonio rato, quod contraxerat Blanca Suarez cum Hiacynto Remos. In Brevi enim dispensationis legitur: « Litem et causam super nullitate seu invaliditate huiusmodi « matrimonii contra ipsum Hiacyntum coram eodem Ordinario seu alio iudice competente introductam, et cum in « prosecutione litis et causae huiusmodi ratione praemissorum gravia odia et inimicitiae ortae sint etc. » [2].

Item probari potest, difficilius odium extingui quoties fundatur in disparitate notabili qualitatum nobilitatis, institutionis, pietatis, aetatis vel etiam divitiarum, super quo DD. omnes concordant. Et eo potissimum si tantum post initas nuptias innotuit coniugi dissentienti disparitas valde gravis cum altero intercedens, adeo ut difficillime matrimonio ineundo consensisset, si ipsi non fuisset vaferrimis artibus obtecta tanta disparitas. Etenim ista arcet amicitiam, quae valde necessaria est ad tranquillitatem vitae in communione ducendae: immo gravis disparitas mater est discordiarum, et saepe tristissimos parit effectus: unde apud Romanos, teste Boetio, nuptiae inter impares, illegitimae habebantur, ut fusius exponit et perpendit Sanchez [3].

32. *Quarta causa: Voluntaria et nimis protracta dilatio alterius coniugis ad consummandum matrimonium.* —

[1] Videsis eiusmodi exempla apud Ursaya *loc. cit. nn. 87–91.*

[2] Apud Ursaya *loc. cit. discept. 21. n. 88.*

[3] Sanchez *cit. loc. lib. 2. disput. 16. n. 2.*

Si alteruter coniugum voluntarie plus aequo differat consummare matrimonium, neque probabilis aliqua spes effulgeat, fore ut aliquando se ad meliora consilia bonamque frugem recipiat, iustam et rationabilem causam praebet alteri coniugi impetrandi a summo Pontifice dispensationem super matrimonio rato, ne in periculo incontinentiae diutius versari cogatur [1]. — Ob hanc itaque causam, teste Benedicto XIV [2], dissolutum fuit matrimonium ratum, inter Paschalem Christinum et Isabellam Britti initum; et alia plura non desunt concessionis exempla.

33. Cum hac causa sociari potest altera, de qua quidam DD. loquuntur, quando nempe alter coniugatorum suam dilationem consummandi matrimonium praetexit asserendo se *non habuisse animum contrahendi:* quod tunc admitti potest, ut docet Sanchez [3], quum ille prorsus induci nequit ad verum praestandum consensum. In his enim adiunctis satius consulitur coniugibus per dispensationem ad cautelam si forte ille qui negat, reapse tamen verum praestiterit consensum matrimonio inito, quam illum cogere ad cohabitationem cum coniuge. Experientia enim constat, ex matrimonio coacto graves plerumque et crebras oriri inimicitias et rixas.

34. Enunciata causa dilationis consummandi matrimonium favore dispensationis roboratur, quoties sufficientes probationes confluant *de libertatis defectu in contrahendo.* Saepe enim accidit, ut alteruter contrahens per metum gravem, iniuste incussum, cadentem in virum constantem ad ineundum matrimonium cogatur. Quamvis autem ex eiusmodi metu irrita reddantur coniugia, tamen cum difficilis probationis ille sit, et in causa nullitatis dubium aliquod non raro supersit de gravitate metus, hinc apud sacram Congregationem Concilii invaluit, ut expletis actis iudicialibus per viam iustitiae, admittatur tanquam iusta et

[1] Cfr. Ursaya *cit. loc. nn. 95–97,* ubi plures affert DD. sententias.

[2] *Quaest. canon. 479 sup. cit.*

[3] Sanchez: *De matrim. lib. 2. disp. 16. n. 7.*

rationabilis causa ad dispensandum metus incussus, quoties de eo sufficienter constet, ut exemplo confirmatur in causa Veronensi et Vicentina *matrimonii*, habita die 21 maii 1843 et 29 iunii 1848.

35. *Quinta causa : Secundum matrimonium contractum de facto ab alterutro coniuge cum alia persona post initum matrimonium ratum cum primo adhuc vivente.* – Eiusmodi causa tamquam iusta et rationabilis coniugi innocenti pro dispensatione super matrimonio rato suffragatur, quando hic odio implacabili afficitur in delinquentem, qui facto ipso secundi coniugii, infensum animum atque inimicum ostendit erga innocentem. – Quod si vir tantum crimen patraverit, et alteram puellam adeo fefellerit, ut eam duxerit, quin haec ne suspicionem quidem habere potuerit de alio extante foedere per ipsum inito, tunc alia etiam exurgit causa dispensandi. – Eo vel magis urget eiusmodi causa, si, manente primo matrimonio simpliciter rato, alterum matrimonium, initum seu attentatum, fuerit etiam *consummatum*. Ad rem affert exemplum Cardinalis De-Luca [1] et allegatur ab Ursaya [2]. En eiusmodi exemplum. Mulier quaedam, accepto mandato a viro in carcere detento, sibique coniuncto in quarto affinitatis gradu, matrimonium per procuratorem contraxit. Incertum tamen mansit an reapse ad huius matrimonii celebrationem cum dicto procuratore deventum esset, et an dispensatio ab affinitatis impedimento valida fuerit ratione subreptionis. At hoc primo matrimonio pro valido habito et simpliciter rato, eadem mulier alterum, iuxta Tridentini formam, matrimonium iniit et consummavit cum filio primi coniugis, quamvis inter ipsos extaret impedimentum iustitiae publicae honestatis. In dubio super huius secundi matrimonii validitate, sententiam rogatus pro veritate dictus iurisperitus De Luca, seu quomodo consulendum esset in casu, dilutis aliis difficultatibus, respondit: « Aliud non superesse remedium nisi illud obtinendi dispensationem apostolicam

[1] *Lib. XIV. de matrim. part. 2. discursu 7.*
[2] *Cit. discept. 21. n. 110.*

super tali impedimento *(publicae honestatis)*, cum revalidatione secundi matrimonii iam consummati, ac *dissolutione primi solum rati*. Hanc autem dispensationem iuste ac rationabiliter sperandam esse dicebam, utpote per Sedem Apostolicam concedi solitam, quando nulla suspicio urgeat consummationis primi matrimonii, dum e converso ob consummationem secundi, infamia mulieris, aliaque scandala resultarent » [1].

36. Maiorem vim habet pro dispensatione super matrimonio rato praedicta causa si alterum coniugium initum fuerit *inculpabiliter* seu *bona fide* utriusque contrahentis. Id autem comprobatur exemplo relato in thesauro decretorum S. C. Concilii, volumine nondum in lucem edito anni 1711 sub die 16 maii eiusdem anni, illudque ad verbum exscribere iuvat, quippe in similibus casibus, non raro occurrentibus, utiliter prae oculis haberi poterit. Sit itaque:

« Oriolen. *dispensationis*. - De anno 1702 inito matrimonio in facie Ecclesiae inter Paschasium Quesada pharmacopolam, suae aetatis annorum 25 et Rosam Fort puellam annos 15 natam, post eorum cohabitationem fere duorum mensium, cum simul carnaliter commisceri non possent ob nimiam Rosae arctitudinem, haec doloris impatiens, virum exosa, ab eo divertit, et ad maternos lares confugit. - Quesada itaque usu coniugis spoliatus, cupiens eam sibi restitui, officium Vicarii seu Officialis generalis Oriolen. imploravit. - Caepto igitur iudicio, Vicarius, omisso triennalis cohabitationis canonico experimento, assignavit Rosae terminum sex dierum ad suae arctitudinis impedimentum probandum. Quapropter fuerunt adhibiti quatuor chirurgi et una obstetrix, qui per eorum inspectionem, Rosam praedictam perpetuo arctitudinis impedimento gravari, suo iuramento firmarunt. - Verum ut cautius in re tanti momenti procederetur, vocato promotore fiscali, iussit Vicarius

[1] Cfr. De Luca *loc. cit. nn. 6-7*, ubi citat alia exempla relata a Barbosa (ad Concil. Trid. *sess. 24. de refor. mart. cap. 3. nn. 12-13*) quae tamen potius attingunt dispensationem impedimenti publicae honestatis, quam dissolutionem matrimonii rati.

ut deveniretur ad alterum examen per duas matronas in nuptiali opere expertas ac bonae opinionis, et alios quatuor chirurgos, qui iureiurando adstricti, accedente septima propinquorum manu, similiter per inspectionem, Rosae arctitudinis impedimentum perpetuum, insanabile ac absolutum consona voce testati sunt. In omnibus hisce actibus audito, sed reclamante Quesada, eoque tamen in suis probationibus deficiente, devenit Vicarius ad sententiam de anno 1704 prolatam, in quo declaravit nullum et irritum matrimonium inter praefatos sponsos contractum, ob perpetuum et absolutum impedimentum arctitudinis praedictae Rosae, separationemque per eam factam a Quesada vigere, eisdemque propterea facultas indulta fuit transeundi ad alium statum sibi benevisum iuxta eorum habilitatem. – Adstantibus partibus huic decisioni, lapsisque fatalibus, dictus Quesada de anno 1706 ad secundas nuptias iuxta S. C. T. decreta convolavit cum Maria Antonia Perez puella aetatis annorum viginti, ex eaque post triennalem cohabitationem prolem suscepit subinde defunctam. – His ita praehabitis, antedicta Rosa Fort. grandior effecta, cum Antonio Ximenes, sub spe apostolicae dispensationis, sponsalia contraxit, ac vesano amore percita, cum eodem carnaliter commixta fuit; exindeque institit coram Episcopo, quatenus sibi liceret cum Ximenes matrimonio iungi. Sed ex adverso contradicente promotore fiscali, atque instante, ut quatenus Rosae aptitudo comperiretur, eam restituendam fore Pascasio Quesada primo viro, fuit proinde eadem tradita inspicienda duobus Obstetricibus ac quatuor Chirurgis, qui sane iuramento asseverarunt, dictam Rosam esse cognoscibilem, et ad viriles amplexus aptam inveniri; qua de re secundo nuptis facta inhibitione quoad torum et mensam, Maria Antonia (Perez) reposita est in domo honesta. – Nihilominus renuit Quesada redire ad Rosam, tum quia ab ea fuit separatus iudiciali sententia, tum pariter ob honoris leges, quae non sinunt, ipsum coniugalem vitam ducere cum ea, quae carnalem commixtionem admisit cum Ximenes quemadmodum pars viciniae et ipsimet sponsi testati sunt, sed potius esse eidem restituendam Mariam Antoniam Perez

sibi canonice copulatam, ne innupta maneat, et Rosam Fort copulandam cum Antonio Ximenes, ne rixae et iurgia inter eorum consanguineos suboriantur. Quapropter recursum habuerunt ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis, tam scilicet *Paschasius Quesada et Maria Antonia Perez* rogantes pro dispensatione perseverandi in matrimonio contracto (idest pro dispensatione super vinculo prioris matrimonii simpliciter rati, ut perseverare possent in secundo contracto), quam *Antonius Ximenes* et *Rosa Fort* pro simili dispensatione exorantes ut habilitentur, ad matrimonium invicem contrahendum (seu revalidandum). - Datis itaque literis Episcopo Oriolen. pro informatione, respondit eius Vicarius generalis, qui uberius confirmando expositorum veritatem, ad evitanda scandala et dissidia, Oratorum precibus indulgendum censuit, prout fusius ex eius relatione ac aliis documentis transmissis, in Summario exhibendis. - Hinc Oratores ipsi eorum enixas repetunt preces pro reportanda gratia ex deducendis sub dubio:

An et quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu etc.?

S. C. (die 16 maii 1711) attenta relatione Episcopi Oriolen. censuit, si SSmo D. N. placuerit, praesentem supplicationem signari posse ». - Scilicet, esse locum dispensationi cum utrisque, renovato consensu inter primos coniuges ad formam Concilii.

37. An autem eiusmodi romanorum Pontificum potestas ratum fidelium dirimendi coniugium, extendenda sit etiam ad matrimonia in infidelitate seu ante baptismum, non quidem post baptismum quo coniugium fit ratum, consummata, dissident adhuc Doctores. Affirmant inter plures alios Navarrus, Sanchez, Verricellius, Pirhing, Reginaldus, Laymann, Filliucius, qui testatur, Pontifices aliquando dispensasse. Negant Coninch, Ponce post Vasquez et alii. - Omnes autem tenent, non posse Pontificem sine causa dispensare aut legem universalem condere qua omnia ea matrimonia irritet, aut in his omnibus dispenset, sed, in prima sententia, tantum posse quantum in votis fidelium [1]. - Sed in-

[1] Vide cit. *Collectaneam Societatis Missionum n. 921. p. 409;*

fra, de *interpellatione* coniugi infideli facienda disserentes, videbimus quid de his duobus oppositis sententiis dicendum sit. Id enim maxime pendere arbitror ex sensu, quo accipi debeant dispensationes concessae per apostolicas litteras praesertim s. Pii V et Gregorii XIII, ut matrimonia post baptismum inita, non monitis prioribus coniugibus infidelibus, vel quamvis et ipsis iam conversis ad Christi fidem, valida et firma essent.

38. Inquirendum itaque primum an et quando vinculum coniugii *in infidelitate* contracti dirimatur per alterutrius coniugis ad Christi fidem *conversionem*, et quid ad hoc requiratur. - « Certum est, inquit Benedictus XIV [1], infidelium coniugium [2] ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per Apostolum Paulum promulgato [3], dissolvi cum coniugum alter christianam fidem [4] amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso; aut cohabitare quidem volente, sed *non sine contumelia Creatoris*, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi et christianae religionis despicientia. - Ex hoc vero fit, integrum non esse coniugi converso transire ad alia vota priusquam infidelis *interpellatus* aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia; uti colligitur ex celeberrima decretali Innocentii III » [5].

vel, praeter citatos Auctores, vide Ferraris *bibl. can. tom. 5.* verbo *matrim. n. 114. pag. 224* in nota, edit. Neapoli 1853.

[1] *De Synodo lib. 6. cap. 4. n. 3.*

[2] Etiam consummatum tempore infidelitatis.

[3] I. Corinth. *cap. .7 v. 15*, ubi scribit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (idest coniugii vinculo) *subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.*

[4] Intellige per susceptionem baptismi.

[5] Cap. *quanto 7, de divortiis*, et notant Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 74. n. 12,* aliique ibid. citati.

39. Hoc autem matrimonium non statim dissolvitur ac infidelis renuit converti et cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, sed tunc prius solvitur, cum fidelis secundum contrahit matrimonium. Quam doctrinam Benedictus XIV [1] communem, imo communissimam theologorum et canonistarum esse fatetur. Cum enim Innocentius III [2] statuat ac iubeat, ut fidelis seu conversus ad fidem compellatur uxorem recipere post ipsum conversam, antequam ipse matrimonium aliud contraxerit, infertur, prioris matrimonii vinculum non fuisse solutum [3]. - Hinc autem sequitur, ut priori dissoluto matrimonio per novas conversi nuptias, integrum erit alteri quoque coniugi aliud inire matrimonium non solum valide, sed et licite, tum si ad fidem convertatur, tum etiam, ut communior habet sententia, si in infidelitate perseveret [4].

Praeterea nedum per aliud matrimonium fidelis, sed et per *professionem religiosam* a coniuge converso emissam, prius *matrimonium resolvi verius affirmant*, inquit Maschat [5], S. Bonaventura, Sanchez etc. [6]. Non tamen solvitur per sacrorum susceptionem Ordinum, aut per votum absolutae castitatis, ut communis DD. sententia docet.

40. Nequit autem coniux conversus secundas inire nuptias, nisi prius coniugem adhuc infidelem monuerit, seu *interpellaverit,* ut constet videlicet, *velit ne et ipse fidem amplecti,* aut pro casuum circumstantiis et regionum moribus, ut infra videbimus, *velit ne pacifice cum converso habitare sine Dei contumelia, nec fidelem pertrahens ad peccatum.* - Ratio patet, quia sicut in dubio de morte prioris coniugis, necessarium est inquirere, ut nuper diximus [7], an ille mortuus reipsa sit, ut alter coniux secundas valeat

[1] *Quaest. Can. 546. n. 6.*

[2] Cap. *gaudemus 8, de divortiis.*

[3] Leurenius *lib. 4. tit. 19. quaest. 283.* — Pirhing *eod. lib. et tit. n. 35.*

[4] Sanchez *lib. 7. disp. 77. n. 6.*

[5] Maschat *Inst. can. lib. 4. tit. 19. n. 9.*

[6] V. Sanchez *lib. 7. disp. 76. n. 9.*

[7] *Praecedent. nn. 8-9.*

inire nuptias; sic ut conversus coniux ad alia possit vota convolare ex divino privilegio per Paulum promulgato, inquirendum est an coniux infidelis reipsa *discedat,* iuxta Apostoli phrasim.

41. Cum igitur *interpellatione* coniugis infidelis ea ratione opus sit, ut de eiusdem *discessione* constet, merito Sanchez obligationem interpellationis limitat seu excludit quando aliunde per sufficientem probationem *moraliter constet* de obstinatione infidelis [1].

Hinc non tenetur conversus coniux interpellare non conversum 1° quando *constat,* eum nolle redire ad conversum, respuens omnino convictum et cohabitationem cum coniuge fideli, ita ut explorata habeatur *physica discessio* coniugis infidelis, ut contingeret in casu, quo infidelis malitiose fugerit, vel latitet ne interpelletur [2]; – 2° quando *constat,* hunc velle quidem redire ad conversum, sed cum Creatoris iniuria, ita ut comperta habeatur eius *moralis discessio.* – Haec autem *constare* prius debent per processum saltem summarium et extraiudicialem, uti exigit Gregorius XIII in suo Brevi sub die 25 ianuarii 1585 [3]. – Et haec in hypothesi quod matrimonium fuerit *valide* in infidelitate contractum. Non enim opus est ut constet de coniugis infidelis *pertinacia* seu *discessione* ad excludendam interpellationis necessitatem seu obligationem, si 3° *certo constiterit,* connubium cum illo in infidelitate initum, fuisse *invalidum* vel ob defectum liberi consensus; – vel ob aliquam conditionem substantiae matrimonii repugnantem in actu ipso contrahendi appositam [4]; – vel ob legem dissolubilitatis in loco contractus fortasse vigentem et in actu contrahendi sive ab utroque coniuge sive ab uno

[1] Vide Sanchez *lib. 7. disp. 74. n. 13. et n. 18,* ubi de induciis infideli concedendis disserit.

[2] Vide Clericatum *de matrim decis. 11. nn. 25–26.*

[3] Habes hoc documentum Gregorii XIII etiam in cit. *Collectanea Societatis Missionum, part. 2. cap. 9. § 3. de imped. ligaminis, n. 920. pag. 408.* cit. edit.

[4] Recole quae supra diximus *cap. I. art. 1. nn. 4–5,* ubi de conditionibus in actu contrahendi matrimonium appositis.

tantum *expresse* intentam [1]; - vel tandem ob *naturale* dirimens aliquod impedimentum. - Ubi enim iam certo constiterit de prioris nullitate matrimonii, quis non videt, conversum manere liberum et sui iuris, ac proinde licite vel valide posse alias inire nuptias? [2]

42. Quod si de iis non quidem constet, at vero graves urgeant causae, quae suadeant ab interpellatione abstinendum esse, dum tamen conversus alias inire nuptias exoptet, tunc apostolica Sedes erit adeunda pro dispensatione obtinenda ab interpellatione « nec Sedes apostolica, inquit Benedictus XIV [3], difficilem se praebet eam petentibus dispensationem, quam *urgens causa* suadeat, concedendam ». - Inter huiusmodi autem urgentes causas ea ut princeps enumeranda est, nempe *periculum certum damni maximi,* quod christiana caperet religio in ditione infidelium si fieret interpellatio. Tunc autem certum damni periculum debet a loci Ordinario seu ab apostolico Vicario seu a Missionario, onerata manente investigatoris conscientia, non qualicumque ratione, sed per *processum* saltem oeconomicum et extraiudicialem probari, veluti agendum diximus in casu de coniugis discessione probanda. Sine enim eiusmodi adhibito examine, vel periculum damni quod christiano nomini allatum iri timebatur, non adesse, vel ex prudenti iudicio certum non esse deprehendatur aut alia

[1] De quo tamen cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 5. de condit. apposit. quaest. 177.* « an et qualiter *modus* adiectus contractui matrimonii illud suspendat aut vitiet ».

[2] Ita fere docet *Instructio* S. C. S. Off. diei *19 iulii 1848* a Pio IX approbata et una cum facultatibus a S. C. de Propaganda fide ad Vicarium apostolicum Ho-nan in regno Sinarum missa pro quodam particulari casu exposito ab eodem Vicario.

[3] Bened. XIV *de Synodo lib. 6. cap. 4. n. 3.* - Praeter ea, quae idem Pontifex citat, pene innumera eiusmodi dispensationum et facultatum exempla habes in cit. *Collectanea ad usum Societatis Missionum, pag. 407 et seqq.* An autem illa omnia dicenda sint exempla dispensationum ab interpellatione, seu potius quaedam ex illis veras praeseferant dispensationes prioris iugalis vinculi in infidelitate contracti, mox videbimus.

quae urgens causa putabatur, nutet: tunc infidelis, pro temporum, personarum et locorum adiunctis, sive per iudicem ecclesiasticum aut etiam laicum, sive extraiudicialiter a coniuge converso adhibitis testibus, ut satius est [1], aut saltem, si aliter fieri nequeat, per *bonam aliquam interpositam prudentemque personam* erit interpellandus [2].

43. Verum ea potior enodanda est difficultas, scilicet quid sit agendum quando coniux ad fidem conversus interpellare alterum nequit, - vel quia infidelis non potest adiri, - vel quia non constat, quaenam ex pluribus personis sit interpellanda, e. gr. cum ignoratur, quaenam e pluribus, quas quis habet vel habuit, legitima sit eiusdem uxor.

44. Et *primo* quidem quaeritur, quid agendum sit quando interpellari infidelis non potest ex *prima causa,* quia scilicet ubinam sit ignoratur, vel adeo distat, ut monitio moraliter impossibilis censeatur. Dici enim nequit, moralem tunc haberi certitudinem de infidelis obstinatione in *discessu* ad sensum phrasis Apostoli, et consequenter in casu haud opus esse interpellatione, ut plures docuerunt, quos citat et sequitur Sanchez [3]. Ultro enim dabimus quod alter coniux spe destitui forte possit suum recuperandi coniugem: at vero ex ea tantum ratione quod interpellandus coniux adiri nequit, argui et haberi posse moralem certitudinem quod hic nolit aut converti, aut habitare pacifice sine peccato cum converso, haud admitti posse censemus. Eo vel magis quod, experientia teste, non raro eveniat, ut prius ad christianam fidem venerit coniux, qui putabatur in infidelitate obstinatus, quam recens conversus. Igitur in eiusmodi rerum adiunctis, quibus solutioni prioris vinculi coniugalis nullum converso ius praebet alterius coniugis *discessus,* quippe qui vel non existit, vel erui nequit, adeunda erit apostolica Sedes pro opportuno remedio [4].

[1] Cfr. Clericatum *de matrim.* cit. *decis. 11. nn. 22–23.*

[2] Plura ex cit. *Instructione* diei *19 iulii 1848.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 74. n. 14.*

[4] Meminisse hic iuvabit, quod, post Verricellum *(de apostolicis Missionibus, tit. 4.)* animadvervit Benedictus XIV *(De Synodo lib. 13. cap. 21.* initio *nn. 3. et 6.)* scilicet, Constitutiones S. Pii V

« Ut enim infidelis conversus, scribit Pignatelli [1], contrahere possit aliud matrimonium, non sufficit voluntas praesumpta coniugis infidelis, quod nolit *(converti aut)* cohabitare, ut si regio ubi degit valde distet, sed *requiritur etiam dispensatio apostolica* ». Sed in quae cadit eiusmodi apostolica dispensatio? - Praeeunte itaque Pontio, quem citat et sequitur Lambertinius [2], nonnulli docent, conversum ad fidem aliud matrimonium in casu inire non posse, nisi *dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio;* nimirum aiunt opus esse, ut Pontifex apostolica potestate *dispenset ab interpellatione coniugis, quem non posse interpellari legitime constat.* - At si conditio ab Apostolo requisita *(si infidelis discedit, discedat)* in facto desit; et insuper si qui supponitur *discedens,* christianam fidem et baptismum susceperat antequam alter hoc regenerationis lavacro iustificaretur, aut saltem antequam novas contraheret nuptias, ita ut prius matrimonium in infidelitate initum iam *ratum* evaserit, quomodo sola Papae dispensatione ab interpellatione vinculum prioris matrimonii cessabit? Ceterum nemo ignorat, solutionem prioris vinculi essentialiter necessariam esse, ut quis possit novum inire coniugium.

Rectius igitur ratiocinari ac veritati suffragari videntur, qui cum Verricellio, citato a Lambertinio [3], ex Gregorii XIII, Urbani VIII et Pii V litteris concludunt, apostolicam Sedem in eiusmodi casibus, quibus conversus ad fidem novum velit matrimonium inire, dum alter coniux interpellandus adiri ullo pacto nequeat, non tam dispensationem

et Gregorii XIII mox citandas, certas quasdam tantummodo complecti regiones, neque ad alias extendi posse, quantumvis rationis et circumstantiarum paritas aut identitas id suadere videatur. - Quare ubi non habetur apostolica facultas, semper adeunda erit Sedes apostolica vel pro facultatibus in genere, vel pro casibus in specie.

[1] Pignatelli, *Consultationum canonicarum, tom. 4. consult. 189. n. 7. pag. 283.* edit. Venet. 1704.

[2] Vide Benedicti XIV opus *de Synodo lib. 6. cap. 4. n. 3.* - et iterum *lib. 13. cap. 21. nn. 3-4.*

[3] *De Synodo lib. 13. cap. 21. n. 5.*

ab interpellatione largiri, quam potius per eam dispensationem dissolvere primum validum coniugium; docent scilicet quod « prioris vinculi ablatio adscribenda sit apostolicae potestati, quae vi concessae illius dispensationis, infidelium matrimonia, nondum post conversionem ad fidem *consummata*, sed adhuc *mere rata*, solvendi auctoritate pollet, et de fato dissolvit ». Et re quidem vera, Gregorius XIII in litteris diei 25 ianuarii 1585 inquit: « Quae matrimonia, etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatem *(adhaerendi scilicet suis coniugibus)* iuste impeditos *declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse*, nihilominus rescindi nunquam debere, sed *valida et firma esse* » [1]. – Iam vero his verbis Pontifex supponit etiam casum, in quo nullus datur locus facultati per Apostolum factae occasione alterius coniugis *discedentis*, deficiente in casu conditione: *si infidelis discedit*, (fidelis) *discedat;* quum non modo ignoretur *discessus*, sed et omnino deesse supponatur, quia et alter coniux exhibetur ut ad fidem iam conversus tempore quo alter novas contrahebat nuptias. Cum ergo divino iure, Christi lege sancito, novum nequeat iniri coniugii foedus nisi prioris *consummati matrimonii* vinculum solvatur; cum hoc fieri nequeat nisi vel alterutrius coniugis morte, vel vi privilegii a Paulo promulgati; cumque haec in casu deficere supponantur et nihilominus Pontifex valida decernat posteriora coniugia: concludendum omnino est, ipsum de apostolicae plenitudine potestatis, per dispensationem prius illud vinculum coniugale dissolvisse; nisi dici velit, Summum Pontificem, nullo suffragante iure, polygamiam dispensando permisisse, vel etiam polyandriam. Secus enim Pontifex haud potuisset declarare, *rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse* posteriora coniugia a conversis contracta. Atque ideo Gregorius XIII in iisdem litteris eiusmodi a priori vinculo dispensationem concessurus, huius

[1] Vide has litteras vel apud Clericatum *de matr. decis. 11. n. 28;* – vel in cit. *Collectanea Societatis Missionum, n. 920. pag. 408.*

potestatis diserte his meminit verbis: « Idcirco nos attendentes, huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut *necessitate suadente dissolvi non possint,*... plenam *auctoritate apostolica,* tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi etc. ». – Urbanum VIII eandem dispensationem concessurum in iisdem litteris datis 20 octobris 1624, et rursum 17 septembris 1627 declarasse, *Sedem apostolicam ex gravi causa posse aliquando matrimonia infidelium dissolvere,* testatur Cardinalis Lugo in libello supplici quem eidem Pontifici obtulit, quemque retulit Cardenas [1]. « Maiorem enim, inquit Sanchez, firmitatem sortitur matrimonium ex ratione sacramenti, quam habet (coniugium) ratum fidelium, quam ex ratione contractus naturalis, quam solum habet matrimonium consummatum infidelium.... Cum ergo possit Pontifex dispensare in matrimonio rato fidelium, poterit a fortiori in consummato infidelium » [2].

45. *Secundo* quaeritur quid agendum sit, quando ob alteram ex dictis causis prope est impossibile infidelem interpellare coniugem, scilicet quia ignoratur quaenam e. gr. ex pluribus uxoribus, quas conversus habeat vel habuerit, interpellanda sit tanquam legitima, ea ratione quod incertum sit, quaenam sit *prima* uxor tanquam sola legitima post evangelicae legis promulgationem. Eiusmodi incertitudo ex frequentibus enascitur barbarorum repudiis, ita ut legitimae uxores ab aliis repudiatae ducantur ab aliis, qui et suas aut non suas et ipsi repudiaverant, et alias atque alias duxerant; ita ut ex hac virorum et mulierum veluti commutatione in dies, confusio enascatur, qua nemo hominum quandoque valeat legitimam designare uxorem conversi viri, vel virum conversae uxoris.

Porro dato etiam quod neophytus legitimam aliquando invenire posset uxorem ab se repudiatam, durum ipsi erat,

[1] Cardenas, *Theolog. part. 4. dissert. 2. n. 552* cit. a cl. p. Ballerini in notis ad theolog. mor. Gury *t. 2.* ad *n. 759 nota* (a) *pag. 517,* edit. Romae 1869.

[2] Sanchez *lib. 2. disp. 17. n. 2.*

hanc recipere, et eam, quam praediligebat, dimittere. Aliunde sive quia prior legitima uxor interpellari non poterat eo quod ignorabatur, et forsan iam et ipsa ad fidem conversa; vel quia inventa et interpellata, consentiebat converti vel cohabitare pacifice, nihilominus tanquam exosa a viro suo reiiciebatur: in neutro casu dici poterat locum habere privilegium Pauli transeundi ad alias nuptias, vel quia de primae uxoris *discessu* constare non poterat, vel quia causa et conditio deerat primam illam et legitimam dimittendi. Manebat itaque firmum prioris vinculum matrimonii, quod solvi per alias nuptias nequibat.

Magna itaque Episcoporum, Parochorum et Missionariorum anxietate, haec ad apostolicam Sedem fuerunt pro opportuno remedio delata. Pius autem V litteris diei 2 augusti an. 1571 [1], vestigiis inhaerens Pauli III [2], quos postea ratione non absimili secutus fuit Gregorius XIII litteris supra citatis, ad haec urgentia rerum hanc attulit provisionem: « Romani Pontifices etc. – Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est, quod recipientibus baptismum permissum sit remanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit; et quia saepenumero contingit, *illam non esse primam coniugem* [3], unde tam Ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum est separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia *difficillimum foret primam coniugem reperire:* ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et Ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et certa scientia, *nostra et aposto-*

[1] Has litteras Pii V habes in cit. *Collectanea Societatis Missionum pagg. 407-408. n. 919.*

[2] Et has Pauli III litteras habes in eadem *Collectanea* ibid. *n. 918.* pro Indis occidentalibus datas.

[3] Dum post promulgatam evangelicam legem sola *prima* iure sit legitima.

licae potestatis plenitudine, ut Indi sic ut praemittitur baptizati et in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur *remanere valeant tanquam cum uxore legitima,* aliis dimissis [1] *apostolica auctoritate* tenore praesentium, *declaramus matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere* » etc.

Tenet itaque Pontifex vel difficillimum esse primam, quae legitima foret, coniugem reperire; ergo prae oculis habuit, non constare de eius *discessu,* quin et fieri posse, ut et ipsa, divina aspirante gratia, iam ad Christi fidem et baptismum venerit; - vel durissimum esse separare conversum ab uxore illegitima baptizata, ut aut castam vitam ducat invitus, aut primam legitimam recipiat si inveniatur, et converti velit vel habitare pacifice. Nihilominus declarat, conversum remanere posse cum uxore baptizata tanquam cum uxore legitima, quamvis non sit prima, et eiusmodi matrimonium inter eos legitime consistere. At vero quum remanere non valeret conversus cum altera post primam ducta, neque hoc matrimonium consistere posset, nisi prioris coniugii vinculo dissoluto; cumque solutio vinculi in casu neque morti primae legitimae uxoris, quae vita frui supponitur, neque facultati ab apostolo Paulo concessae ob prioris uxoris infidelis *discessum,* concludendum est, romanum Pontificem, *apostolicae auctoritatis et potestatis plenitudine* adhibita, ut non otiose sed vigilanter declarat, primum illud, si quod extabat, vinculum solvere et auferre voluisse, dispensando a priori matrimonio valido in infidelitate inito, sed non consummato post baptismum alterutrius coniugis [2].

46. At vero cum infidelis potest interpellari, et interpellatus renuat quidem converti, declaret tamen, se velle

[1] Quas inter et *prima,* quae legitima erat, comprehenditur.

[2] Cfr. cl. p. Ballerini *loc. cit.* a *pag. 521* ad *pag. 526,* ubi etiam expendit ac diluit ea, quae Pontius ac dein Lambertinius in medium attulerunt ad contrariam sustinendam opinionem, scilicet, romanos Pontifices in citatis litteris apostolicis, non dissolvisse primum validum matrimonium, sed tantum dispensasse ab interpellatione coniugis.

habitare cum altero coniuge converso sine contumelia Creatoris [1], et quin coniugi converso periculum ingerat perversionis, vel ad lethale pertrahat peccatum: quaeritur, an liceat nihilominus coniugi ad fidem converso infidelem deserere, et primum dissolvere coniugium alias ineundo nuptias cum fideli. - Duplex adest sententia: prima negat, posse conversum hoc in casu aliud valide inire matrimonium, ut plures DD. tenent [2]. Altera sententia, quam veriorem existimat Sanchez [3], docet posse dirimi vinculum prioris matrimonii, et coniugem conversum posse alias inire nuptias, si infidelis converti renuat, quamvis pacifice cohabitare velit cum fideli, sine Dei contumelia et sine pertractione fidelis ad peccatum. - Ratio, quam afferunt, haec est. Iuxta privilegium in favorem fidei a Paulo promulgatum, tunc fidelis non est subiectus servituti (idest coniugii vinculo) prioris matrimonii, et liber est ad aliud ineundum, quando infidelis discedit ac relinquit fidelem per *discessionem physicam* ob huius conversionem, vel eam cohabitationem eligit, quae fideli illicita est, seu discedit per *discessionem moralem*. - Atqui hodie illicitum est fideli habitare cum coniuge infideli in infidelitate pertinaci [4]. Etenim primum in Concilio Toletano IV an. Chri-

[1] Contumelia Creatoris haberetur si infidelis Deum et Christum blasphemaret, eius nomen despiceret, eius prohiberet laudes, conversionem domesticorum impediret etc., ut in pluribus iuris canonici textibus declaratur.

[2] Apud Sanchez *lib. 7. disp. 74. n. 8.*

[3] Sanchez *ibid. n. 9.*

[4] At vero Vicario apostolico Tongkini occidentalis dubium exponenti in casu matrimonii tempore infidelitatis initi, dum alter coniugum ad fidem convertitur: « An si non daretur talis dispensatio (super cultus disparitate), pars conversa non posset nec licite nec valide remanere cum sua comparte infideli, sine contumelia Creatoris cohabitare consentienti? » — S. C. S. Off. die *14 decembris 1848* respondit: « Quando pars infidelis consentit habitare cum fideli absque contumelia Creatoris, matrimonium consistere iuxta D. Paulum, *atque ad huiusmodi effectum nullam in casu necessariam esse dispensationem* ». (In cit. *Collectanea pag. 424. n. 946*). -

sti 633 sancitum fuit: « Iudaei, qui christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in eius permanere coniugio, quae iam in christianam translata est fidem » [1]. – Post eiusmodi decretum, quod Iudaeos afficit, Ecclesiae *consuetudine* receptum est, ac praeceptum inductum, ne coniux ad fidem conversus permittatur indiscriminatim cum infideli cuiuscumque sectae habitare ob imminens *perversionis periculum* [2]. – Praeterea si fideli non integrum esset hoc in casu ad alias nuptias transire, subiectus foret servituti prioris matrimonii absque sua culpa, cum contrarium doceat Apostolus, cumque ratio huius privilegii concedendi fuerit ne fidelis, praecepti necessitate coactus, cogeretur vitam caelibem ducere, neve timore continentiae servandae retraherentur infideles a christiana suscipienda fide [3].

47. Cum hac porro quaestione arctissime connectitur altera, de quo nempe moneri ac interpellari debeat coniux infidelis a fideli, et in utramque non parum lucis effunditur ex iis in primis quae statuit Synodus Vicariatus Sutchuensis anno 1803 celebrata, et S. C. Fidei Propagandae praepositae auctoritate confirmata [4], atque, apostolica Sede approbante, ad omnes Vicariatus apostolicos Sinarum et ad regna quae Sinis adiacent, extensa [5]. Haec

[1] Refertur a Clericato *de sacramento matr. decis. 11. n. 35* ex cap. *Iudaei 28. q. 1.*

At eiusmodi cohabitatio sine contumelia Creatoris etc., expresse permittitur, decretalibus Innocentii III cap. *quanto 7.* et cap. *gaudemus 8, de divortiis,* quae multo tempore post toletanum canonem edita fuisse constat.

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 75. n. 12.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 74. n. 9.*

[4] Ex litteris S. C. die *29 iunii 1822* datis et eidem Synodo adiectis, *pag. 104 et seqq.*, edit. recent. Romae 1869.

[5] Ex decreto S. C. de Propaganda fide *27 augusti 1832,* quo statuitur: « Observantia regularum in Synodo Sutchuensi anni *1803* et eius appendice praescriptarum extendatur ad omnes Episcopatus et Vicariatus apostolicos in Sinis et regnis adiacentibus existentes ».

siquidem Synodus pro dicti Vicariatus fidelibus perspicue declarans, quibus in casibus Missionarii, qui eiusmodi facultate praediti sint, ab interpellatione dispensare valeant [1], et quibus modis ad normam Brevis Gregorii XIII sit procedendum: ea insuper praescribit de quibus facienda sit interpellatio. - Generatim itaque disserens de casu coniugis, qui ad fidem conversus, altero in infidelitate persistente, velit ad alia vota transire, statuit: « De duobus porro dumtaxat fieri debet interpellatio, nempe 1. num pars infidelis velit converti, - 2. num saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris » [2].

De peculiari autem casu dein agens, quo dispensandum sit cum infidelibus plures habentibus uxores, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si et ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi *prima* voluerit converti, monet, ut item non dispensetur ab interpellatione *primae* uxoris nisi in casibus in gregoriano Brevi expressis; et quo ad id, quo interpellari debeat prima legitima uxor, declarat: « *Sufficit autem ut interpelletur, num velit converti* » [3].

48. Iam vero, sive unam habuerit uxorem vir ad fidem conversus, sive plures in infidelitate duxerit, eadem semper est ratio infidelem interpellandi coniugem sive illam *unicam,* sive ex pluribus *primam* tamquam solam legitimam. - Si ergo in hoc altero casu *sufficit, ut interpelletur* prima uxor prae ceteris, quae non sunt legitimae uxores, tantum *num velit converti,* sufficere etiam debet eiusmodi interpellatio in primo casu de unica infideli uxore vel unico infideli marito, ut scilicet interpelletur duntaxat

[1] En casus, quos ex Gregoriano Brevi Synodus Sutchuensis enumerat *cap. IX. n. 8. pag. 70:* « Non dispensetur nisi quando fidelis coniugem infidelem absentem ..... monere nequit, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nunciis quidem accessus pateat; - vel quia prorsus ignoratur in quas regiones fuerit transactus; - vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem; et praeterea rarissime, et in casu urgentis necessitatis ».

[2] Synodus Vicariat. Sutchuen. cit. *cap. 9. n. 8. pag. 71.*

[3] Idem *ibid. pag. 72.*

num velit converti, quin altera sit necessaria interrogatio, idest *num saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris.*

49. At vero, stantibus in suo robore Synodi Sutchuensis praescriptionibus, in omnibus Sinarum apostolicis Vicariatibus regnisque Sinis adiacentibus servandae erunt in praxi eiusdem Synodi praescriptiones. Hinc cum per S. C. de Propaganda fide a quodam Missionario Vicariatus apostolici Sutchuensis (e civitate Jcong-Jcheou) propositum fuerit dubium S. C. S. Off. « Num sunt casus, in quibus de uno tantum *possit* ac *sufficiat* facere interpellationem, vel num semper et sine distinctione, quotiescumque agitur de assequendo privilegio in favorem fidei, de duobus fieri debeat interpellatio » : – Suprema S. C. fer. IV. die 6 aprilis 1864 respondit: « Standum praescriptionibus Synodi Sutchuensis, per quam est satis provisum » [1].

50. Quamvis itaque haec pro dicto Vicariatu aliisque regnis, ad quae fuit illa Synodus extensa, praescripta fuisse dicendum sit, exploratum tamen est, quod *periculum perversionis* generatim suasit, ut quamvis coniux infidelis consentiat habitare pacifice cum fideli, interdum tamen id ei non permittatur nisi et ipse per lavacrum regenerationis fiat fidelis. Quare Benedictus XIV commendat Cabassutii sententiam, qui post Sanchez quaestionem eiusmodi eiusque *resolutionem pendere affirmat a casuum circumstantiis et moribus regionum* [2].

Hinc praxis invaluit, ut in locis infidelium, e. gr. inter Sinas, Indos etc., coniugi fideli permittatur cohabitatio innoxia cum altero coniuge infideli iuxta Pauli *consilium* [3]; et rursus ut alias inire possit nuptias iuxta Pauli doctrinam, si infidelis aut nolit cohabitare, aut velit quidem sed

[1] Ex regestis S. C. de Propaganda fide.

[2] Benedict. XIV *de Synodo* cit. *lib. 3. cap. 21. n. 1.*

[3] I. Corinth. *cap. 7. vv. 12–13:* « Ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. – Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum ».

cum Creatoris iniuria. Et huc spectat decretalis Innocentii III [1] et Cabassutii sententia a Benedicto XIV laudata. Hoc autem in casu de duobus fieri debet interpellatio, nempe 1° num pars infidelis velit converti; - 2° num saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris. - Contra inter nationes christianas praxis invaluit, ut coniugi ad fidem converso non permittatur cohabitatio cum altero obstinato in infidelitate, e. gr. in iudaismo, quamvis hic protestetur, se pacifice velle cohabitare. Et huc spectat sententia, quam Sanchez propugnat, et supra retulimus [2], recte animadvertens, hoc in casu ea urgere adiuncta, ob quae Apostolus docuit, conversum posse, dimissa parte infideli, ad alias nuptias transire, nec obligandum, ut caelibem vitam ducat. Id enim cum grave ipsi iugum esse queat, a fide amplectenda removere eum posset; et si fidem nihilominus amplectatur, talis conditio fidelem servituti matrimonii in infidelitate contracti subiiceret contra doctrinam et mentem Pauli scribentis: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* - In hoc autem altero casu, sufficit, ut pars infidelis interpelletur, num velit converti; et si *iudicialiter* fieri monitio velit, poterit adhiberi *formula* a Clericato proposita [3] et hic infra relata [4].

Diversitatem vero praxis pro adiunctorum locorumque diversitate perspicue exponit et sancit decretum Concilii Limensis III a Sixto V confirmati, ut apud Pignatelli legitur his verbis concinnatum: « De iis, qui matrimonio iuncti convertuntur ad fidem, coniuge adhuc infideli permanente, in superiori Concilio provide consultum est, ut si infidelis quidem spem suae conversionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris canonibus definitum, sed coniugis lucrum in Christo expectet. - Si vero differat conversionem suam,

[1] Cap. *gaudemus 8, de divortiis.*

[2] *n. 21.* - Sanchez *lib. 7. disp. 73. n. 12.*

[3] Clericatus cit. *decis. n. 24.*

[4] In *Appendice 9.*

neque tamen coniugi baptizato perniciosus existat, eum a fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo... tunc expectandum adhuc esse per semestre tempus, assidue de sua interim conversione admonendum. - Sed quoniam tum periculum recens conversi cavendum est, ut si diu permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat....., tum vero libertati illius consulendum est, ne caelebs vivere cogatur....; idcirco decernimus, ut transacto sex mensium spatio res ad Episcopum deferatur, qui bene perspecta causa, fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineundi.... - Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare infidelem, vel etiam consulat cohabitare si prodesse intelligat iuxta Pauli apostoli *consilium*. - Neque enim potest omnibus conversis eadem lex praefigi, cum occurrant profecto variae circumstantiae, neque sit omnium infidelium eadem ratio »[1].

51. In casu autem, quo coniugi ad fidem converso, concurrentibus ad id adiunctis et regionum moribus, permissa fuerit habitatio cum altero coniuge infideli, non ideo pars fidelis privatur privilegio per Apostolum promulgato. Quare si pars infidelis, post longam etiam et pacificam cohabitationem cum coniuge converso, nedum converti recuset, sed conetur etiam fidelem pervertere aut pertrahere ad peccatum, vel si a coniuge fideli *iniuste* divertat, aut alias ineat nuptias: poterit conversus uti privilegio in favorem fidei concesso, scilicet matrimonium cum fideli *licite* et *valide* contrahere, ita ut prioris foederis vinculum perpetuo solvatur. - Non tamen poterit hoc uti privilegio tractu temporis *fidelis*, qui ab apostolica Sede dispensatione obtenta ab impedimento disparitatis cultus, matrimonium inierit cum infideli. Hoc enim coniugium indissolubile erit quo ad vinculum, et solum poterit aliquando quo ad torum dissolvi, si scilicet canonicae urgeant causae ab iudice ecclesiastico agnoscendae. - Itaque in eiusmodi casibus haec generatim prae oculis habenda est regula:

[1] Apud Pignatelli: *Consultationum canonicarum, tom. 4.* - cit. *consult. 189. n. 7.* prop. fin. *pag. 284.* cit. edit.

« Si coniugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione apostolica initum, nullo modo fidelis illo frui poterit privilegio in favorem fidei concesso; si vero matrimonium praecesserit conversionem, tunc pars conversa eo uti poterit privilegio servatis de iure servandis » [1].

52. Itaque si fidelis *post* baptismum susceptum perpetraverit adulterium vel aliud delictum, idque moraliter constet, sed crimen nullo pacto est causa discessus coniugis infidelis a coniuge converso ad fidem, quia pars infidelis nec de baptismo, nec de pravis moribus, nec de secuta emendatione coniugis fidelis sollicita, detrectat habitare cum illo, tunc pars fidelis adhuc uti poterit privilegio paulino nuncupato. Revera Superior Missionis Kwangensis in Africa nuper ad S. Sedem detulit solvenda sequentia dubia:

« 1°. An delicta, quae post baptismum sunt commissa, sed nullatenus attenduntur a parte infideli, vel etiam quandoque penitus ignorantur, obstent quominus pars baptizata uti possit privilegio Apostoli?

« 2°. An illo casu licitus sit usus facultatis apostolicae, vi cuius in dicta missione dispensari potest a faciendis interpellationibus requisitis? »

S. C. Sancti Officii fer. IV. die decimo nono Aprilis millesimi octingentesimi nonagesimi noni probante Leone Papa XIII respondendum mandavit.

« Dentur oratori decretum Sancti Officii quintae Augusti millesimi septingentesimi quinquagesimi noni et instructio S. C. de Propaganda Fide decimi sexti Ianuarii millesimi septingentesimi nonagesimi septimi et ad mentem - Mens est ut in dubiis iudicium sit semper in fidei favorem ».

En autem verba decreti S. Officii quintae Augusti millesimi septingentesimi quinquagesimi noni ad Episcopum Coccinensem:

[1] Cfr. in cit. *Collectanea Societatis Missionum num. 950. pagg. 426–427 Instructionem,* qua per S. C. de Prop. fide responsum fuit a S. C. S. Off. die *4 iulii 1855* ad dubia proposita a Vicario apostolico Siamensi.

« Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo (privilegio) potest uti quacumque ex causa, dummodo iusta sit, nimirum si non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum iugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando coniux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli ».

Instructio vero S. C. de Propaganda Fide decimi sexti Ianuarii millesimi septingentesimi nonagesimi septimi docet: « In casu matrimonii dissolvendi ex privilegio in favorem fidei promulgato ab Apostolo, duo haec tantum spectanda, de quibus fieri debet interpellatio: 1. Utrum pars infidelis velit converti. 2. Utrum saltem velit cohabitare sine contumelia Creatoris, nulla praeterea habita ratione, utrum nec ne praeceperit sive adulterium, sive repudium » [1].

53. Item coniux conversus uti poterit privilegio paulino quando pars adhuc infidelis baptizari quidem cupit, sed ad conversum coniugem redire recusat, ut patet ex recenti responso reddito cuidam Superiori Missionis, qui Apostolicae Sedi proposuerat casum ac dubium solvendum ut sequitur: « Vir aliquis, cum nondum baptizatus erat, iunctus est matrimonio cum muliere et ipsa gentili. Postea vir baptizatus est. At propter rixas continuas dereliquerunt cohabitationem. Vir christianus asserit, se nunquam mulierem hanc voluisse sibi sumere in voluntate uxorem. Haec adhuc gentilis, et baptizari desiderans, ad virum redire non vult. - An licet in his adiunctis, dum mulier baptizata nondum est, viro nubere aliam? »

Feria IV, die 26 Aprilis 1899 Patres Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales respondendum mandarunt, Summo Pontifice approbante et confirmante:

« Curet Superior Missionis totis viribus, ut compositis iurgiis ac dissensionibus, coniuges iterum uniantur, et pars infidelis convertatur. Si autem ipsa renuat culpa viri con-

[1] Cf. Ephemeridem cui titulus: *Acta S. Sedis* in compendium etc. *Vol. XXXI. pagg. 6 4–695.*

verti, hunc adigat, etiam, si opus sit, per poenas canonicas, ad satisfaciendum parti laesae. Si vero vir conversus nullum ei dederit iustum ac rationabile motivum discedendi, aut parti laesae iam satisfecerit, ac in periculo versetur damnationis aeternae, tunc hic, post formalem interpellationem, poterit ad alia vota transire; et ad mentem. - Mens est ut in dubio iudicium sit in favorem fidei »[1].

54. Non tamen uti poterit eiusmodi privilegio in favorem fidei concesso coniux fidelis, si altera pars item fidelis labatur in haeresim, aut transeat ad gentilium errores, quamvis alias hoc in casu maior videri posset contumelia Creatoris. Sic enim expresse definitur in decretali Innocentii III[2]: « Si vero alter fidelium coniugum vel abatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris ». Et rationem diversitatis inter hunc casum et alium privilegii paulini hanc affert: « Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit ». Haec porro Innocentii III sententia relata est, inquit Pirhing[3], inter fidei decreta auctoritate Concilii tridentini[4] his verbis: *Si quis dixerit, propter haeresim ..... dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

55. Cum traditis autem principiis de stantis impedimento foederis generatim congruunt quae docent orientalium rituum Ecclesiae. Sic ut silentio praeteream quae a Synodo Ruthenorum Zamosciae anno 1720 celebrata praescribuntur pro statu libero, vel obitu absentis coniugis comprobando[5], referam, quae docet *Instructio* pro tri-

[1] Ex citata Ephemeride, ibid. *pagg. 697-698.*
[2] Cap. *quanto 7, de divortiis.*
[3] Pirhing *lib. 4. tit. 19. n. 36.*
[4] *Sess. 24. can. 5. de sacramento matrimonii.*
[5] Vide cit. Synodum *pagg. 110-111* cit. edit.

bunàlibus austriacae ditionis paragrapho 23: « Quum *per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur* [1], matrimonium ab infidelibus contractum coniugibus ad Christum conversis firmum manet non obstantibus impedimentis ecclesiastica lege institutis. Quod si autem altero tantum coniuge converso, alter in infidelitate persistens, cum eodem cohabitare nolit absque contumelia Creatoris, eidem petenti concedendum est, ut ad novas convolet nuptias: *quibus rite celebratis, vinculum coniugii in infidelitate contracti dirimitur* » [2].

56. Similia habet quo ad coniuges tantum fideles, qui matrimonium celebrarunt christianum, Synodus Libanensis Maronitarum anni 1736. Haec enim Synodus ita breviter sed concinne exponit impedimentum ligaminis: « Decimum *(impedimentum dirimens est)* vinculum prioris sive consummati sive rati tantum coniugii: cum adhuc superstite coniuge, eo vinculo sequens matrimonium dirimatur, cum duas, tempore uno, habere uxores, nec ipsa origo humanae conditionis admittat, nec lex Christianorum ulla permittat. - Alterum itaque matrimonium omnino prohibet Ecclesia, nisi quum adest certitudo saltem moralis de morte prioris coniugis. Huiusmodi autem certitudo non habetur ex absentia multorum annorum, etiam ultra septennium aut decennium, neque ex sola fama, sed ex certis nunciis » [3].

ARTICULUS IV.

De clandestinitatis impedimento.

1. Matrimonium proprie *clandestinum* dicitur illud quod absque parochi ac testium praesentia contrahitur; improprie *clandestinum* nuncupatur, quod non praemissis contrahitur denunciationibus. Omissa hac altera, quae matri-

[1] Ita Innocent. III in cit. *cap. gaudemus 8, de divortiis.*

[2] Apud Papp-Szilàgyi, *Enchiridion iuris Ecclesiae orientalis catholicae, part. 2. § 100. pag. 429.* cit. edit.

[3] *Synodus Syrorum-Maronitarum in Monte Libano celebrata an. 1736, part. 2. cap. 11. § 8. n. X.*

monium illicitum non irritum facit, de prima tantum clandestinitatis specie agendum hic est, quatenus matrimonium dirimit.

2. Clandestina coniugia fuerunt semper *illicita*, quippe ab Ecclesia graviter prohibita, ut ex multis sacris canonibus constat. Sic Hormisda Papa [1] decrevit: *Nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in domino.* - Hanc autem gravem prohibitionem Tridentinum his denotat verbis: TAMETSI *dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit ....; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit* [2].

3. Eiusmodi autem *vetitum* ex *Ecclesiae* tantum *praecepto*, non vero ex *iure naturae* oritur. Quamvis enim ex coniugiis clam initis gravissima plerumque profluant mala et incommoda, id tamen accidit ob hominum malitiam, non ob ipsius rationem contractus. Hinc incidunt saepe casus, in quibus, ubi irritans Tridentini decretum non est rite publicatum, matrimonium etiam *licite* clam contrahitur, scilicet ad grave periculum vel damnum vitandum [3].

4. *Impedimentum* etiam *dirimens* quod ex clandestina enascitur matrimonii celebratione, de solo *iure ecclesiastico* est. Fuerunt enim eiusmodi clandestina matrimonia semper valida, ut valida sunt etiam nunc in locis, in quibus Tridentini decretum publicatum seu receptum non est, ut ex dicendis patebit.

5. At cum eadem sancta Synodus animadverterit, *prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse, et gravia peccata perpenderit, quae ex eisdem*

[1] Can. *nullus 2. caus. 30. quaest. 5.*

[2] Trident. *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* - Cfr. etiam Bened. XIV *de Synodo lib. 8. c. 12. n. 3.*

[3] Vide Tanner *tom. 4. disp. 8. de matr. q. 3. dub. 6. n. 111.* cit. a Leurenio *lib. 4. tit. 3. quaest. 143.*

clandestinis coniugiis ortum habent [1], eadem clandestina matrimonia nulla et irrita declaravit his verbis: *Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.* - Addit in fine: *Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos* [2].

Agendum itaque est 1° de vi huius decreti; - 2° de assistentia parochi et testium; - 3° de vi synodalium constitutionum quoad clandestinitatis impedimentum.

§ 1.

De vi Decreti Concilii Tridentini.

6. Duplici ex capite, vi huius decreti, clandestina matrimonia nulla evadunt et irrita. Primo *directe,* quum irritus et nullus decernatur ipse contractus; - secundo *indirecte,* quum inhabiles reddantur personae ad clandestina ineunda coniugia. - Atque inde sequitur, eiusmodi decretum etiam eos afficere, qui illud invincibiliter ignorant; ita ut invalide et hi matrimonium ineant in absentia parochi et testium ubi decretum viget. Lex enim irritans actum, effectum sortitur independenter ab agente sive hic legem noverit sive ignoraverit, eo duntaxat discrimine, quod igno-

[1] Concil. Trident. *cit. loco.* - Mala autem, quae ex clandestinitate oriebantur potissimum haec erant, quod clandestini coniuges saepe ab invicem recederent, aliaque publice inirent coniugia, in perpetuis viverent adulteriis; matrimonia cum impedimentis invalide contraherentur: idque magno fidei coniugalis, prolis ac sacramenti detrimento et contemptu, Ecclesia eiusmodi occultos ignorante contractus, adeoque debitam non valente afferre medelam.

[2] Trident. *sess. 24. cap. tametsi 1. de reformat. matrim.*

rantes non afficiat quoad graves poenas, quas Tridentinum clandestina contrahentibus matrimonia praecipit infligi arbitrio Ordinarii [1].

7. Manifestum est igitur ex ipsis decreti verbis, hanc esse regulam tenendam, scilicet: « Matrimonia *clandestina* sunt prorsus invalida in omnibus locis, in quibus Concilii decretum rite promulgatum fuit; idque etiam si in mortis articulo, vel quacumque fuerint urgente necessitate contracta [2]. - Valida contra sunt in locis, in quibus decreti promulgatio defuerit sive culpanda sive non culpanda omissione». Ubi enim fuit promulgatum decretum, Ecclesia facit irrita clandestina connubia. Ubi autem non fuit promulgatum valida erant ante Tridentinum, et item valida sunt habenda, *qua antea habeantur,* quum, deficiente promulgatione, ea Ecclesia non irritaverit. Contrarium autem sentientes, ipsiusmet sanctione decreti anathemate feriuntur. - Hinc S. C. de Prop. F. in *Instructione* diei 14 ianuarii 1821 iussu Pii VII transmissa ad Episcopos Vicarios ap. in Imperio Sinarum, eique adiacentibus regnis atque provinciis, ad dubium « An in Chinae, Cocincinae et Tunchini utriusque regionibus, in quibus tridentinum de matrimonio decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coeundum non maritali affectu, sed libidine moti, existiment se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, matrimonio iusto constituendo imparem; ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat » - respondit auctoritate decretalis *Is qui* Gregorii IX [3], et doctrina tradita a Pirhing in idem caput [4], scilicet: « Si in praefatis

[1] Tridentina Synodus cit. cap. ita eiusmodi poenarum addit sanctionem: « Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore « testium numero et testes qui sine parocho vel sacerdote, huiusmodi « contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbi- « trio Ordinarii puniri praecipit ».

[2] Sanchez *lib. 3. disp. 17. nn. 4-5.*

[3] Cap. *is qui 30, de sponsal. et matrim.*

[4] Pirhing. *lib. 4. tit. 1. nn. 27-28.*

regionibus, ubi publicatum non fuit decretum S. Conc. Trid., duo sponsi carnalem inter se habeant copulam, eam tamen *non ex affectu maritali,* sed *affectu illicito ac fornicario;* haec eorum copula minime transire facit praecedentia earumdem sponsalia in verum matrimonium *coram Deo;* seu in *foro conscientiae* liberi manent, atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in *foro externo* et iudiciali probetur, poterunt iidem ex praesumptione *iuris et de iure,* contra quam non admittitur probatio, per ecclesiasticam potestatem adigi ad sese habendos tanquam veros coniuges, quibus vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit, ex cap. 30 de sponsal. et matrim. » [1].

8. Hisce positis, ut singulares in praxi quaestiones solvi possint, exponendum est 1° ubinam tridentinum decretum publicatum fuerit et vigeat, vel non; - 2° pro quibus locis Benedictina Declaratio fuerit lata, et ad quae fuerit extensa ab apostolica Sede, vel ipsi decreto derogatum.

9. Et primo quidem ad publicationem decreti quod attinet, inter plures concinnatos locorum indices, unum exhibet *documentisque* probat p. Perrone [2], ceteris quidem pleniorem, at nondum, ut ipse fatetur, omnino completum absolutumque ob documentorum praesertim defectum. - Hoc autem elencho ea loca notantur in quibus decretum promulgatum fuit, vel ut Concilii decretum ab aevo servatur; - dein ea in quibus promulgatum non fuit; - ea demum de quibus adhuc dubium est an fuerit promulgatum. Hunc igitur catalogum meliori digestum ordine, et quibusdam additamentis per adnotationes locupletatum hic referam.

10. *a*) Loca, in quibus Tridentini decretum fuit promulgatum, haec potissimum sunt:

[1] Cfr. hanc *Instruct.* in cit. *Collectanea ad usum Societatis Missionum ad exteros, n. 992. pag. 458. et seqq.*

[2] Perrone: *De Matrimonio christiano, lib. 2. sect. 1. cap. 6. art. 4. pag. 255 et seqq.* edit. Rom. 1858. Vide in notis *documenta* quae in medium profert.

Europa:

in *Italia* et in insulis adiacentibus;

in *Galliis;*

in *Hispaniarum* regnis;

in *Lusitaniae* regno;

in regno *Poloniae;*

in *Archiducatu austriaco* et ei annexis provinciis;

in *Silesia* superiori et inferiori;

in *Bohemia;*

in *Moravia;*

in *Ungaria* universim, si aliquas excipias, ut quidam contendunt, peculiares regiones;

in *Moldaviae* catholicorum Ecclesiis, non vero in Ecclesiis schismaticorum;

item in *Valachiae* catholicorum tantum Ecclesiis, et fortasse non in omnibus;

Ulmiae in ditione Wurtembergensi;

in tribus Electoratibus *Coloniensi, Moguntino* ac *Trevirensi,* item in Dioecesi *Monasteriensi* sub Borussiae dominio;

in Ducatu *Cliviensi* sub ditione Borussiae;

in *Bavaria,* saltem in primitivis huius Ducatus provinciis;

in *Franconia;*

in *Palatinatu Neamburgico;*

in Ducatu *Limburgi, Hartemi* ac *Mosae traiectinae;*

in *Hollandia, Zelandia, Frisia foederatisque provinciis* et *Belgio;*

in *Luxemburgi* Ducatu;

in Urbe *Genevensi;*

in insula *Tine* archipelagi;

in omnibus *Archipelagi* Ecclesiis catholicis;

Constantinopoli ac in suburbio *Perae* pariter in Ecclesiis catholicis;

in pluribus *Hiberniae* dioecesibus; siquidem in nonnullis, praesertim septentrionalibus iam occupatis ab haereticis publicari non potuit [1];

[1] **Verum in S. C. S. Off. die** *3 martii 1785* **habita coram Pio VI. « Sanctitas Sua, auditis etc., decrevit, matrimonia mixta in Hibernia**

in aliquibus *Imperii Russiaci* provinciis;

apud *Ruthenos*.

Servatur autem ut Concilii decretum ab immemorabili, quamvis de eiusdem promulgatione non constet [1];

in *Transilvania* ac praecipue in archidioecesi *Fogarasien.* et *Albae Iulien.*, in qua degunt graeci uniti rumeni ritus et graeci schismatici;

in *Bulgaria* et *Valachia*, praecipue in civitate Bukarest. – [2].

ASIA.

Fuit promulgatum Tridentini decretum in Indiis orientalibus, scilicet:

in *Indiis*, ac praecipue in archidioecesi *Goana;*

in *Ora Malabarica;*

contracta et contrahenda, non servata forma Concilii Trid. in locis, in quibus sive Concilium Trid. sive etiam eius decretum *sess. 24. cap. 1. de refor.* forsan fuit promulgatum, alio non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda esse uti valida ». Quod cum ita sit, scribebat S. C. de Prop. fide die 19 eiusdem mensis, « Sanctitas Sua monitos vult universos istius regni Archiepiscopos et Episcopos, ut nihilominus catholicos retrahere curent ab huiusmodi illicitis nuptiis etc. ».

Quoad matrimonia catholicorum asseritur, in omnibus Hiberniae dioecesibus Trid. decretum, saltem nunc, esse publicatum. Vide cl. Zephyrini Zitelli-Natali *Enchiridion ad sacr. disciplinarum cultores*, ubi Elencho p. Perrone clarius exposito addit omnes Hiberniae dioeceses, *pag. 198*, edit. Romae 1880.

[1] His itaque in locis valida sunt matrimonia inita ab haereticis aut schismaticis inter se, vel mixta; nulla vero sunt ac irrita catholicorum matrimonia non servata Tridentini forma (Perrone *loc. cit. pag. 262*).

[2] Addendum est: in *Albaniae* et *Serviae* dioecesibus. In Concilio enim Albano primo provinciali sive nationali celebrato an. *1703* et a S. C. De Prop. fide approbato per decretum diei *14 sept. 1705*, legitur: « Omnibus missionariis et parochis praecipimus, ut in nostris dioecesibus *Albaniae* et *Serviae* iuxta statuta sacri Tridentini Concilii legibus decreta, in parochialibus Ecclesiis coram duobus vel tribus testibus celebrare studeant matrimonia ». Vide cit. Synodum *part. 2. cap. 8. pag. 46.* edit. Romae 1868. – In Synodo autem

in *Pondicerii* (Pondichery) vicariatu atque in universa *Ora Coromandelica*;

Calecutiae;

in regione *Bombay;*

in pluribus imperii *Sinensis* provinciis;

in *Tunchino* orientali pluribus in locis primum fuit *ex parte* publicatum Tridentini decretum, nempe quoad necessitatem duntaxat duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentiam; - deinde vero hoc ipsum decretum *absolute* ac *integrum* publicatum fuit.

Praeterea in *Iaponia ;*

in *Batavia ;*

in *Georgia;*

in locis *Terrae Sanctae* nuncupatis publicatum est in *Ecclesiis latinorum;*

Smyrnae in Natolia [1].

AFRICA.

Publicatum fuit tridentinum decretum

Tripoli in Barbaria seu Mauritania, ut infertur ex usu publicationum;

Iuliae Caesareae seu *Algieri* [2].

albana secunda an. 1871 celebrata, et cuius pars magna fui, id clarius edicitur *part. 2. cap. 5. pag. 72* et quo ad praesentiam parochi et testium, et quo ad tres proclamationes coniugii foederi praemittendas, citata etiam ibidem Const. *Inter omnigenas* Benedicti XIV.

[1] Apud *Maronitas* viget *clandestinitatis* impedimentum dirimens, non quidem ratione publicationis tridentini decreti, sed *vi apostolicae approbationis,* in forma specifica, omnium decretorum Synodi provincialis Maronitarum in monte Libano celebratae an. *1736* quae *(part. 2. c. 11. § 8. n. XII)* ita ipsis tridentini decreti verbis duodecimum declarat impedimentum dirimens: « Nullum est matrimonium clandestinum, idest quod aliter contrahitur, quam praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus ».

[2] Adde et *Tuneti.* Nam S. C. de Prop. fide die *20 sept. 1763* decrevit: « Publicetur decretum S. Concil. Trid. quoad matrimonia clandestina in qualibet paroecia *Tuneti* et *Algeriae,* servata forma ab eodem decreto praescripta, facto verbo cum SSmo: et deinde hu-

AMERICA meridionalis et septentrionalis.

Publicatum fuit decretum

in *Americae meridionalis regionibus* omnibus, quae sub ditione quondam fuerunt sive *Hispanorum* sive *Lusitanorum*;

Curaçao nominatim in *Mexico;*

in *insula ss. Trinitatis*;

Quoad *Americam septentrionalem* idem decretum publicatum est

in *Canadà*;

in *Florida*;

in *Ludovisiana* superiori et inferiori;

in *Urbe Detroitensi* (Détroit);

in *Urbe ac dioecesi Quebecensi,* saltem ex parte.

11. *b*) Porro tridentinum decretum *non fuit promulgatum* quoad

EUROPAM

in *Anglia, Scotia* ac nonnullis *Hiberniae* provinciis [1];

in *Borussia* presse sumpta, seu primitivo huius nominis principatu;

in *Pomerania*;

in *Saxonia;*

in *Svecia;*

Argentorati [2];

in plerisque *Helvetiae* provinciis;

in *Dania;*

in *Norvegia;*

iusmodi publicationis instrumentum transmittatur ad S. C. ». – Porro tam Praefectus, quam Vicarius apostolicus ad S. C. de peracta publicatione instrumenta miserunt anno 1769. – Alii asserunt, decretum publicatum fuisse et in dioecesi *Reunionis* seu *S. Dionysii* (Ins. Bourbon). Vide Zitelli-Natali cit. *Enchiridion pag. 202.*

[1] Quoad *Hiberniae provincias*, recole quae Pius VI decrevit die *3 martii 1785*, quaeque nuper retulimus in nota.

[2] Nempe non publicatum in solis Ecclesiis protestantium, quae defecerant an. *1529.* Hinc a S. C. S. O. *(23 iul. 1842)* matrimonia haereticorum *valida, irrita* vero declarata sunt catholicorum coniugia inita sine trid. forma.

in *regionibus* schismaticorum et haereticorum sub ditione *turcica* vel *persica aliorumque infidelium.*

Quoad Asiam

in Vicariatu *Sutchuensi,* saltem usque ad annum 1803 [1];

in multis *Imperii Sinensis* provinciis;

in regionibus orientalibus generatim sub *ditione turcica et persica* constitutis de quibus nulla specialis mentio facta est.

Quoad Africam

lex tridentina non viget

in *Abyssinia.* – [2]

Quoad Americam septentrionalem

constat non fuisse promulgatum

in dioecesi *Baltimorensi.*

12. *c*) Loca de quibus adhuc *dubium viget,* utrum publicatum fuerit tridentinum decretum, haec recensentur:

Ad Europam quod attinet

Bremae in circulo *Saxoniae* inferioris;

in *Valachia,*

in *Bulgaria;* praecipue vero in dioecesi *Sophiae.*

[1] Hoc anno celebrata fuit Synodus Vicariatus Sutchuensis in Sinis, et ab apostolica sede dein approbata atque extensa ad alia loca. Porro in huius Synodi *cap. 9. de matrimonii sacramento,* § *5* edicitur: « Quamvis matrimonia clandestina, seu sine praesentia sacerdotis celebrata, valida sint iis in locis, ubi decretum Concilii tridentini non fuit publicatum, aut saltem non fuit observatum tamquam lex concilii, *prout de hoc Vicariatu constat,* ea tamen semper prohibuit, ac detestata est Ecclesia ».

[2] Neque apud *Cophtos* Aegypti, ut asseritur.

Recentissima autem *Synodus Alexandrina Coptorum* habita Cairi in Aegypto an. 1898, decrevit ex antiquissima consuetudine in Ecclesia alexandrina vigente, irrita habenda esse coniugia, quibus non assistit *sacerdos* cum duobus saltem testibus. – En verba Synodi: « XVI. Clandestina matrimonia, ea scilicet quae fiunt absque praesentia parochi et testium, san ta ecclesia semper ut abominabilia detestata est, quia in huiusmodi connubiis et dignitas sacramentis spernitur, et populo christiano multa scandala obiiciuntur. Quapro-

Quoad Asiam
in *Syria;*
in insula *Cypri;*
in ora *Malabarica* sub aliquo respectu. — [1]
Quoad Americam septentrionalem
in universa dioecesi *Detroitensi* (Détroit) Mechingan;
in *California* superiori;
in dioecesi ac provincia *Quebecensi* in Canadà superiore.
Horum autem omnium documenta ex sacris praesertim Congregationibus S. Officii et de Propaganda Fide protulit p. Perrone in notis [2].

13. *Secundo* inquirendum est, pro quibus locis Benedictina Declaratio fuerit lata, et ad quae dein extensa apostolicae Sedis auctoritate, vel ipsi decreto derogatum.

Notissima est *Declaratio* Benedicti XIV [3], qua edicitur: « Matrimonia quae in locis foederatorum Ordinum dominio « in Belgio subiectis iniri solent, sive inter haereticos ex « utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum « et catholicam feminam ex alia, aut viceversa, non servata « forma a sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum « valida habenda sint nec ne, diu multumque disceptatum

pter sanctitati christiani matrimonii simul et aedificationi fidelium efficaciter providere volentes, decernimus *antiquissimam consuetudinem* in nostra Ecclesia Alexandrina vigentem *esse servandam quae irrita vult matrimonia, quibus non assistit sacerdos cum duobus saltem testibus* ». In cit. Synodo *sect. 2, cap. 3. art. 8.* § *5. pag. 171,* edit. Romae ex tipogr. S. C. 1899.

Adde, quod in insula *Madagascar* adhuc publicatum non est tridentinum decretum, ut constare quidam asserunt. Vide Zitelli, *Op. et loc. cit.*

[1] Ad *Africam* quod attinet, exorto dubio an decretum trident. fuerit rite promulgatum in *Promontorio bonae spei* (Capo di buona speranza) C. S. Off. die *22 iulii 1840* decrevit: « Non satis constare, decretum tridentinum ibi fuisse publicatum; optime autem se gerere missionarios, dum matrimonia in forma tridentini celebrare satagunt ». Ex regestis S. C. de Propaganda fide.

[2] *De matrim. christ. loc. cit.*

[3] Incipit *Matrimonia,* ac data fuit die *4 novembris an. 1741.*

« est, animis hominum ac sententiis in diversa distractis....
« Negotio mature perpenso, omnibusque rationum momen-
« tis hinc inde sedulo libratis (Sanctitas Sua) declaravit
« statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provin-
« ciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in
« posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino prae-
« scripta non fuerit in iis celebrandis servata, *dummodo
« aliud non obstet canonicum impedimentum,* pro validis
« habenda esse » [1].

Quod vero spectat ad ea coniugia quae pariter in iisdem foederatis Belgii provinciis contrahuntur a *catholicis cum haereticis* quaeque *mixta* dicuntur, – « si forte aliquod
« huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata,
« ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus
« avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, matri-
« monium huiusmodi, alio non concurrente canonico im-
« pedimento, validum habendum esse, et neutrum ex con-
« iugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse
« sub obtentu dictae formae non servatae, novum matri-
« monium inire » [2].

Idipsum Pontifex declarat atque decernit de eiusmodi matrimoniis contractis ab iis qui addicti sunt militaribus copiis, quae ab eisdem foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat. Item eiusmodi Declarationem complecti voluit matrimonia contracta in civitate *Traiecti* ad Mosam, ea potissimum ratione, quia civitas Mosae Traiectensis erat eo tempore « a Republica foederatorum Ordinum, quamvis *non iure dominii*, sed tantum *oppignorationis*, ut aiunt, nomine possessa » [3]. Postea vero (an. 1844) extensa fuit benedictina declaratio etiam ad *suburbium S. Petri,* ut mox notabitur.

[1] Cit. Const. seu Declarat. § *2*.
[2] Cit. Declarat. § *3*.
[3] Ibid. § *4*.

Haec igitur declaratio ad catholicos non spectat, ut constat ex alia eiusdem Benedicti XIV epistola decretali de sponsorum matrimoniis catholicorum initis in foederatis Belgii regionibus. « Sciant (inquit) catholici vestrae curae « concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello « matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere « civilem exercere.... Sciant, nisi coram ministro catholico « et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se « neque coram Deo, neque coram Ecclesia veros et legi- « timos coniuges fore » [1].

14. Eiusmodi porro Declarationem romani Pontifices ad alias quoque regiones, in quibus publicatum quidem fuerat tridentinum decretum, et quae in pari versabantur necessitate ac Hollandia, extenderunt, vel etiam speciali decreto derogaverunt tridentinae sanctioni.

Ex his ergo patet, habenda esse ut irrita matrimonia mixta *clandestine* celebrata in regionibus seu locis Belgii et Hollandiae, quae tempore Declarationis Benedictinae, foederatorum Ordinum dominio non suberant, neque ad ea loca fuit extensa eadem Declaratio. - Hinc Episcopus Buscoducensis (Bois le duc) in Hollandia, postulans sanationem in radice duorum matrimoniorum mixtae religionis clandestine initorum, unum Antuerpiae, civitatis Belgii, alterum in Hollandiae oppido, Weert nuncupato, literis 14 februarii 1894 ad Sacrum Consilium christiano nomini propagando missis, testatur: « Dicta matrimonia *(idest matrimonia mixta clandestina)* a nobis habentur invalida, quia Antuerpia, civitas Archidioecesis Mechliniensis, et oppidum Weert, quod est dioecesis Ruremondensis, tempore Declarationis Benedictinae, anno 1741, non comprehendebantur sub foederatorum Ordinum dominio. Matrimonia mixtae religionis *(clandestina)* invalida habentur in toto hodie Belgio, in tota quoque dioecesi Ruremondensi *(in Hollandia)*,

[1] Benedict. XIV const. *Redditae sunt* diei *17 septemb. 1746*, ad Paulum Simonem a S. Ioseph in Hollandia Missionarium, Bullar. *t. 3*, Supplem. *n. 3*. - Vide eiusdem opus *de Synodo lib. 6. cap. 7*, ubi etiam hae litterae referuntur.

excepto Mosae Traiecto, ad quod Leo XII per Sanctum Officium 20 aprilis 1826 Declarationem Benedicti XIV extendit. Ad cautelam die 28 februar. 1844 facta fuit extensio Declarationis tam Benedictinae, quam Leoninae ad suburbium S. Petri prope Mosae-Traiectum. - Invalida habentur etiam in quibusdam locis dioecesis Buscoducensis. Ratio invaliditatis est, quia non suberant dominio Foederatorum Ordinum tempore Declarationis Benedictinae, nec postea ad ea loca, exceptis excipiendis, quantum scimus, extensa est dicta Declaratio ».

Itaque apostolicae Sedis auctoritate extensa fuit Benedictina Declaratio, seu declaratum fuit, valida esse *haereticorum* ac *mixta clandestina coniugia*, vel derogatum fuit tridentino decreto

I. In Europa

Uratislaviae an. 1765.

Ulmiae an. 1774 in ditione regni Wurtemberg.

In illa *Poloniae* parte quae ab an. 1780 in Russiaci imperii ditionem venit.

In *Ducatu cliviensi* regno Borussiae obnoxio an. 1795.

Matrimonia incolarum civitatis *Mastricht* prope Leodium an. 1836.

Quamvis Benedictina Declaratio non fuerit expresse extensa, aequivalenter tamen idem constitutum est quoad illa *Constantinopolis eiusque suburbiorum* loca (an. 1769), in quibus publicatum fuerat Concilium tridentinum, dum valida, quamvis illicita, matrimonia illic contracta edicuntur.

Sic etiam in *Hibernia* an. 1785.

In *Provinciis Rhenanis* sub ditione Borussica an. 1830.

In universo *Imperio Russiaco* et in *Regno Poloniae* an. 1844.

Extensa fuit Declaratio Benedictina in Mosa Traiectana ad parvum *S. Petri suburbium* in vicariatu Limburgi anni 1844.

Ad illas autem quod attinet regiones, quae principibus subsunt catholicis nunquam voluit apostolica Sedes eandem extendere Declarationem. - At quoad *mixta* coniugia peculiarem cepit provisionem,

in *Bavaria* an. 1834,
in *Hungaria* an. 1844.

II. In ASIA.

Extensam fuisse Benedicti XIV Declarationem constat

Pondicerii an. 1833.

In *Georgia,* saltem aequivalenter an. 1845. - [1]

In ora *Coromandelica* an. 1831.

In *Iaponia* aequivalenter iam ab an. 1625.

In ora pariter *Malabarica* sub ditione quondam Hollandiae an. 1765.

Bombay ex quo pervenit sub ditionem 'societatis ab Indiis nuncupatae an. 1761. - [2]

III. In AMERICA

Locum habuit extensio eiusdem Declarationis

In Provinciis *Canadà* ex quo sub ditionem Angliae pervenerunt an. 1763.

Curaçao an. 1851 [3].

[1] Animadvertendum tamen est, citata a p. Perrone decreta (*Op. cit. De matr. lib. 2. sect. 1. cap. 6. art. 4. pagg. 270–271* cit. edit.), quae pertinent ad *Hiberniam,* ad universum imperium *Russiacum,* Regnumque *Poloniae,* item ad provincias *Rhenanas* sub ditione Borussica, ad *Bavariam,* ad *Hungariam,* ad *Georgiam* reipsa non esse extensionem Benedictinae Declarationis. Etenim ut probe animadvertit cl. Ballerini (in notis ad Theolog. moral. Gury, *de imped. clandest.*) « praeter quam quod haec Declaratio ex aliis prorsus principiis ducit originem, insuper primario ad haereticorum matrimonia refertur; - ad matrimonia vero *mixta* deinde per quandam quasi extensionem protracta est, prout ipse Benedictus XIV (*De Synodo lib. 6. cap. 6. n. 12*) indicat; - contra vero decreta, quae ad regiones superius recensitas pertinent, decreti tridentini *derogationem* seu *dispensationem* quandam continent, et solum ad matrimonia *mixta* referuntur ».

[2] Quo ad regiones *Bengalae occidentalis* seu *Calcutten.* S. C. S. Off. die *12 sept. 1838* decrevit: « Supplicandum SSmo pro extensione declarationis Benedicti XIV, matrimonia in Belgio et Hollandia celebrata respicientis, ad regiones de quibus agitur ». Ex regestis S. C. de Propaganda Fide.

[3] Notandum cum eodem Ballerinio *(ibid.),* duo decreta, unum pro *Iaponia,* alterum pro *Curaçao,* cum solum ad *catholicorum* inter

In insula sanctissimae *Trinitatis* an. 1825.

In utraque *Ludovisiana* atque in *Florida* an. 1831.

15. At quaenam fuerunt et sunt rationes, quarum vi Benedictina prodiit *Declaratio* pro locis foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis, et ad alias dein fuit extensa regiones? - Haec inquisitio cum illa nectitur salebrosa et implexa quaestione iuridica, quae controvertitur inter Doctores. - An scilicet invalida censeantur sive *haereticorum inter se*, sive *mixta* coniugia iis inita in locis, in quibus tridentinum decretum fuerit publicatum.

Certum porro est, haereticos, utpote Ecclesiae filios, quamquam rebelles et transfugas, eiusdem Ecclesiae legibus subiici, ut solemniter docuit Pius VII [1]. - Principium autem generale est, exemptionem a iure communi esse *localem, non personalem*. Hinc quavis quilibet exemptione alibi gaudeant, tamen generatim in materia contractuum (quos inter accensetur matrimonium quamvis ad sacramenti dignitatem evectum) quoad eorum solemnitatem tenentur omnes contrahere iuxta legem et consuetudinem loci, in quo contrahunt, quum etiam peregrini, si dotis contractum excipias, sortiantur forum in loco contractus [2]; ita ut si aliter ibi contrahant, contractus non subsistat, cum substantialis deficiat praescripta forma [3].

Non igitur ex *personali* exemptione seu *privilegio*, sed ex *aliis* prorsus *principiis* deduci debet, *clandestina haereticorum* matrimonia atque etiam *mixta* aliquibus in regionibus uti valida haberi, quamvis in iis tridentinum decretum fuerit publicatum. - Scilicet in provinciis foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis valida procla-

se matrimonia referantur, nihil, ut patet, commune habere cum Benedictina Declaratione, quae *haereticorum* tantum vel *mixta* respicit coniugia.

[1] Litt. *Etsi fraternitatis* ad Archiep. Moguntinum datis die *8 octob. 1803* quas habes hic in *appendice 6.*

[2] *Cap.* ult. *de foro compet.* et leg. *si fundum* ff. *de eviction.*

[3] Sanchez *lib. 3. disput. 18. nn. 10-11;* - Pirhing *lib. 4. tit. 3. n. 10;* - Schmalzgrueber ad eund. tit. § *2. n. 101* cum communi.

mata fuisse cunctis theologorum et canonistarum suffragiis clandestina haereticorum inita et ineunda coniugia ipse refert Benedictus XIV, variis ac diversis suffragantibus rationum momentis [1]. Quidam enim ita existimarunt ex eo quod certa ac perspicua deesset probatio de peracta publicatione decreti in unaquaque illarum regionum parochia. – Alii ultro etiam admissa ante civiles motus publicatione decreti, cum tamen nondum exorta, neque sibi constituta tunc esset altera haereticorum societas, haec haud videbatur eiusmodi publicatione decreti adstringi potuisse. – Alii ex decreti tenore ac Patrum tridentinorum mente satis erui existimabant, heterodoxas societates ea lege non comprehendi debere. – Alii demum catholicae religionis causae atque utilitati expedire prudenter existimarunt, ut valida eiusmodi declararentur connubia.

Declaratis autem validis matrimoniis inter *utramque partem haereticam* initis, etiam *mixta* coniugia valida declaráta fuerunt « propter *individuitatem contractus,* vi cu-« ius exemptio quae uni ex partibus competit, ad alteram, « secundum etiam civiles leges, extenditur, eidemque com-« municatur » [2].

En quorsum recidunt rationes, ob quas data primum fuit ac dein extensa Benedictina Declaratio, ut mox fusius videbimus in casu speciali [3].

16. Ex his autem iam erui posset responsio ad propositam quaestionem de *valore matrimonii haereticorum in genere.* Sed satius praestat eiusmodi quaestioni respondere iis quae accurate Pius VII apostolica docuit auctoritate [4]. Is enim Pontifex opinionem expendens illorum, qui docebant « matrimonia haereticorum coram ministro acatholico « inita *generatim* nulla esse, atque adeo validas fore se-

[1] Cfr. Bened. XIV *De Synodo lib. 6. cap. 6. nn. 7–10.*

[2] Benedict. XIV *l. c. n. 12.*

[3] Infra, in *prima* scilicet *disceptatione,, quaest. 3. n. 37* et *seqq.*

[4] Cit. litt. *Etsi fraternitatis,* quas referam in *Append. 6* ex mss. Vaticano edito sub die 10 maii 1847, cum quaedam desint in hoc monumento edito a Roskovany *t. 2. pag. 86* et *seqq.*

« cundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho « contrahantur » - respondet quod eiusmodi opinio - « neque *undique* vera est, nec satis tuta, neque idcirco in « praxi *quibuscumque in casibus* indiscriminatim sequenda. « Probe enim novit Fraternitas tua, huius generis matri- « monia rata et firma consistere *iis in locis* in quibus Con- « cilii tridentini decretum vel *nunquam publicatum fuit,* « vel *nunquam observatum* tanquam eiusdem Concilii de- « cretum, vel si quandoque observatum fuit, longo dein « temporis intervallo *in desuetudinem abiit.* Hinc factum « est, ut praedicta opinio, quae matrimonia inter haereticos « contracta coram ministro acatholico *generatim* nulla ac « irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et « numero plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut « *vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum,* maxime « post editam a Benedicto XIV an. 1741 pro matrimoniis « Hollandiae celeberrimam declarationem »:

Ex quibus omnibus concludi iure merito potest, *matrimonia* sive *haereticorum* inter se sive *mixta,* non coram parocho ac testibus celebrata, valida esse vel

Primo in locis ubi tridentinum decretum non fuit unquam publicatum, aut nunquam observatum tanquam eiusdem Concilii decretum, aut si publicatum et observatum, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit; - vel

Secundo in locis comprehensis a Benedictina Declaratione, idest in Hollandia et Belgio, - ac in aliis locis ad quae sancta Sedes ob easdem rationes, quae pro illis foeperatis militabant provinciis, eam extendit; - vel

Tertio in locis pro quibus apostolica Sedes derogavit praedicto Tridentini decreto. - Contra

Quarto nulla ac irrita sunt matrimonia ab haereticis inita sive inter se, sive cum parte catholica in locis in quibus tridentinum decretum publicatum, atque uti tale observatum est. - Secus vel ipsi romani Pontifices sibi ipsi contradixissent, qui non semel vel per se vel per sacrarum Congregationum iudicium, eiusmodi coniugia nulla ac irrita ipsi edixerunt [1].

[1] Plura eiusmodi iudiciorum exempla vide apud p. Perrone *De matrim. christ. lib. 2. sect. 1. cap. 6. art. 2. § 3.*

17. Ex eo autem quod alicubi vigeat tridentinum decretum, alibi autem non vigeat, quaedam sponte enascuntur quaestiones seu dubia, quae tamen vel ex decisionibus, vel etiam ex dictis facile diluuntur. - Hinc veluti consectaria, haec tenenda esse censeo.

Primo: Incolae regionum in quibus tridentinum decretum non fuit promulgatum aut receptum non est, dum forte morantur vel ad locum transeunt ubi viget ac servatur, ibidem invalide contrahunt matrimonium non adhibito parocho de iure adhibendo ac testibus [1]. Quia, ut dictum est, quoad contractus solemnitatem tenentur contrahere iuxta legem et consuetudinem ibi receptam. - *Viceversa.*

Secundo: Si *incola loci,* in quo receptum est Tridentinum, se confert ad locum ubi idem decretum nec receptum nec in usu est, ibique contrahat cum *incola illius loci* clandestinum coniugium, valide contrahit. - Ratione enim individuitatis contractus, alter sponsus privilegio gaudet sui consortis, ex omnium sententia; sicut parochus sponsi proprius est etiam proprius sponsae, cum contrahentes sunt ex diversis parochiis [2].

Tertio: Si *tam vir quam mulier* sint *incolae loci,* in quo tridentinum decretum receptum est, qui ad locum transeunt, in quo illud receptum non est aut non viget, dummodo se transferant animo ut ibi verum *domicilium* vel *quasi-domicilium* figant [3], matrimonium ibidem sine parocho ac testibus ab iis initum valet. Iam enim per domicilium vel quasi-domicilium facti sunt incolae illius loci, in quo tridentinum non obligat. - Item

Quarto: Si iidem incolae in praedictum locum a tridentini obligatione exemptum se conferunt sine intentione domicilii aut quasi-domicilii ibidem figendi *non tamen cum fraude,* idest intentione contrahendi clandestine, valide ibi

[1] Sanchez *lib. 3. disp. 18. n. 26* cum communi.

[2] Engel *lib. 4. tit. 3. n. 20.*

[3] Quid ad domicilium aut quasi-domicilium acquirendum requiratur, mox dicam.

eos contrahere, quamvis inito coniugio nec parochum nec testes adhibuerint, ex communiori sententia cum Sanchez [1], Pontio [2], tenent Reiffenstuel [3], Engel [4], Leurenius [5], atque etiam Barbosa [6] et Schmalzgrueber [7], qui etiam rationes contra eiusmodi sententiam allatas plane diluunt. - Ratio est quia peregrini non adstringuntur patriae legibus quando extra eam vagantur, et praesertim quoad contractus, cuiusmodi est matrimonium, cum in hisce subiiciantur legibus forumque sortiantur locorum, in quibus versantur [8]. - *Contra.*

Quinto: Si iidem incolae ad locum a tridentini exemptum obligatione decreti se conferunt *in fraudem legis*, scilicet intentione clandestinum contrahendi matrimonium, quin animum habeant acquirendi ibidem domicilium vel quasi-domicilium, eorum connubium, non coram parocho ac testibus celebratum, nullum est atque irritum. Dolus enim et fraus nemini debent patrocinari [9].

18. Animadvertendum denique quod in locis, ubi promulgatum quidem et receptum fuit tridentinum decretum, at parochi non adsint, vel expulsi sint ab haereticis aut infidelibus, vel quamvis adsint, penitus ignorantur, vel tutus non patet ad eos accessus, valent Christianorum matrimonia, quae ibidem celebrantur absque parochi praesentia. Forma enim a Tridentino praescripta servari ne-

[1] *Lib. 3. disp. 18. n. 28.*

[2] *De matrim. lib. 6. c. 9. n. 2.*

[3] *Lib. 4. tit. 3. n. 123.*

[4] *Lib. 4. tit. 3. n. 20. conc. 3.*

[5] *Lib. 4. tit. 3. quaest. 145. n. 3.*

[6] *De offic. et pot. Episc. part. 2. alleg. 32. n. 153.*

[7] *Lib. 4. tit. 3. n. 110.*

[8] Cap. *fin. de foro compet.* et leg. *si fundus 6. ff. de evictionibus.*

[9] Cfr. casus ab Archiep. Coloniensi propositos et S. C. responsum ac Urbani VIII decretum apud Benedict. XIV in litt. ad Antonium Archiep. Goanum, quae incip. *Paucis ab hinc hebdomadibus* hic in *Append. 4.* - Vel *Inst. 33. n. 9.* - Vel *De Synodo lib. 13. c. 4. n. 10.*

quit [1]. – Hinc Pius VI gallicae perturbationis occasione an. 1793 scripsit: « Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, horum profecto coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit a S. C. Concilii Trident. Interpret. » [2]. – Suprema autem S. I. C. nuper declaravit, facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, quando *per spatium mensis* tutus non sit ad eundem accessus [3].

§ 2.

De assistentia parochi ac testium.

19. Inquirendum breviter: 1° Qualis parochus assistere debeat; – 2° Quot et quales testes adesse opus sit; – 3° Quomodo parochus ac testes matrimoniali contractui interesse debeant.

20. Ac *primo* quidem: – Ille tantum parochus matrimonio valide assistit, qui alterutrius contrahentium est *proprius*. Is autem dicitur *proprius* contrahentium parochus, qui in eos, vel saltem in alterutrum *iurisdictione* fruitur [4]. – Parochi autem iurisdictio per verum seu habituale constituitur *domicilium*, vel etiam *quasi-domicilium* contrahentium aut eorum alterutrius in illius parochia; non vero per domicilium *originis*, nec per solam *ad breve tempus* habitationem. – Eruitur ex pluribus S. C. Concili declarationibus [5].

[1] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 3. quaest. 146. n. 2*, et Benedict. XIV *De Synodo lib. 12. c. 5. n. 5.*

[2] Pius VI *epist. ad Episc. Lucion.*

[3] Ita testatur p. Ballerini *in notis ad Gury theolog. moral. de matrim. n. 840. q. 4. not. a.*

[4] Leurenius *lib. 4. tit. 3. quaest. 147* et *151.*

[5] Cfr. Benedict. XIV *Inst. eccl. 33.* et eiusdem cit. litteras ad Archiep. Goanum die *19 martii 1758.*

Domicilium acquiritur *animo* et *facto*. Hinc definitur « *habitatio* in loco, *animo* ibi stabiliter manendi » [1]. – Quasi-domicilium est « *habitatio* in loco, *animo* ibi consistendi *per maiorem anni partem,* vel, ut conformius iuri alii sentiunt, *per aliquot menses* » [2].

Cum autem *domicilium* vel *quasi-domicilium* statim acquiratur ac aliquis ad locum accedit cum animo ibi per tempus legitimum persistendi ad eiusmodi effectum, hinc DD. communiter docent, valide ibi matrimonium contrahi etiam statim ac illuc contrahentes appulerint [3]. Decipi autem eos ostendam infra [4], qui *taxative* dictum a Benedicto XIV ad Archiepiscopum Goanum tenent, *spatium unius mensis sufficere* et *requiri* ut quasi-domicilium quis acquirat, cum contra merum indicium seu *adminiculum* Pontifex tradat.

Non tamen acquiritur quasi-domicilium solo *rurandi animo,* ut S. C. Concilii declaravit 1 decemb. 1640 [5].

21. Praeter autem parochum est Ordinarius valens assistere matrimoniis et dare licentiam imprimis *Papa* respectu omnium Christi fidelium; *Legatus Papae* in suae Legationis provincia; *Archiepiscopus* respectu subditorum suae Archidioecesis, non vero quoad subditos Suffraganeorum, exceptis casibus de iure excipiendis; *Episcopus* aliique *Praelati* iurisdictionem quasi episcopalem in subditos habentes; *Vicarius generalis* Episcopi [6].

22. Ad *vagos* quod attinet respectu matrimonii, *vagum* definit Benedictus XIV [7]. *qui relicto suo domicilio, sedem*

[1] Leuren. I. U. *lib. 2. tit. 2. quaest. 72.* Vide p. Perrrone *de matrim. christ. lib. 2. sect. 1. c. 6. art. 5. pag. 279.*

[2] Schmalzgrueber *lib. 2. tit. 2. n. 19.*

[3] Sanchez *lib. 3. disp. 23. n. 7.*

[4] In *disceptatione prima,* ubi fusius de *domicilio* et *quasi-domicilio,* nempe a *n. 26. ad 30.*

[5] Vide Benedict. XIV. *Inst. eccl.* **33.** *n. 7;* vel infra in cit. *discept. n. 34. § 4.*

[6] Vide Leurenium *lib. 4. tit. 3. quaest. 148–149.*

[7] Cit. *Inst. eccl. 33. n. 10.*

in exteris terris inquirit, ut ex iure deprehenditur, et hoc sive iam statuit ubi sedem collocaturus sit, sive non [1].

Vagorum autem parochus is dicitur in cuius ditione illi versantur [2].

23. Statuendum *secundo, quot et quales testes* matrimonio adesse debeant. « Praeter parochum requiruntur et sufficiunt duo testes ». Constat ex Tridentino [3], quod exigit, ut duo vel tres testes una cum parocho matrimonio intersint.

Ad testium *qualitatem* quod attinet: « Requiritur, ut testes, qui coniugali contractui assistunt, sint *usu rationis praediti*, ut intelligant et advertant quid agatur. – Ceterum non requiritur, ut sint omni exceptione maiores, sed sufficiunt qualescumque. Unde etiam impuberes, feminae, parentes, consanguinei, domestici, servi, religiosi, excommunicati, infames, infideles sufficiunt, ut coram illis contrahi valide possit coniugium » [4]. Tridentinum enim decretum, cum ius commune corrigat, et irritet matrimonium, cuius causa favorabilis est, extendi non debet ad testium qualitates, praeter usum rationis iuxta legem naturae.

24. *Tertio* denique dicendum est, *quomodo* parochus ac testes coniugali foederi interesse debeant. Itaque

I. Parochus et *una simul* cum eo duo saltem testes matrimonii celebrationi interesse debent, et non sufficit, ut *singillatim* intersint. – Tridentinum namque decretum copulatam exigit parochi ac testium praesentiam.

II. Debent autem interesse non tantum physice seu corpore, sed *moraliter*, idest *animo* et cum *advertentia*, ita ut intelligant quid agatur [5]. – Non enim iure praesens esse censetur, qui modo non adest humano intelligens et ad-

[1] Sanchez *lib. 3. disp. 25. n. 3.*

[2] Vide Perrone *l. c. pag. 280–281*, et aliorum opinionem vide infra in cit. *discept. 1. n. 35.*

[3] *Sess. 24. cap. 1. de reform. matr.*

[4] Sanchez, Guttierez, Castropalaus, Pirhing citati a Leurenio *lib. 4. tit. 3. quaest. 152.* cum communi. – Benedict. XIV. *de Synodo lib. 13. cap. 23. n. 6.*

[5] Pirhing *lib. 4. tit. 3. n. 22.* cum communi.

vertens quid agatur [1]. – Hinc sufficit ut aliquo sensu percipiant quid agatur, sive visu sive auditu; vel signa saltem videant et intelligant, quae mutuum significent utriusque partis consensum [2]. Id autem maxime de parocho tenendum est, qui, ut ait Benedictus XIV, « interest matrimonio tanquam testis *auctorizabilis* pro Ecclesia... idcirco parochi praesentiam voluit, ut in illius probitate maximum veritatis fundamentum statueret » [3].

III. Non autem requiritur, ut parochus atque testes ad hoc vocati seu rogati intersint, sed sufficit eos casu supervenire, vel etiam omnino invitos, reclamantes, vi vel dolo detentos interesse. – Sive enim sponte sive invite intersint, possunt item intelligere atque testari de his quae geruntur. – Constat etiam ex responso S. C. ad Episcopum Giennensem anno 1581 [4].

§ 3.

De vi synodalium constitutionum quoad clandestinitatis impedimentum.

25. Ad dubia diluenda, quae oriri possent ex Synodalibus Constitutionibus de eiusmodi clandestinitatis impedimento tractantibus vel quae ad illud referuntur, quosdam veluti canones ex Benedicti XIV tractatu *de Synodo* excerpsisse iuvabit, ex quibus hoc eruitur generale principium: « Synodales Constitutiones aut edictales leges, quae sponsalia attingunt et clandestina coniugia, etsi iustae ac sanctae, et ad graves eliminandos abusus videantur quodammodo necessariae, quae tamen *iuri communi opponuntur,* viribus omnino carent ». – Itaque.

Primo : – Nullum haberet robur Constitutio Synodi sive dioecesanae sive provincialis, quae statueret, nulla esse sponsalia nisi coram parocho ac duobus testibus contrahantur – [5].

[1] Leg. *coram Titio ff. de V. S.*

[2] Benedict. XIV *de Synodo lib. 13. cap. 23. n. 1.* et *6.*

[3] Benedict. XIV *de Synodo cit. lib. 13. cap. 23. n. 6.*

[4] Apud Benedict. XIV *l. c. n. 1.*

[5] Cfr. Benedict. XIV *de Synodo lib. 12. cap. 5. n. 1.*

Secundo: - In Episcopi seu Synodi particularis potestate haud est, nulla atque irrita decernere matrimonia, quae non praeviis denunciationibus contrahantur coram parocho licet invito ac reluctante et duobus testibus. - Aliud esset de matrimonio celebrato contra interdictum Papae, munitum decreto irritante - [1].

Tertio: - Publicatio decreti tridentini *(Tametsi)* praesumitur, ubi illud fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum. - Ex resolutione Sacrae C. Concilii edita die 26 septembris anni 1602, quam ingeminat alia diei 30 martii 1669 [2].

Quarto: - Episcopi vel etiam Synodi provincialis Constitutio per parochias promulgata, quae irrita declaret matrimonia clandestina, idque ad formam quidem tridentini decreti *(Tametsi),* sed nulla facta huius decreti publicatione, neque vi eiusdem, sed propria tantum Episcopi vel Synodi auctoritate, non adimit firmitatem matrimoniis clandestine celebratis. - Ita ex resolutione S. C. Concilii diei 2 decembris 1628 quoad eiusmodi synodalia decreta Ruthena per parochias promulgata et ex alia diei 20 martii 1629 approbata et confirmata ab Urbano VIII, qui tamen, ex alio eiusdem S. C. consulto diei 20 aprilis 1629, per suas apostolicas litteras in forma *Brevium* et per alias ad Archiepiscopum Kioviensem, providit, ut in Ruthena provincia, vel vi decreti apostolici vel publicatione tridentini decreti, irrita fierent clandestina coniugia [3]. Hinc

Quinto: - Synodale decretum, quamvis iuri communi contrarium, sive quoad impedimenta matrimonii dirimentia, sive quoad alia quaelibet ecclesiastici iuris, ubi fuerit apostolica confirmatione non in forma communi, sed in *forma specifica* roboratum, pontificiae legis vim habet in subditos dioecesis vel provinciae, prout Synodus est dioecesana vel provincialis - [4].

[1] Cfr. eundem Benedict. XIV *ibid. nn. 2-3.*
[2] Idem *ibid. n. 6.*
[3] Cfr. eundem Benedict. XIV *l. c.* a *n. 7.* ad *12.*
[4] Eruitur ex his quae idem Pontifex tradit *loc. cit. n. 13.*

Quodnam autem discrimen inter praedicta duo confirmationum genera intercedat, idem Benedictus XIV tradit[1].

26. Atque hinc quemadmodum quod cautum fuerat in commemorata Ruthena Synodo per se quolibet valore caruisset absque Urbani VIII auctoritate, ita factum fuisset de clandestinitatis impedimento in provinciali Synodo Maronitarum Libanensi anni 1736 sancito. In ea enim Synodo nulla facta praefati tridentini decreti publicatione, nec vi eiusdem decreti, decernitur: Duodecimum (impedimentum dirimens): *Nullum est matrimonium clandestinum, idest quod aliter contrahitur, quam praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus*[2]. - At cum illius Synodi decreta fuerint ab apostolica Sede rite ac solemniter confirmata per Constitutionem Benedicti XIV, quae incipit *Singularis RR. PP.*, et quidem *in forma specifica*, ut cuilibet illam Constitutionem legenti patebit[3] per ea quae idem Pontifex docet de specifica eiusmodi confirmatione[4], hinc et nobilissima Maronitarum Ecclesia et ipsa apostolica Sedes tenent, nulla atque irrita esse connubia, quae a fidelibus syro-maronitici ritus aliter celebrarentur, quam praesente parocho et duobus vel tribus testibus.

27. Ad ceteras autem quod attinet Orientales Ecclesias, ubi publicatum non est tridentinum decretum « probe distinguenda est, ut scribit Papp-Szilágyi, clandestinitas antiqui iuris a clandestinitate per Concilium Tridentinum expressa, certumque est, ius orientale non agnoscere nisi *clandestinitatem veteris iuris,* videlicet *prohibitionem* contrahendi matrimonium absque publicis caeremoniis ab Ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis, quae quidem

[1] Benedict. XIV *de Synodo lib. 13. cap. 5. n. 11.*

[2] Synodus Maronitarum anno *1736. part. 2. de sacramentis, cap. 11. pag. 79.* edit. Romae *1830.*

[3] Vide praesertim § 9. illius Constitutionis in quo legitur: *statuta, decreta, ordinationes et canones* auctoritate apostolica tenore praesentium *confirmamus* et *approbamus,* illisque inviolabilis *apostolicae firmitatis robur adiicimus.*

[4] Benedict. XIV *de Synodo cit. lib. 13. cap. 5. n. 11.*

necessariae sunt, ut matrimonii celebratio *licita* evadat et non prohibita. – Utrum vero *benedictio* aut *coronatio* necessaria sit ad matrimonii *validitatem*, decisum ac definitum non fuit ab Ecclesia [1]: quamvis sententia, quae *negat necessitatem benedictionis* ad matrimonii *validitatem communior* sit ac probabilior etiam pro *Ecclesia Orientali*...... Et si accurate examinentur historica documenta constabit, quod Ecclesia Orientalis ante schisma et supra provocatam Novellam Leonis Imperatoris [2], imo etiam post schisma *non asseruerit* absolute ac positive *necessariam esse benedictionem ad validitatem*, sed solum ad *licitam* celebrationem matrimonii » [3].

De hac autem quaestione disceptatum fuit a patribus tridentinis occasione edendi de clandestinitate decreti [4]: et Benedictus XIV argumenta ac monumenta refert [5], quae ab utriusque sententiae patronis in medium allata fuerunt tum pro firmitate tum pro nullitate connubiorum, quae absque sacerdotali benedictione a christianis ante Tridentinum celebrabantur. Quibus relatis concludit Pontifex: « Haec in utramque partem a tridentinis theologis et patribus versata sunt, et tandem deliberatum, ut matrimonia clandestina, sive ullo unquam tempore fuerint antea invalida, sive non, quod *dubium profecto aeque incertum remansit:* ad ea nihilominus praecavenda gravissima mala, quae in animarum perniciem ac totius christianae reipu-

[1] De hoc mox dicam ex Benedicto XIV *de Synodo lib. 8. cap. 12.*

[2] Leo Imperator in Novella 89 publica lege sancivit « Ut sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmarentur, adeo ut si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitae illa consuetudine matrimonii iure potiri velimus ». – At laici Principis constitutio non potuit matrimonii valorem in conscientiae foro infirmare. – Id autem legitima ac suprema praescripsit Ecclesiae auctoritas in Tridentina Synodo *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.*

[3] Papp-Szilágyi: *Enchiridion iuris Ecclesiae oriental. part. 2. § 118. pagg. 464–465. edit.* M. Varadini *1862.*

[4] Cfr. Pallavicini *Storia del Concilio di Trento lib. 22. c. 4.*

[5] Benedict. XIV *De Synodo lib. 8. cap. 12. nn. 4–5–6.*

blicae perturbationem ex illis obveniebant, et quibus, experientia docente, haud satis occurrere poterat sola eorumdem prohibitio a Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III [1] renovata, deliberatum, inquam, est, ut invalida in posterum decernerentur: quod reipsa factum legimus per saepius laudatum *saluberrimum decretum* » [2].

28. Verum ex Orientalibus quidam etiam nostri aevi valorem impetunt coniugiorum, quae non fuerint Ecclesiae benedictione seu coronatione firmata. Cumque ex monumentis iam in Tridentina Synodo expensis non satis probari sentiant eorum thesim, ad *consuetudinem* provocant, cuius vi eiusmodi coniugia apud orientalium rituum fideles nulla atque irrita censenda esse contendunt, quin tridentinum publicetur decretum.

At quamvis consuetudine legitime inducta atque praescripta, nova constitui possint dirimentia ecclesiastici iuris impedimenta [3], ut constat ex toto titulo *de consuetudine:* tamen in themate per ineluctabilia argumenta probandum foret, quod legitima *consuetudo*, apud Orientales catholici ritus Ecclesias; nedum *illicita* sed etiam *invalida* proclamet clandestina coniugia. Sic exempli gratia eiusmodi probaretur consuetudo si plures proferri possent ecclesiasticorum tribunalium sententiae, quae nulla atque irrita constanter declaraverint *clandestina* coniugia ab orientalium rituum fidelibus celebrata. At hoc, quod sciam, nondum praestiterunt huius sententiae patroni; quin imo ex ipsis Orientalibus alii contrariam tenent sententiam [4].

[1] Cap. *cum inhibitio 3. de clandest. desponsat.*

[2] Benedict. XIV *loc. cit. n. 7.*

[3] Sanchez *lib. 7. disp. 4. n. 11.* et *seqq.* et alii citati a Leurenio *lib. 4. tit. 1. quaest. 103.* cum communi, *contra gloss. in cap. 1. de cognat. spirit.* et alios.

[4] Ex Papp-Szilágyi *l. c.* § *118. pag. 464.*

ARTICULUS V.

De impedimento duorum criminum, scilicet adulterii et homicidii.

1. Hoc impedimentum, *ecclesiastico iure* matrimonium dirimens, quidquid sit de civili romano [1], et veteri canonico iure [2], ex duobus criminibus *adulterii* et *homicidii*, triplex est, seu in tribus casibus esse potest sub datis *conditionibus*, ut eruitur ex iis quae decretalium iure traduntur [3]. - Scilicet 1° solum adulterium; - 2° solum coniugis homicidium; - 3° utrumque, adulterium nempe simul et homicidium. Itaque inquirendum.

§ 1.

An et quando dirimat solum adulterium.

2. Adulterium absque homicidio dirimit matrimonium si tres concurrant conditiones. Requiritur scilicet:

Primo, ut adulterium sit *verum, formale, consummatum*. Et quidem ut sit *verum* adulterium, idest ut uterque vel saltem alteruter fornicator matrimonio legitimo ac valido, sive consummato sive rato tantum, coniunctus sit. Adulterium enim *existimatum* cum futuri promissione matrimonii nullum praestat impedimentum [4]. – Ut sit adulterium *formale*, et quidem ex utraque parte, nimirum ut uterque complex sciat, alterutrum esse coniugatum. In casu enim ignorati coniugii non urget periculum machinationis mortis saltem ex parte utriusque. Huius autem impedi-

[1] *Leg. 11.* § *11.* et *leg. 40. ff. ad leg. Iub. de adulter., Novel. 234. cap. 7.*

[2] *Can. 1. et 2. caus. 31. q. 1.*

[3] Cfr. praesertim *lib. 4. tit. 7. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* – Et *lib. 3. tit. 33. De conversione infidelium, cap. 1. laudabilem.*

[4] Sanchez *lib. 7. dispen. 79. n. 30;* Pirhing *lib. 4. tit. 7. nn. 6* et *10,* aliique ex *cap. significavit. 2. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

menti ratio iuxta omnes est, ne futuri spe matrimonii detur adulteris ansa captandae mortis coniugum [1]. Hinc femina non coniugata si copuletur viro, quem nescit esse coniugatum, animo et promissione cum eo matrimonium contrahendi, non impeditur, quominus, mortua adulteri uxore, cum eo coniugium ineat. Contra ad impedimentum incurrendum sufficit ut quis scienter accedat ad complicem coniugatum, quin opus sit ut hic sciat, etiam complicem, quocum adulterat, coniugatum esse: quae omnia clare patent ex decretalibus [2]. – Tandem ut sit adulterium *consummatum* per copulam carnalem perfectam, qua alias consummatur matrimonium [3].

Secundo requiritur *promissio* seu *conventio* de matrimonio post mortem coniugis contrahendo inter adulteros, vel etiam *matrimonium* de facto initum seu potius *attentatum*, cum sit irritum extantis impedimento foederis [4]. Quare nec sufficit data matrimonii fides vel de praesenti vel de futuro sine adulterio, nec adulterium sine fide alterutro modo data [5]. – Haec autem promissio debet esse *vera*, *externa* et ab altera parte *acceptata*, secus non esset conventio, quamvis illicita et irrita [6], neque huius impedimenti ratio urgeret [7].

Tertio requiritur, ut adulterium committatur, et matrimonium de praesenti attentetur aut promittatur *constante eodem legitimo coniugio*. Scilicet tum adulterium tum matrimonii promissio vel hoc attentatum cedere in iniuriam debent unius eiusdemque coniugis. Id autem non contigeret si Titius e. gr. vivente prima uxore promitteret matrimonium Bertae; cum eadem vero adulterium patraret,

[1] Sanchez *lib. 7. disp. 79. n. 1.*

[2] Cap. *propositum 1.* et cap. *veniens. tit. cit. de eo qui duxit.*

[3] Sanchez *cit. lib. 7. disp. 79. n. 2.* et passim alii.

[4] Cap. *propositum 1.* cap. *cum haberet 5.* et cap. *significasti 6. cit. tit.* et alibi.

[5] Sanchez *loc. cit. n. 2.* cum communi.

[6] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 7. quaest. 187.*

[7] Cfr. eundem Leurenium *ibid. quaest. 186.*

quando post primae uxoris mortem Semproniam duxisset. Hoc itaque casu Titius, mortua et altera sua uxore Sempronia, posset uxorem ducere Bertam iam sui complicem adulterii [1].

§ 2.

An et quando dirimat homicidium solum.

3. Dirimit aliquando homicidium solum. Verum ut ex homicidio, absque adulterio, oriatur impedimentum, etiam tres requiruntur conditiones, scilicet:

Primo requiritur *mutua conspiratio*, idest, ut uterque eorum, qui contrahere volunt matrimonium post innocentis coniugis mortem, machinati sint et conspiraverint in huius coniugis caedem, uti constat ex decretali Caelestini III [2], ubi Saracenis, qui ex mandato et consilio uxorum christianarum, viros earum interfecerunt, quamvis dein per ipsas ad fidem conversis christianam, interdicitur matrimonium cum illis viduis, citato Triburiensi Concilio [3]. - Aliter autem eadem decretali decernit Pontifex de matrimoniis contractis a Saracenis ad fidem conversis cum uxoribus Christianorum in bello occisorum, et a Christianis cum mulieribus Saracenorum viduis item in bello ab illis interfectorum, postquam saracenae mulieres fuerant sacro baptismatis regeneratae lavacro. Eiusmodi enim coniugia licita et valida declarantur ex eo *quod tales non procuraverint virorum interitum defunctorum* [4]. - Hinc valeret matrimonium e. gr. Titii cum Berta, si Titius occidat uxorem suam, ignorante vel contradicente Berta, cum qua intendebat matrimonium inire; vel si Berta suum interficiat virum, inscio aut obsistente Titio, quocum inten-

[1] Vide rationes quas ad rem afferunt Layman, Sanchez, Pirhing, Sylvius, Sotus citati a Leurenio *lib. 4. tit. 7. quaest. 181.*

[2] Cap. *laudabilem 4, de conversione infidelium;* ex quo communis DD. sententia.

[3] Cap. *Si quis vivente marito 5. caus. 31. quaest. 1.*

[4] Cit. *cap. laudabilem, de convers. infidelium.*

debat coniugium contrahere. Aequiparantur enim uxoricidium et viricidium [1].

Secundo requiritur, ut occisio fiat *intentione contrahendi matrimonium* cum coniuge superstite. Etsi enim in iure eiusmodi conditio non reperiatur expressa, ex eius tamen verbis et fine colligitur [2]. Finis siquidem legum hoc statuentium impedimentum est, ne quis desiderio alterius contrahendi coniugii propriam vel alterius coniugem occidat. - Unde, quamvis in foro externo, dum occisor ducere vult superstitem coniugem, praesumatur commisisse caedem ex intentione contrahendi matrimonii, et quidem cum illa determinata persona, si mulier et vir alienus communi opera concurrunt ad mortem coniugis innocentis [3], si tamen caedes coniugis alio ex fine facta fuerit, e. gr. ut superstites liberius vacarent libidini, ut vexatione coniugis occisi carerent, non autem contrahendi intentione coniugii, impedimentum nedum in foro interno, sed neque in externo locum haberet, si ex magnis probaretur coniecturis opposita intentio, quo casu vinceretur praesumptio [4]. Magis enim valet veritas quam praesumptio.

Tertio requiritur ut *mors realiter sequatur* ex actione sive physica sive morali alterutrius complicis, uti iussione, mandato, vel etiam efficaci consilio. Constat ex iure [5]. Non tamen sufficit occisionem patratam ratam haberi [6].

[1] Sanchez, Gutt., Pont., Laym., Castrop. cit. a Leurenio *lib. 4. tit. 7. quaest. 189-190. ex cit. text.* aliisque.

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 78. n. 13.* cum communi.

[3] Schmalzgrueber *lib. 4. tit. 7. n. 55.* post Sanchez *loc. cit. num. 19.*

[4] Sanchez *cit. lib. 7. disp. 78. n. 13.* allegans D. Thomam et longam DD. seriem, iuncto *n. 19.*

[5] Layman, Castrop., Corrad. citati a Leurenio *lib. 4. tit. 7. quaest. 191.* ex cap. *si quis vivente 5. caus. 31. quaest. 1.* - et cap. *laudabilem 1. de conversione infidelium.*

[6] Cfr. Leurenium *loc. cit.* cum Glos. in cit. cap. *si quis vivente,* v. *occidisse notatur.*

§ 3.

Quando dirimat utrumque crimen, scilicet adulterium simul et homicidium.

4. Quum adulterii et coniugicidii crimina reperiuntur coniuncta, non requiritur mutua ad coniugicidium conspiratio, nec matrimonii promissio; sed haec tria requiruntur et sufficiunt:

Primo: Adulterium verum, formale, consummatum, ut supra expositum est [1].

Secundo requiritur *machinatio mortis ab uno adulterorum* [2] *ex intentione matrimonii* [3].

Tertio requiritur *secuta mors ex machinatione unius adulterorum,* actione sive physica sive morali [4].

5. *Concluditur* brevius. Impedimentum criminis incurritur: 1° Si adsit *adulterium* cum promissione matrimonii ab altero acceptata, aut cum matrimonio attentato; – vel 2° Si adsit *homicidium* ex communi conspiratione et cum intentione contrahendi coniugium, ab uno saltem complice habita; – vel 3° Si concurrant *adulterium* et *homicidium* intuitu matrimonii, et tunc neque conspiratio requiritur, neque matrimonii promissio.

6. Quamvis autem hoc criminis impedimentum locum inter infideles non habeat, cum sit ecclesiastici iuris, attamen, quoad *primam* huius impedimenti causam, si *fidelis,* promisso matrimonio adulterat cum infideli; si, quoad *secundam,* fidelis particeps machinationis seu caedis fuit; si quoad *tertiam,* ipsemet fidelis caedem patravit, impedimentum incurrit, et *infidelis* indirecte eodem ligatur, uti contingit in impedimento disparitatis cultus [5].

[1] § *1.* de solo adulterio.

[2] Ex cap. *super hoc 3, de eo qui duxit in matrim.* Sanchez *lib. 7. disp. 78. n. 2;* – Pirhing *lib. 4. tit. 7. n. 19.*

[3] Patet ex dictis § *2.*

[4] Ex iure, ut eodem § *2.* dictum est.

[5] Cfr. Leurenium *lib. 4. tit. 7. quaest. 188.* – iuxta cit. cap. *laudabilem, de convers. infidelium.*

7. Ad ius Orientale quod attinet – « Spiritus legum orientalium, ut animadvertit Papp-Szilàgyi, is est ut graviorum criminum rei, sicut coniugicidae et adulteri, cum complicibus criminis nunquam matrimonium contrahere admittantur; imo non tantum ob perpetratum crimen, sed ex sola etiam praesumptione et subsumptione de crimine matrimonium *prohibent*.... Impedimentum autem *dirimens* criminis in eo consistit, si nempe mulier vel vir adulterium committat, vel coniugicidium perpetret, intentione, ut possit postea nubere illi quocum hoc peccatum commisit. Quo in casu huius mali partes consciae matrimonium *valide* inire haud possunt » [1].

Quemadmodum ergo Ecclesiae latinae disciplina impedimentum criminis ad certas restrinxit ac determinavit conditiones, ita et quarundam orientalium disciplina Ecclesiarum, sacra approbante apostolica Sede, de hoc sancivit impedimento. Sic, ut de ceteris ritibus sileam, provincialis Ruthenorum Synodus statuit: « Si quis mulierem, quacum nubere vult, polluit ante per adulterium, fidesque inter utrumque intercessit tunc temporis de contrahendo inter se matrimonio; – aut etiam in vitam defuncti coniugis aliquid alter ex ipsis machinatus est, altero sciente, consentiente vel consulente......, nullatenus admittatur ad contrahendum, nisi dispensationem ab eo, a quo concedi potest, obtinuerit » [2].

Provincialis Synodus Libanensis ad tramites disciplinae Ecclesiae latinae breviter et concinne ita hoc impedimentum describit et sancit: « Sextum *(impedimentum dirimens est)* crimen, idest adulterium et homicidium seu occisio unius coniugum: quae tamen duo crimina non semper dirimunt matrimonium, sed tantum in casibus sequentibus: 1° Quum e coniugibus alter post adulterium cum

[1] Papp-Szilàgyi: *Enchiridion ius Ecclesiae orientalis catholicae part. 2. § 117. pagg. 461-462.*

[2] Synodus provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae *an. 1720*, a Benedict. XIII confirmata et approbata const. *Apostolatus officium* die *19 Iulii 1724. – pag. 109*. edit. Romae *1838*.

alio commissum efficaciter machinatus est mortem suae compartis, eo fine ut matrimonium cum eo contrahatur, qui adulterio pollutus fuit: idque altera parte conscia et participe homicidii aut adulterii. - 2° Quum ex amborum consensu, etiam non interveniente adulterio, fit occisio unius ex coniugatis. - 3° Quum perpetratur adulterium cum promissione matrimonii post coniugis adhuc viventis obitum celebrandi, et promissio a constuprata fuerit verbis aut externo signo acceptata. - 4° Quum quis vivente legitima coniuge init et consummat nuptias cum altera: hic enim alteram postea mortua legitima coniuge, ducere non potest in matrimonium: qui casus locum non habet si altera ex partibus bona fide ignorarit, non esse mortuam legitimam priorem compartem, aut si postquam id didicit, a cohabitatione temperaverit » [1].

CAPUT V.

De dispensatione ab impedimentis matrimonium dirimentibus. Et quaedam de consuetudine quoad facultatem dispensandi.

1. In quolibet enucleando impedimento matrimonium dirimente, sedulo adnotatum est, quaenam impedimenta *divino,* sive *naturali* sive *positivo,* quaenam *humano* dirimant *iure,* ut clare innotescat, quaenam ab Ecclesia abrogari, reformari, dispensari queant impedimenta dirimentia, et quaenam nequeant [2]. Ecclesia enim quidquid ipsa constituit vel probavit, auferre potest aut reformare, non vero quod a Deo ita statutum ac sancitum est, ut liberam

[1] *Part. 2. cap. 11. pagg. 77-78.* (edit. Rom. *1820*) Synodi provincialis nationis Syrorum Maronitarum in monte Libano celebratae an. *1736* Iosepho Simonio Assemano A. S. Ablegato, et cui schema huius Synodi tribuitur. A Benedict. XIV fuit confirmata et approbata cit. Const. *Singularis.*

[2] Hinc saepius citata Synodus Libanensis Syrorum Maronitarum, ut planum faciat, in quibus impedimentis Ecclesia *dispensare* queat, breviter ac dilucide quinque numeris distinguit, quae iuris divini aut naturalis sint, et quae iuris canonici. Vide dictae Synodi *part. 2. cap. 11. § 11. pagg. 82-83.* edit. Romae *1820.*

in eo non dederit eidem Ecclesiae variandi facultatem [1]. Cum autem dirimentia ecclesiastici iuris impedimenta ab universali lege inducta sint, cumque universam Ecclesiam repraesentet Romanus Pontifex et generale Concilium, hinc non in singulis Episcopis, sed in uno Romano Pontifice vel oecumenica Synodo residet potestas dirimentia ecclesiastici iuris impedimenta nova statuendi, et iam extantia abrogandi, reformandi, dispensandi [2]. - Quare haec principia statuenda sunt:

2. *Primo:* « summus Pontifex dispensare potest ab omnibus impedimentis solo iure ecclesiastico matrimonium dirimentibus; et quidem *valide* in omni casu; *licite* si ista de causa dispenset, prout recta gubernatio requirit ». - Ratio patet, quia ea impedimenta inducta sunt communi iure, in quo summus tantum Ecclesiae Superior, suprema potestate ligandi atque solvendi a Christo praeditus, dispensare potest.

Secundo: « Episcopus dispensare nequit *ordinarie et de iure proprio* in impedimentis dirimentibus » [3]. Ratio est quia eiusmodi impedimenta communi iure matrimonium dirimunt; atqui in communi iure, tanquam in lege Superioris, nequit inferior, qualis est Episcopus respectu Papae vel Concilii, dispensare nisi ex concessione Concilii generalis vel Papae, aut ex legitima consuetudine. Episcopis autem nulla ex his rationibus suffragatur pro asserendo sibi *ordinario* iure dispensandi in quibusdam impedimentis dirimentibus publicis, ut ex sacrarum Urbis

[1] Verum quo ad dispensationem, seu potestatem Papae tollendi obligationem iuris divini et naturalis in *casu aliquo speciali ex urgenti causa,* praeter ea quae superioribus capitibus passim dicta sunt, vide Sanchez *lib. 8. disp. 6.* a *n. 1.* ad *14.*

[2] Cfr. Benedict. XIV *de Synodo lib. 9. cap. 2. nn. 1-3.* - Devoti *Inst. Canonic. lib. 2. tit. 2. sect. 9. n. 116. not. 1.* - Concil. Trident. *sess. 24. can. 3.* et *4. de sacram. matrim.*

[3] Cfr. Sanchez *cit. lib. 8. disp. 7. n. 14. et seqq.* - Episcopos dispensare potest·ac delegationi S. Pontificis expressa, tacita, vel praesumpta. — Cfr. Sebastianelli, *Praelectiones de matrimonio,* Zitelli, *De dispensationibus.*

Congregationum resolutionibus a Rigantio relatis [1], et nutantis futilitate *consuetudinis*, olim a quibusdam Galliarum Episcopis ac Doctoribus allatae, sedulo expensa Benedictus XIV [2] ostendit. Pius autem VII quibusdam Galliarum episcopalibus concessum Sedibus privilegium dispensandi in impedimentis dirimentibus aliaque eiusmodi privilegia in nova dioecesium circumscriptione suppressit [3]. – Hinc sacra Poenitentiaria recens rogata: « Utrum Episcopi possint valide dispensare ab impedimentis matrimonii iure ecclesiastico dirimentibus cum suis subditis civili tantum foedere iunctis quum eorum aliquis ita graviter aegrotat, ut in mortis articulo sit, et dispensationem petat, ut matrimonium coram Ecclesia rite celebrare valeat », respondit: « Quoad impedimenta *publica*, Episcopum nullatenus dispensare posse » [4].

3. Ut autem plenius intelligantur quae Benedictus XIV disserit ad profligandam rationem *ex consuetudine*, quam quidam sacrorum Antistites praetexebant ad sibi vindicandam facultatem dispensandi ab impedimentis quibusdam matrimonium dirimentibus, recolendae sunt *conditiones*, quae omnino requiruntur, ut aliqua sustineri queat consuetudo *vim legis habens*.

Exploratum quidem est, *consuetudinem* illis praeditam conditionibus, quae a communi iure statutae sunt, valere tam ad abrogandam iam extantem, quam ad novam constituendam legem.

Iam vero plures, quas congerit Glossa [5], conditiones commode cum Leurenio [6] ad duas referri possunt, scilicet ut consuetudo sit *rationabilis*, et ut sit *legitime praescripta*.

[1] Rigantius: *Comment. in Regul. Cancellar. tom. 4. in notis ad regul. 49. nn. 1-2.*

[2] Benedictus XIV *De Synodo lib. 9. cap. 2. n. 3. et seqq.*

[3] Pius VII Const. *Qui Christi Domini* an. *1802.*

[4] *Almerien. 18 aug. 1872,* relata in *Ferrarien. matrimonii 22 ian. 1881,* § *post.* cor. S. C. Concilii expensa.

[5] In *cap. fin. de consuetudine.*

[6] Leurenius: *Forum ecclesiast. lib. 1. tit. 4. quaest. 373. et seqq.*

Censenda autem est *rationabilis* ea consuetudo quae sit de re honesta et utili reipublicae seu communi bono. Doctores quidam rationabilem esse dicunt consuetudinem, quae nullo reprobatur iure. Siquidem aliud est quod consuetudo *adversetur* (inchoative) legi existenti, quia expediens eiusdem consuetudinis usus et continuatio, quamvis forsan culpabiliter incoeptae et inductae; – et aliud est quod consuetudo *reprobetur a lege ac prohibeatur*. – In dubio autem de valore consuetudinis, si haec legi opponatur duntaxat, praesumendum est favore consuetudinis; – si contra reprobata a lege sit ac prohibita, standum est pro lege, et consuetudo praesumenda est irrationabilis [1].

4. Habenda insuper est uti *legitime praescripta* consuetudo quum viguerit tempore ad praescriptionem a legibus requisito [2]. Iuxta autem communiorem sententiam, consuetudo habetur uti longaeva et ad praescribendum sufficiens, quando *per decennium continuatis actibus* invaluerit [3]. Iura siquidem requirunt *longum tempus* ad habendam uti legitime praescriptam consuetudinem; atqui *decennium* in iure est *longum tempus* [4].

At vero compertum habetur, non sufficere decennium, sed requiri spatium *quadraginta annorum* aut *tempus longius,* ubi ex abrogatione legis canonicae per consuetudinem obtenta oriretur praeiudicium seu *detraheretur iuri quaesito tertii* nempe Ecclesiae [5].

5. Quare ne temere facultas Episcopo astruatur dispensandi ab aliquo dirimente impedimento vi inductae *consuetudinis,* prae oculis habenda sunt ac sedulo pen-

[1] Sanchez, Suar., Salas., Castrop., Caiet. citati a Leurenio *lib. 1. tit. 4. de consuetud. quaest. 375.* Cfr. etiam *seq. quaest. 376.*

[2] Leuren. *l. c. quaest. 377.*

[3] Suar., Bonac., Mascardus, Sa, Castrop. etc. *ap. eundem ibid. quaest. 378.*

[4] *Leg. ult. Cod. de praescript. long. temp.,* § *1. Inst. de usucap.*

[5] Abbas, Sperellius, Mascardus, quos citat et sequitur Reiffenstuel *lib. 1. tit. 4. de consuetudine n. 109.*

sanda, quae hac ipsa in quaestione scribit Benedictus XIV[1]: « At etiam dato in aliquam dioecesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum ius auferendi impedimenta *(idest ab iis dispensandi)* a Conciliis oecumenicis aut a Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti ne Superioris statutum infringere aut quoquo modo relaxare praesumat. – Quin immo cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam *ad tollenda et minuenda iura uni competentia Romano Pontifici,* praeter ceteras conditiones necesse est ut *centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione perseveraverit.....*

« Verum postremo et potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua invaluerit, *disrumpatur nervus ecclesiasticae disciplinae:* in quo eventu numquam per eam adversus legem praescribi declaravit Innocentius III in cap. *cum inter de consuetudine.* Num porro praedicta consuetudo eiusmodi inficiatur vitio, potius quam a nobis, praestat audire a gallicano auctore *Cabassutio* » – cuius relatis verbis eo vitio infici probat eiusmodi consuetudinem exemplo Episcoporum Galliarum.

6. Ad *longum* praeterea *tempus* quod attinet, ut consuetudo legitime praescripta dicatur, omnino requiritur, ut semel incoepta ac eo volvente tempore ita continuetur, ut contrariis actibus non interrumpatur: communis est Doctorum sententia[2]. Et re quidem vera ad praescriptionem generatim requiritur *continuatio possessionis* tempore legibus definito; et insuper cum iura loquuntur de tempore requisito ad aliquem effectum, intelligitur de continuo et non interrupto tempore. Et si consuetudo rite interrumpatur, ex. gr. ab actu aliquo legali Legislatoris ecclesiastici vel civilis, *denuo inchoari debet,* ut vim legis habeat.

[1] *De Synodo cit. lib 9. cap. 2. n. 6.*

[2] **Abbas, Suarez, Layman, Castropalaus, Pirhing** citati a Leurenio *lib. 1. tit. 4. quaest. 379.*

7. Expositarum vi conditionum ad quamlibet consuetudinem sustinendam, requiritur etiam *Principis consensus.* Sed quisnam esse debet eiusmodi consensus? Certum quidem est, non requiri personalem et particularem Principis consensum, sed sufficere *generalem* et *legalem iuridicum consensum,* qui per ipsum ius scriptum iamque alias a Principe eiusve decessoribus conditum, datus hoc ipso intelligitur, quod scilicet a communi iure statutum sit, consuetudinem quibusdam sancitis praeditam conditionibus validam esse, et rationem legis habere, et uti talem vi pollere legem alias constitutam abrogandi aut novam inducendi [1]. Tunc enim consentit Papa vel Princeps hoc ipso in omnes particulares consuetudines legitime inductas, quamvis hic et nunc eas ignoret. - Hinc Sanchez cum aliis Doctoribus docet, consuetudinem rationi consonam et legitime praescriptam vires habere tum inducendi novum dirimens ecclesiastici iuris impedimentum, tum aliquod iam statutum abolendi, seu derogandi ecclesiasticae legi illud statuenti [2].

Porro quaelibet consuetudo *cessatione* vel *abrogatione* evanescit, quod vel *lege* vel *alia consuetudine* contraria fieri potest. Quanam vero ratione vel conditionibus id fieri debeat Iurisperiti fuse lateque disputant [3].

8. Haec dicta sint ad ostendendum, *ordinaria* carere Episcopum potestate dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus. *Extraordinario* tamen iure Episcopus quandoque potest relaxare impedimentum, quod irritum reddidit matrimonium iam *publice contractum.* « Ultro enim, scribit Benedictus XIV, concedimus Episcopo illud relaxandi facultatem, quam eidem ascribunt Silvester......,

[1] Reiffenstuel *h. t. De consuetudine n. 139.* - Pirhing item *h. t. n. 16.* quique hanc esse dicit communem Iurisperitorum doctrinam.

[2] Sanchez *lib. 7. disp. 4. nn. 11-14.*

[3] Cfr. Leurenium *lib. 1. tit. 4. quaest. 406. et seqq.* usque ad *quaest. 410. inclusive.* - Idem Auctor fuse disserit in hunc Decretalium titulum de *causa, interpretatione* seu *extensione, probatione* et *effectu consuetudinis* a *quaestione 381.* ad *cit. quaest. 406.*

Sotus, Navarrus, Sanchez, Pontius, Zerola, Cabassutius, Sylvius, Fagnanus, Natalis Alexander, qui tamen unanimiter monent non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi simul concurrant sex circumstantiae: *Primo* scilicet, ut iam matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiae, omnibusque adhibitis solemnitatibus: - *secundo,* ut contractum fuerit bona fide ex iuris aut facti ignorantia; - *tertio,* ut sit consummatum; - *quarto,* ut impedimentum sit occultum; - *quinto,* ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri, ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam aliasque similes causas; - *sexto* denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo.... Notant itidem iidem Doctores, dispensationem ab Episcopo in praedictis circumstantiis obtentam, prodesse duntaxat pro foro conscientiae, non autem pro foro externo... Quocirca si impedimentum antea occultum, postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione, a summo Pontifice impetranda » [1].

9. Nec desunt praeterea Doctores, qui *extraordinariam* Episcopo asserunt facultatem auferendi impedimentum dirimens *occultum,* quod obstat matrimonio non iam contracto, sed proxime *contrahendo,* si tales urgeant rerum circumstantiae, ut nec summus Pontifex consuli, nec matrimonium, ad quod omnia sunt parata, differri queat sine scandalo aut contrahentium infamia, neque alia suppetat ratio hisce malis occurrendi. Praesumendum siquidem tunc est, summum Pontificem in eiusmodi urgentissima rerum necessitate delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam, requisitus, non esset ei quidem denegaturus [2]. Hanc facultatem Episcopis asseruit Sanchez, *nullius,* ut ipsemet scribit, *auctoris patrocinio fretus* [3]; sed eum postea secuti sunt Pontius, Hurtadus, Perez, Bonacina, Barbosa, Cabassutius, De Iustis, Wiestner, Anacletus, citati a Benedi-

[1] Benedictus XIV *De Synodo lib. 9. cap. 2. n. 1.*

[2] Benedictus XIV. *cit. loc. n. 2.*

[3] Sanchez *De matrim. lib. 2. disp. 40. n. 7.*

cto XIV [1], ita ut fere communem eam dixerit opinionem Bonacina, quam tamen reprehendit et exagitat Fagnanus [2]; ac ideo nullum de ea iudicium profert idem Benedictus XIV [3].

10. Haec quoad potestatem dispensandi ab impedimentis matrimonium dirimentibus meminisse sat esse duxi. – Ad causas autem quod attinet pro dispensatione obtinenda, atque ad ea quae exponenda sunt ne *subreptitia* vel *obreptitia* sit dispensatio, consulendi sunt probati doctores praesertim theologi, vel infra *Instructio super dispensationibus matrimonialibus* [4].

[1] Benedict. XIV *ibid.*

[2] In cap. *nimis. nn. 34–33. de filiis presb.*

[3] Bened. XIV *ibid. n. 3.* – **Ex decreto 20 Febr. 1888 SSmus D. N. Leo XIII pro gratia qua locorum ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per alium in gravissimo mortis periculo constitutos grado non suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus excepto de presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ac copula licita proveniente.**

[4] *Appendix 7.*

PARS SECUNDA.

DE RATIONE TRACTANDI ATQUE AGENDI CAUSAS MATRIMONIALES.

Quae usque nunc de dirimentibus impedimentis ac dispensationibus matrimonialibus exposuimus praemissis, de matrimonialibus processibus agentes in duas sectiones tractationem dividimus, quarum in prima *de processu iudiciali in causis nullitatis matrimonii*, in altera *de matrimoniali processu in causa dispensationis matrimonii rati et non consummati* agemus. – Sit itaque:

SECTIO I.

DE PROCESSU IUDICIALI IN CAUSIS NULLITATIS MATRIMONII.

Post initum matrimonium si aliquod detegatur dirimens impedimentum, servatis de iure servandis, vel dispensatione modo ordinario vel dispensatione in radice revalidatur coniugium, quod extante ecclesiastici iuris impedimento irritum fuit. – At si dispensatione revalidari nequeat, puta si agatur de impedimento iuris naturae, vel partes velint suam vindicare status libertatem, causa proponenda est coram competente Iudice quoad impedimenti existentiam, seu ad causam agendam super matrimonii firmitate, an validum scilicet vel irritum illud fuerit. – Itaque agendum est 1° de *foro competente* in causis matrimonialibus; – 2° de *accusatione* ac *testificatione* matrimonii, seu de *personis* ad id iure habilibus; – 3° de *processu iudiciali*; – 4° de *processus publicatione* et *exceptionibus* contra testes; – 5° de *sententia, re iudicata, querela* et *appellatione*.

CAPUT I.

De foro competente.

1. Cum eiusmodi matrimoniales quaestiones inter principes spirituales causas accenseantur, quippe de sacramenti agatur valore, in foro tantum ecclesiastico seu coram iudice ecclesiastico cognosci debent; et quidem illas cognoscere ad Episcopum *privative* spectat, seu ad Episcopalem dignitatem [1], ita ut eas cognoscere nequeant Archidiaconi, Decani aliique Episcopo inferiores iuxta Tridentini decretum, quo praecipitur, ut *causae matrimoniales Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquatur* [2]. – Et aliqui olim DD., quarundam S. C. Concilii resolutionum auctoritate freti, docere quidem potuerunt, tridentinum eiusmodi decretum non obstare, quominus alii Episcopo inferiores ecclesiastici iudices matrimoniales causas cognoscere valerent, ubi essent in immemoriali consuetudine seu possessione, quae tribus conformibus sententiis, vel etiam per unam, quae transierit in rem iudicatam, quam tribus aequivalere censuit sacra Congregatio Concilii [3], probata fuerit [4]. – Ita etiam docere quiverunt, idem Tridentini de-

[1] Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 2. quaest. 42. n. 6.* citatus a Leurenio *lib. 2. tit. 2. de foro competente quaest. 107.*

[2] Trident. *sess. 24. cap. 20. de reform.*

[3] S. C. Concilii *12 febr. 1598* apud Gallemart. *ad cit. Tridentini decretum.*

[4] Iuxta eiusdem S. C. declarationem *22 ianuar. 1598* apud eundem Gallemart *loc. cit.*, sic decernentis: « Censuit S. C. Concilii, « decreto eiusdem Concilii *cap. 20. sess. 24.* non esse sublatam im« memorialem consuetudinem, secundum quam inferiores Episcopo co« gnoscunt causas matrimoniales et criminales; idque si huiusmodi « immemorialem consuetudinem tribus sententiis conformibus proba« rint, non esse impediendos eam exercere ». – Apud Leurenium, *tract. de Vicariis Episcoporum etc. quaest. 646. de iurisdict. et potest. Archid.* citato Pignatelli *tom. 4. consult. 35.* et *tom. 10. consult. 67. n. 22.*

cretum haud illos comprehendere Ordinarios, qui nullius dioecesis sunt; nec Decanum et Capitulum ab Ordinarii iurisdictione exemptos; nec eos, quibus ex privilegio apostolico causarum et controversiarum cognitio competat in aliquos, personasque subiectas ratione contractus; nisi tamen hi omnes essent tantum exempti [1]. – At post latam a Benedicto XIV Constitutionem *Dei miseratione* et consequentes S. C. Concilii resolutiones, haec quae a praedictis sacrorum canonum peritis traduntur quo ad matrimonialium iudices causarum, sustineri vel retineri in praesenti haud posse reor. Equidem in citata S. C. Concilii *Instructione* die 22 augusti 1840 data, luculenter dicitur: « Praeterea cum a sacro Concilio Tridentino *(sess. 24, cap. 20 de ref.* § *ad haec)* ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. Constit. *Dei miseratione* § *4)* causarum matrimonalium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, *non obstante quovis privilegio ac praescriptione,* fuerit sublata, ac Episcoporum *tantum* examini et iurisdictioni reservata, *etiam prae Abbatibus vere nullius,* licet cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta s. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur » [2].

2. Exploratum at est, quod Episcopus causarum matrimonialium cognitionem possit Vicario suo generali, vel alteri idoneo etiam *generaliter* delegare [3]. Cum enim potestas Episcopis ex iure competens matrimoniales cognoscendi causas sit *ordinaria* potestas, quia dignitati Episcopali tribuitur, non vero personae eligitur industria, sequitur eam potestatem posse generaliter delegari more cuiuslibet ordinariae potestatis [4].

[1] Ita fere ex Gallemart et Pignatellio Leurenius *loc. cit. de Vicaritis.*

[2] Habes hanc *Instructionem* infra in *Appendice* 2.

[3] Pirhing *ad tit. 28. de offic. Vicarii lib. 1. n. 47.* citans Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 40. n. 17.* in fine.

[4] Sanchez *lib. 3. disp. 7. n. 20;* et cit. *lib. 2. disp. 40. n. 17.* in fine.

3. Imo probabilior sententia tenet, Vicarium Episcopi vi officii sui seu Vicariatus generaliter sibi commissi, causas matrimoniales cognoscere posse ac diiudicare [1]. - Verum hac in re spectanda est cuiusque consuetudo dioecesis, cum in pluribus locis proprii iudices causarum matrimonialium ab Episcopis constitui soleant [2].

ARTICULUS I.

De iudice competente Ecclesiastico in causis matrimonialibus in Ecclesia Occidentali.

1. Non autem pro *Actoris* lubitu apud quodcumque episcopale tribunal deferri possunt matrimoniales causae, sed ad illud quod est *competens*. Porro generatim dicitur competens tribunal, ubi Iudicis, qui ei praeest, auctoritati et iurisdictioni subest *res* de qua disceptatur et *Reus* contra quem agitur. Hinc veluti axiomata iuris habentur haec: *Actor sequitur forum Rei; - Reus coram suo Iudice est conveniendus; - Iudici non suo non paretur impune* [3].

2. Compertum autem omnibus est, potissimum ratione habitationis permanentis seu *domicilii* aliquem fieri absolute subditum iudicis seu magistratus illius loci, et consequenter sortiri forum [4]. Hinc *domicilii* forus proprie dicitur verus ac naturalis [5]; ita ut alia tantum ex causa subditi, uti ratione rei sitae, contractus, delicti, dicantur subditi minus proprie et nonnisi lato sensu, dum contra forus domicilii est ordinarius et universalior ceteris, concurrens cum quolibet alio foro [6].

[1] Sanchez *lib. 3. disp. 29. n. 18.* ex *cap. 1. de frigidis et malef.* et ex *cap. fin. de cognat. spirit.*

[2] Ita monet post Pirhing Leurenius *cit. tract. de Vicariis Episcoporum etc. quaest. 160. n. 3.*

[3] Ex pluribus locis iuris civilis et canonici uti ex *cap. 5. et 6. de foro compet.*

[4] Glos. *in Clem. unic. de foro compet.* v. *subditos.*

[5] Cap. *fin. de foro compet.*

[6] Glossa, Abbas, Felinius, Fagnanus, Pirhing aliique citati a Leurenio *lib. 2. tit. 2. quaest. 71.*

3. Ut igitur matrimoniales causae in competente foro proponantur, attendendum est ad *coniugum domicilium.* Cum autem uxor sortiatur viri sui domicilium et forum [1], hinc coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Quod si coniugale vitae consortium per separationem a toro et mensa sublatum sit, hoc in casu iudex competens est Episcopus ille, in cuius dioecesi domicilium habet pars contra quam proceditur. Si vero sublatum sit per malitiosam viri vel uxoris desertionem, iudex competens est Episcopus, in cuius dioecesi pars deserta domicilium habet [2]. Ubicumque enim existat transfuga coniux, manet subditus iudicis dioecesis domicilii hoc ipso quod domicilium per desertionem non mutet.

4. Peracta autem citatione, mutatio, quae quoad coniugum domicilium posthac interveniret, iudicis competentiam non mutat [3]. Qui enim a iudice competente legitime citatus adeoque in causa praeventus fuit, etiamsi postea per domicilii aut status mutationem forum mutaverit, tenetur nihilominus coram priore iudice respondere et causam prosequi [4], ut constat ex decretali Gregorii IX [5]. Nam cum huic Pontifici propositum fuisset quod subditus cuiusdam (e. gr. Episcopi Augustani) ad petitionem adversarii sui, ab eodem legitime citatus super causa quadam, iudicium coram eodem Episcopo declinare velit, eo quod postea (scilicet post citationem) alterius iurisdictioni subiectus fuerit: respondit Papa, quod in illa causa ius revocandi sive declinandi forum non habeat, quippe a priore iudice iam praeventus. – Idem habetur in iure romano [6],

[1] Pirhing *lib. 2. tit. 2. de foro compet. n. 11.* cum Abb. in *cap. penult. eiusdem tit. n. 7.*

[2] Ita in *Instructione* pro tribunalibus eccles. austricae ditionis § *96.* apud Papp–Szilàgyi *Enchiridion* etc. *part. 2.* § *185.*

[3] Papp–Szilàgyi ex *cit. Instructione.*

[4] Pirhing *lib. 2. tit. 2. de foro competente, n. 52.*

[5] Cap. *proposuisti 19, cit. tit. 2.*

[6] *L. si quis ff. de iudic.* ex qua haec decretalis desumpta est; *L. quaedam ff. de iurisd.*

tus, tum, si velis, ratione individuitatis contractus, competentiae aequalitas adest. – Haec tamen omnia, quae Orien talium Ecclesiarum ius tangunt, iudicio eorum qui magis sapiunt subiecta sint; – et praesertim an aliud legitima locorum consuetudo quoad fori competentiam praescripserit prae oculis habeatur.

CAPUT II.

De accusatione ac testificatione matrimonii, seu de personis iure habilibus ad agendum ac deponendum contra matrimonium vel pro eo [1].

1. Non de matrimonii accusatione *contrahendi* hic agitur: denuntiare enim impedimenta potissimum dirimentia, si quae sint inter sponsos, omnes qui ea norunt possunt ac debent, neque eos ab eiusmodi denunciatione impedimentorum et impugnatione matrimonii repellere fas est, nisi de malitiosa accusatione suspicionem ingerant.

2. Agitur ergo de iam *contracti* matrimonii accusatione, sive quo ad tori separationem, sive quo ad vinculi dissolutionem. Ad huiusmodi autem peragendas accusationes non omnes promiscue admittuntur. Itaque

3. *Primo* si causa agenda sit ad obtinendam ab iudice *separationem* tori et habitationis ratione patrati adulterii, vel ob nimiam saevitiam, aliamve canonicam causam, ad accusandum admittitur solus innocens coniux, quippe cuius tantum interest, et cuius favore principaliter inductum est ius illud agendi ad se a nocente coniuge separandum [2]. – Si vero non ad divortium obtinendum, sed potius ad canonicam legalemque *poenam* petendam de adulterio,

[1] Vide *lib. 4. tit. 18.* decretalium, qui titulus inscribitur: *Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.* – Cfr. etiam canonistas ad decretalium *lib. 5. tit. 1: De accusationibus, inquisitionibus, denunciationibus.*

[2] Arg. cap. *tuae fraternitati 5, de procuratoribus;* cap. *maritis 4, de adulteriis et stupro.*

quod publicum sit, fieri vellet accusatio, tunc quilibet mas viginti annis maior apud iudicem accusare potest adulteros [1].

4. *Secundo.* Quum actio instituenda est ad coniugale *vinculum dissolvendum* ob dirimens impedimentum, inspiciendum est de quonam impedimento agatur, ut decerni possit quinam matrimonium accusare valeant.

Itaque *a*) Si agatur de impedimento *impotentiae*, solis coniugibus competit actio accusandi matrimonium, quia dum eorum tantum interest agendi ut matrimonii vinculum dissolvatur, in ipsorum etiam facultate est simul cohabitare ut frater et soror soluto coniugio, ad iuris tramites [2].

b) Si de impedimento gravis *metus* illati, vel *erroris* circa personam aut conditionem servilem agatur, solis coniugibus competit ius accusandi de nullitate matrimonium, quia haec impedimenta eiusmodi sunt quae a contrahentibus auferri possunt. Iuri enim suo renunciare, novoque consensu matrimonium ratificare valent; quin imo id perfecisse coniuges praesumuntur si praecedentis impedimenti conscii, nihilominus sponte simul cohabitent, eoque vel magis si se cognoscant, quo altero casu, nedum extranei, sed nec ipsi coniuges accusare amplius matrimonium possent, quia, ut animadvertit Gonzalez ex allegatis iuribus, coniux matrimonium accusans, id facere videtur, non pro rei veritate, sed taedio, ira, vel odio, aut desiderio novarum nuptiarum [3].

c) Si impedimentum est *consanguineitatis, affinitatis, publicae honestatis,* primo ad accusandum matrimonium admittuntur parentes, dein fratres et sorores aliique consanguinei, et his deficientibus admittuntur extranei. « Ideo

[1] Ex leg. *palam* § *10. ff. de ritu nupt.*; – § *item lex iulia* Instit. *de publ. iudic.*

[2] Cap. *consultationi 4*, cap. *laudabilem 5, de frigidis et maleficiatis* etc. iuncto cap. *requisivisti 2. caus. 33. q. 1.*

[3] Vide Gonzalez Comment. in *lib. 4. tit. 18. n. 3*; – Pirhing in *eund. tit. n. 1*; – Reiffenstuel *h. t. nn. 4–5.*

« enim, ait Pontifex, maxime parentes, et si defuerint pa-
« rentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque
« suam genealogiam cum testibus et chartis, tum etiam ex
« recitatione maiorum scire laborant » [1].

d) Demum si impedimentum est aliud, e. g. *defectus parochi vel testium, professio religiosa,* praeter ipsos coniuges et consanguineos, admittuntur ad accusandum matrimonium etiam extranei veraces et non suspectae fidei, maxime si inter se interesse habeant [2].

5. Hi autem omnes, qui accusare matrimonium possunt, admittuntur etiam ad testimonium ferendum contra illud vel pro illo, dummodo tamen nulla iuris exceptione a testificando repellantur [3]. – Unde quamvis pater in aliis causis filii sive civilibus sive criminalibus testis esse nequeat, in causis tamen matrimonialibus filii et consanguinei et pater et fratres aliique sanguine iuncti testes esse possunt [4]. Iudicis autem arbitrio relinquendum, ut ex circumstantiis dignoscat quandonam parentum testimonium suspectum censendum sit [5].

6. Ab accusatione matrimonii, et a testificando contra illud vel pro eo, in specie repelluntur

a) Qui turpis quaestus causa accusant, scilicet qui pecunia ad accusandum inducuntur, eamque exigunt ut ab accusatione desistant, quia falso et malitiose accusare praesumuntur iuxta decretalem *Significante* Innocenti III [6]. Idem dicendum de testificantibus, quippe qui etiam in causis matrimonialibus debent esse omni exceptione maiores [7].

[1] Cap. *videtur 3, qui matrimonium accusare possunt* etc. – Vide cit. DD. et praesertim Reiffenstuel *l. c. n. 6.*

[2] Gonzalez *l. c.* Reiffenstuel *ibid. n. 7.* cum communi ex cap. *perlatum 1, de iis quae vi metusve causa fiunt.*

[3] Reiffenstuel ibid. *n. 14.* cum communi ex cap. *licet 47, de testibus et attestat.*

[4] Idem cum aliis ex cap. *videtur 3, qui matrim. accusare* etc.

[5] Abbas *h. t. n. 6.*

[6] Cap. *significante 5, qui matrim. accusare possunt, vel* etc.

[7] Vide Pirhing *lib. 4. tit. 18. n. 15. in fine.*

b) Repelluntur qui dum proclamationes fierent, scientes impedimentum dirimens, illud non manifestarunt. Ex hoc enim silentio, seu ex eo quod manifestationem impedimenti distulerint ad tempus matrimonii iam contracti, coniugium calumniose accusare praesumuntur; nisi tamen vel ob ignorantiam, vel ob aliam iustam probatamque causam, iuxta distinctionem et casus, quos memorat Innocentius III in alia decretali quae incipit *Cum in tua* [1], quousque Pirhing [2] aliique enumerant atque expendunt.

c) Repellitur mulier, quae gravi metu quidem ab initio invita contraxit, sed postea carnalem copulam sponte admisit, ut rescripsit Clemens III [3], et ut supra diximus.

d) Regulariter non admittuntur, sine aliis adminiculis, qui personaliter absentes per literas matrimonium accusant; et ratio est, ut facilius calumniandi excludatur occasio, quamvis eiusmodi accusatio ac testificatio aliquam pariat praesumptionem [4].

e) Quamvis admittatur *accusator* de auditu, licet auctor, a quo impedimentum adesse audivit, admitti nequeat: repellitur tamen *testis* de auditu, si is, a quo audivit et in cuius testimonio se fundat, tanquam inhabilis repellatur ad eiusmodi ferendum testimonium. Ratio disparitatis est, quia accusator non in nuda accusatione suam fundat intentionem, sed in aliis probationibus [5].

[1] Cap. *cum in tua dioecesi 6. et ult., qui matrim. accusare possunt* etc.

[2] Pirhing *lib. 4. tit. 18. nn. 6–7–8.*

[3] Cap. *insuper 4, eod. tit.* Sed vide Pirhing *ibid. nn. 14–15.*

[4] Cap. *a nobis 2, eod. tit.* – Vide Pirhing *ibid. n. 11.*

[5] Ita Pirhing *loc. cit. n. 8. not. 6.* ex cap. *licet 47. de testib. et attestat.*

CAPUT III.

De processu iudiciali.

Duo heic nobis videnda sunt seu:

1° *De modo illum conficiendi;*
2° *De probationibus per illum rite exquirendis.*

ARTICULUS I.

De modo processum matrimonialem conficiendi.

1. Cum in matrimonialibus causis nedum de alterutrius coniugis contendentis iure, sed et praecipue de sacramentalis vinculi agatur valore, atque adeo de ipsorum coniugum collusione cavenda, hinc iudicialis acta processus haud efformanda erunt ad aliorum normam iudiciorum praesertim civilium, sed iuxta normam ab ecclesiastico iure traditam. – Princeps autem praescripta norma ad acta eiusmodi conficienda traditur in notissima Benedicti XIV Constitutione, quae incipit *Dei miseratione,* quaeque potissimum iudicem deputandum, officium defensoris matrimonii explendum, sententiarum denique valorem et effectum edicit et sancit [1].

2. Ad haec autem enucleanda, sacra Concilii Congregatio *Instructionem* edidit die 22 augusti an. 1840, qua accurata traditur methodus pro canonica actorum confectione iudicialium seu processus in causis matrimonialibus [2]. Per eam namque tum ecclesiasticus *iudex,* tum *cancellarius,* tum sacramentalis vinculi ex officio *defensor* praecipua prae manibus habent, quae ab ipsis servari debent sive ut eorum quisque proprio fungatur munere, sive ne acta ipsa iudicialia nullitatis vitio tabescant, deficiente praesertim iugalis vinculi defensore in iis, quae ad actorum sustinendum valorem in citata Constitutione praescribuntur [3].

[1] Vide hanc *Constit.* infra in *Appendice 1a.*
[2] Vide hanc *Instructionem* infra in *Appendice 2a.*
[3] Cfr. cit. *Const.* §§ *5–6–7.*

Quod si ob locorum, temporum, personarum adiuncta fieri nequeat, ut accurate omnia et singula serventur quae in citata Benedictina praescribuntur Constitutione, obtineri poterit Papae dispensatio ab accurata eorundem observantia [1], in *substantialibus* tantum servanda ad veritatem eruendam, et iis praesertim quae ad defensoris pertinent munus.

3. Quaedam autem pro praxi ad processum conficiendum hic innuisse iuvabit.

Si matrimonium itaque initum fuerit cum aliquo ex impedimentis sive divino, naturali vel positivo, sive ecclesiastico iure dirimentibus, ecclesiastica potestas, seu Ordinarius competens, ut supra dictum est [2], de sacri huius foederis iudicaturus valore, *accusationem* contra illud excipiet a personis quae iure communi ad matrimonium in specie accusandum declarantur habiles [3]. In quibusdam enim impedimentis, ut paulo ante dictum est, ipsi tantum coniuges ad accusandum admittuntur; in aliis eorumdem parentes, vel etiam quilibet de populo; ac denique ex officio etiam *inquisitio* fieri potest, et aliquando debet. – Scripto autem fieri debet accusatio. Quod si *oretenus* facta fuerit coram legitimo Ordinario, *iudicialis* deinde effici debet ad iuris tramites. – Propositam accusationem seu denunciationem Ordinarius accipiens, satagere debet, ut una cum ea agens contra matrimonium seu illud accusans, omnia etiam in casu concurrentia necessaria adiuncta et

[1] Suprema S. O. Congregatio passim dispensat ab accurata cit. Const. observantia, *servata tamen in substantialibus*, praesertim pro iudiciali conficiendo processu apud Orientales. Id autem probat quod etiam Orientales ad illius Constitutionis observantiam tenentur, ut constat etiam ex declarationibus S. C. christiano nomini propagando praepositae. – Ceterum compertum omnibus est, Pontificias Constitutiones, quae ad fidem ac mores attinent, quidquid de ceteris, ad Orientales etiam Ecclesias extendi. Inter has vero accensetur citata Bened. XIV Const., ut patet.

[2] Caput praec. *1. de foro competente.*

[3] Cfr. praeced. *caput 2.*

indicia deponat, ac testes de re instructos nominet, et alia, si quae sciat, probationum genera innuat.

4. Accusatione sic accepta, nisi Ordinarius ipse per se iudicialia velit acta conficere, poterit vel suum Vicarium generalem, vel alium probum expertumque de clero virum, scripto tamen, delegare, qui *iudicis* seu *moderatoris actorum* munere in iudiciali conficiendo processu vigilanter fideliterque fungatur. – Alterum quoque virum item scripto delegabit, qui *Cancellarii* munera expleat, qui scilicet interrogationes examinandis personis proponendas, earumque personarum responsiones ad acta referat. Eiusdem erit officium notare diem, mensem et annum cuiuslibet examinis; itidem examinandae personae eiusque patris nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum et patriam; testari demum quod eadem persona examini subiicienda iuramentum de veritate dicenda praestiterit. – Alium denique idoneum scripto pariter designabit virum ex ecclesiastico coetu, *si fieri poterit*, eligendum, iuris scientia iusta et vitae probitate praeditum [1], qui *matrimonii Defensor* nuncupabitur, firma facultate alium eidem substituendi aeque idoneum. Defensor autem munus eiusmodi suscipiens, iuramentum praestabit ad tactum ss. Dei Evangeliorum fideliter officium suum obeundi, idemque iuramentum praestabit quotiescumque in iudicio adesse debebit: debebit autem omnibus conficiendis actis continenter assistere, ut accusati matrimonii validitatem et iura iustis vindiciis ac strenue tum voce tum scripto tueatur, in quo potissimum eiusdem defensoris versatur officium [2].

5. Hisce ita constitutis, personae inductae, quaecumque illae sint, examini seorsum erunt subiiciendae, praestito iuramento ad tactum pariter ss. Dei Evangeliorum veritatem dicendi; et si actorum moderator opportunum duxerit ratione qualitatis impedimenti vel etiam adiunctorum, iurabunt etiam de secreto usque ad processus publicationem servando. Et prae ceteris ille prius audiendus erit qui ma-

[1] Ex cit. *Const. Dei miseratione* § 5. relata in *Appendice 1a*.

[2] Vide cit. *Const. n. 6. et seqq.*

trimonium accusaverit. Hic autem coram iudice et matrimonii defensore, accusationis titulum perspicue exponat, eiusdemque tituli existentiae varia probationum genera, circumstantias et indicia, quae sive de propria scientia didicerit sive ex aliena relatione, distincte referat; et si probationem ex testium depositionibus eruendam duxerit, eiusmodi nominet testes de re instructos, qui dein examini subiiciantur super iis, de quibus instructi dicuntur. Sive autem unus ex coniugibus sit qui matrimonium accuset, sive nemo eorum, ambo semper citari et audiri in iudicio debent, ut unusquisque iura sua tueri valeat, ac rationes, deductiones vel etiam facta contra ipsum allata reiicere aut explicare queat. – Expleto autem iudiciali sive accusatoris sive coniugis sive testis examine, in fine proprii examinis quilibet suae depositioni suscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru†cis; dein subscribet iudex, postea defensor validitatis matrimonii, demum Cancellarius, qui etiam de actu rogabit [1].

ARTICULUS II.

De probationibus per matrimonialem processum rite exquirendis.

6. Quamvis autem ex Instructionibus hic in appendice relatis non pauca suppetant ad veritatem ex processu eruendam, plura tamen, quae in iisdem Instructionibus vix innuuntur, adhuc enucleanda supersunt, tum ut clarius varia probationum genera ad accusationis veritatem agnoscendam exponantur, tum ut accurate et caute, ut par est, gravissimae eiusmodi causae tractentur atque agantur ne ius tangatur divinum: ne scilicet quod Deus coniunxit, homo separet; vel quod Deus separari praecipit, homo turpiter coniungat.

Itaque praecipua in causis matrimonialibus probationum genera sunt:

1° *Confessio* coniugum;

2° *Instrumentorum* fides;

[1] Cfr. cit. Instruct. S. C. C. diei *22 augusti 1840* in *Appendice 2ª.* huius operis.

3° *Testium* depositiones;
4° *Peritorum* inspectio;
5° *Iurisiurandi* religio.

7. Et *primo* quidem *depositio* seu *confessio* coniugum praebere potest unum ex probationum generibus in causis matrimonialibus, quaeque si fiat in actis coram iudice competente, *iudicialis;* si extra acta coram privatis personis, *extraiudicialis* vocatur. Itaque coniuges de facti proprii veritate rogandi sunt; at si alteruter coniugum fuerit matrimonii accusator, moderator processus sedulo invigilet, utrum ex eorum responsionibus vel aliis coniecturis aliqua appareat collusio. Quo in casu singula argumenta quae contra illorum depositiones ex actis emergunt, singillatim illis obiiciantur, ut rerum ac factorum veritas eluceat. - Ceterum coniugum confessio, seu factorum et rerum enarratio post initum matrimonium contra eiusdem valorem elicita, non statim probandi vim habet, imo ipsa sola et per se omni vi caret. Expendenda enim sedulo est et conferenda nedum cum sanae critices regulis, sed etiam cum ceteris recensendis probationum generibus, ut clare pateat an pro veritate, an vero in proprium commodum, aut ex collusione in sacramentalis vinculi iniuriam, rerum circumstantias exponant, factaque enarrent.

8. *Alterum* probationum genus in matrimonialibus causis sunt *Instrumenta,* seu scripta ad rerum fidem faciendam adhibita. *Publica* sunt vel *privata,* prout a publica persona, seu publica auctoritate solemni forma exarantur aut servantur; - aut a privatis personis nulla publica auctoritate conscribuntur. - Sic uti publica instrumenta habentur in causis matrimonialibus parochiales libri. Inter privata instrumenta accensentur epistolae, syngraphae aliaque huiusmodi. Porro si probatio per authentica fiat litteraria instrumenta, e. gr. in impedimento consanguinitatis, praevalet probationi per testes factae; unde illud iuris principium: *Contra authenticum litterale instrumentum, humanum non admittitur testimonium,* ob praesumptionem iuris et de iure, quae evidentibus tantum argumentis potest

everti [1]. Sed de eiusmodi *codicibus*, praesertim parochialibus, plura infra habentur [2].

9. *Tertium* probationum genus suppeditant *testium depositiones*. – Testes in genere *idonei* esse debent, seu *legitimi* et *integri* ad testimonia ferenda, nempe eiusmodi qui, eo quo adhibentur tempore, nulla queant *legitima* a testificando *exceptione* repelli, ac ideo qui et ferendi testimonium potestatem habeant, et omni vacent suspicione: uno verbo qui *possint* et *velint* veritatem dicere. – Testes autem *omni exceptione maiores* dicuntur illi de quorum assertione quaevis oriri nequeat dubitatio, quippe quod intemeratae probitatis sint, et a periurio abhorreant. Hinc plus aliquid significant quam testes simpliciter *idonei*, seu qui legitima non repellantur exceptione [3].

10. Regulariter ad plenam fidem faciendam requiruntur plures quam unus testis, ita ut testis unius quamvis idonei testimonium plenam non pariat fidem, atque ideo satis non sit ad cuiusvis decisionem causae. Hinc tritum illud sermone proverbium: *Testimonium unius, testimonium nullius*. – Dixi *regulariter*, quaedam quippe limitationes fieri debent, quae a DD. passim recensentur [4]; ita ut aliquando unus testis omni exceptione maior semiplenam praebeat probationem et praesumptionem, quae satis sit, ut specialiter inquiratur; imo in civilibus quandoque etiam plenam affert probationem [5]. – Itaque prout in ceteris, ita et in causis matrimonialibus, ad quaestionem accusati matrimonii sententiae prolatione dirimendam, *ordinarie* seu *regulariter* requiruntur et sufficiunt duo testes omni exceptione

[1] Cap. *cum Ioannes 10, de fide instrumentorum*, ubi conditionata venditio probatur per testes contra instrumentum.

[2] In Disceptat. 2ª. *de matrimonii nullitate ex impedimento consanguinitatis*.

Vide etiam Auctores in *Decretalium lib. 2. tit. 22. fide instrumentorum*.

[3] Cfr. Leurenium *lib. 2. tit. 20. quaest. 560.*

[4] Vide Leurenium *l. c. quaest. 599. nn. 2-3.*

[5] Leuren. *ibid. quaest. 600.*

maiores. Idque est *iuris gentium:* non eo sensu quod ius gentium praecipiat, ut ad causam quamlibet terminandam duo sufficiant testes, sed quia non plures requirit, iuxta Christi oraculum: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* [1].

11. *De vi probandi per testes diversarum classium.*

At non omnes testes, quamquam idonei, eamdem probandi vim habent. Alii siquidem dicuntur *testes de scientia,* qui nempe deponunt, se scire rem gestam esse, eo quod proprio sensu, e. g. visu vel auditu deprehenderint ea quae testificantur [2]; - alii vocantur *testes de credulitate,* et sunt qui iurati deponunt, se credere, rem ita se habere, seu qui aliquid deponunt affirmantes, se id ex coniecturis eruere; - alii sunt *testes de auditu alieno,* qui nempe testantur, se id a personis fide dignis audivisse; - alii sunt *testes de fama,* qui affirmant, rem per hominum ora esse vulgatam.

Iam vero probant *testes de scientia; - testes* autem *de fama,* aut *de alieno auditu* vix semiplenam exhibent probationem; - testes vero *de credulitate* haud probant, nisi forte rationem afferant facto aequipollentem, aut nisi de iis agatur, quae ab artis peritia dependent [3].

Ad vim probandi per testes plenius dignoscendam, meminisse praeterea opus est, quod alii dicuntur *contestes,* alii *testes singulares.* - *Contestes* sunt duo vel plures, qui in eadem omnino consentiunt rerum factorumque enunciatione aut narratione; - qui vero in eodem quidem iudicio, at super *diversis* quo ad substantiam vel quo ad circumstantias testificantur, *singulares* dicuntur. Porro dicta

[1] Matth. *cap. 18. v. 16.*

[2] Pirhing *lib. 2. tit. 20. n. 131.*

[3] Cfr. Leurenium *l. c. 3. qq. 612. 613. 614.* - Is auctor quaestione *612.* demonstrat quare testes *de crudelitate* ac *de auditu* ordinarie seu regulariter nec probent nec admittantur *(nn. 1-2).* - At plures in medium profert eiusmodi regulae exceptiones *(nn. 3-4),* ut frequenter accidit in causis matrimonialibus de testibus *septimae manus.* - Quaest. autem *613* et *614* plura disserit *de fama,* et quaenam reruirantur, ut *testes de fama* deponentes aliquid probent.

diversitas circa omnia praedicamenta, ut aiunt, contingere potest, scilicet in praedicamento substantiae, quantitatis, qualitatis, loci, temporis, situs. Si testes autem singulares dissentiant quoad facti seu circumstantiarum substantiam, ita ut eorum testimonia invicem repugnent, et conciliari (quod ab iudice curandum est [1]) omnino nequeant, vocantur testes singulares *singularitate obstativa*; – si varia deponant, quorum unum alterum nec includit nec excludit, dicuntur singulares *singularitate diversificativa*; – si diversa proferant, quae tamen ad idem probandum conducant, appellantur singulares *singularitate adminiculativa* seu cumulativa [2].

Porro *contestes*, qui sint omni exceptione maiores, quique in obiecto principali de scientia seu experientia propria et immediata testentur, plene probant, ita ut proferri queat sententia; – testes *singulares adminiculative* super actu speciali non successivo, vel constituente unum totum integrale, non faciunt plenam fidem, magnum tamen adminiculum et praesumptionem si quae narrantur pluribus circumstantiis notata sint atque distincta; – testes *singulares diversificative* probant singuli tanquam unus; *singulares* autem *obstative* non modo haud probant, sed alter alterius testimonium elidit [3].

Denique testis potest esse *vacillans*; si nempe sub dubio deponat et errandi formidine; – *varius* si firmus non perstet in suis dictis, sed factum diverso modo narret; – *sibimet contrarius*, qui deponit sibi invicem pugnantia [4].

Vacillanti testi nulla fides est adhibenda si vere dubitando deponat. Sin autem deponat vacillans, sed tantummodo titubando, metuendo, expallescendo, sudando, imminuitur quidem, non tamen fides ei omnino abrogatur; magis vero vel minus imminuitur pro iudicis prudenti criterio

[1] Vide Pirhing *lib. 2. tit. 20. n. 152.* et *seqq.*, a quo Leuren. *ibid. quaest. 606.*

[2] Leurenius *l. c. quaest. 602.*

[3] Leurenius *l. c. quaest. 605.*

[4] Idem *ibid. quaest. 604.*

ponderantis causas aliaque momenta formidinis [1]. – *Vario* testi credendum plerumque in iis, quae primo deposuit, quamquam prior depositio non parum a secunda infirmetur [2]. – *Sibimet contrarii testis* seu pugnantia in sua depositione dicentis testimonium nullius est roboris, nisi forte se illico ipse corrigat, quia tunc eius correctioni est adhaerendum [3].

12. Dum autem plures testes pro et contra deponunt, seu testes sunt *inter se contrarii*, prae oculis habendae sunt regulae ab utroque iure civili et canonico traditae: potissimum vero prae oculis habeatur, praeter ceteras, Innocentii III decretalis [4], qua edicitur: « Cum igitur hinc plures, « inde vero sint testes numero pauciores producti *(ab actore « et reo)*, quos non solum diversa sed adversa penitus in « quibusdam constat testimonia reddidisse; quia etiam ad « multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium « qualitatem et ad ipsorum deposita, quibus potius lux veri- « tatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit iudi- « cem informare: mandamus, quatenus si testes utrinque « producti eiusdem honestatis et aestimationis extiterint, « cum constet, testes monachorum esse testibus archidia- « coni numero pauciores, pro archidiacono sententiam pro- « feratis. – Si vero testes ex parte monachorum producti, « tantae praeeminentiae fuerint, quod eorum auctoritas alio- « rum sit merito multitudini praeferenda, ab impetitione « archidiaconi absolvatis eosdem ».

Itaque tum ex hac, cum ex aliis decretalibus et legibus citatis a DD. colligitur

Primo: Si duo testes eandem fidem merentes, ab una eademque parte producti, contraria omnino deponant, regulariter nihil probant, tanquam testes singulares *singularitate obstativa,* quorum alter alterius dictum fidemque enervat et infringit.

[1] Leurenius *quaest. 611.*

[2] Idem *quaest. 607.*

[3] Sed vide varios casus apud Leurenium *ibid. qq. 605. 606. 608.* vel etiam Reiffenstuel, *I. C. U. lib. 2. tit. 20. de testibus et attestat.* §§ *8. 9. 10. 11. 12.*

[4] Cap. *in nostra 32, de testibus et attestat.*

Secundo: Si multi sint testes ab eadem parte producti, quorum plures inter se concordent, pauciores vero ab iis discordent, ceteris paribus, valet testimonium plurium concordantium.

Tertio: Si testes sint ab utraque parte actoris et rei producti, et utrinque par sit eorum numerus aeque fide dignorum, et manifesta contrarietas inter eorum attestationes appareat, standum est attestationibus, quae favent reo, nisi forte actor propugnet causam favorabilem, ut pro matrimonii valore in causis matrimonialibus, pro dote, pro Ecclesia etc.

Quarto: Si inaequalis sit numerus testium, et omnes eiusdem sint honestatis et existimationis, ita ut eandem mereantur fidem, numero plures praeferuntur.

Quinto: In concurrentia plurium testium si alii maioris fidei sint prae aliis, illi, etsi numero pauciores, praeferuntur. – Siquidem iudex non tam ad testium multitudinem, quam et potissimum ad eorum qualitates, sedulo attendere debet. Sic plus testibus creditur in dignitate constitutis, quam plebeis; plus nobilibus, quam vilioris conditionis; plus divitibus, quam pauperibus, nisi hi morum gravitate et probitate illis praevaleant; plus viris, quam mulieribus; plus clericis, quam laicis; plus senibus, quam iuvenibus; plus peritis, quam imperitis.

Sexto denique; Testibus ab una parte productis magis creditur, quam productis ab altera deponentibus contraria in multis casibus: e. gr. – dum alterius partis testes magis in causa informati noscuntur, quam testes alterius; – dum hi in specie deponunt, alii in genere tantum; – dum hi verisimiliora, idest iuri conformia et negotio aptiora, testificantur, alii non item: – dum hi suorum dictorum causam reddunt, aliis vero sine causa scientiae deponentibus; – item affirmantibus plus creditur quam negantibus licet pluribus, nisi tamen deponant de negativa propositione loco ac tempore coarctata, quae cadit sub hominis sensum [1].

[1] Cfr. in his Pirhing *lib. 2. tit. 20.* a *n. 145* ad *n. 150*, qui plura ex Farinacio depromit, quemque allegat.

– Ceterum cum de impedimento consanguineitatis agitur, si plures numero testes propinqui et idonei consanguineitatem adesse negent, atque id in iudicio testentur, ipsis magis credendum est, quam aliis consanguineitatem inter contrahentes matrimonium adesse affirmantibus, at numero paucioribus et minus idoneis [1].

Ex his autem omnibus illud iuris principium elucet: *Testes non sunt numerandi, sed ponderandi.*

13. *De testium citatione, productione, iuramento et examine.*

Testes qui ad probandum adhibentur, sunt in iudicium producendi, datis apud acta eorum nominibus, vel allegatis eorum extraiudicialibus testimoniis. Ordinarie tres tantum testium productiones fieri et admitti possunt: quarta ex iusta causa et cum legali solemnitate conceditur [2]. Item regulariter citari et evocari debent testes; idque hodiernis moribus officio iudicis fit.

Si testes producti alienae sint iurisdictionis, is qui iudicio praeest, debet ordinarium iudicem testium competentem per literas requirere, ut eos ad se seu ad locum mittat iudicii. Eos enim citare nequit quippe non subditos. – Quod ei gravi aliqua ex causa vel impedimento testes accedere nequeant ad locum iudicii, hoc in casu a moderatore actorum in causis matrimonialibus accurata fiat omnium factorum ac circumstantiarum expositio, de quibus confirmatio requiritur, concinnatisque interrogationibus opportunis, ac denique testium expositis nominibus ad Ordinarium mittatur loci in quo personae iuridicae audiendae commorantur, qui suae Curiae praecipere faveat, ut testes examinentur iuxta datas interrogationes. – Ordinarius autem ita in subsidium ad matrimonii iura servanda rogatus, testium examen iuxta praesignatum ordinem suscipiat, cum assistentia defensoris matrimonii, atque susceptas testium iudiciales

[1] Ex cap. *cum in tua 44, de testibus et attestationibus.*

[2] Cap. *in causis 15.* iuncto *cap. ultra 55, de testibus et attestat.* - V. Leurenium *l. c. cap. 4. quaest. 615* et *617.*

depositiones in scriptis sub suo sigillo clausas ad requirentem Ordinarium transmittat [1].

14. *De testium iuramento aliorumque.*

Cum iurati tantum testis depositio in iudicio vim habeat legitimae probationis, hinc testes omnes, quamvis clerici sint aut religiosi, praevio iuramento deponere debent, secus nihil probant, uti iuris utriusque textus ingeminant [2]. – Maiorem enim testimonii certitudinem vel maxime procurare debet iudex, ne per sententiam aut parti aut iugali sacramenti vinculo damnum iniuste inferat. Procuratur autem iuramento ex eo quod testes iuramenti reverentia ac timore ad veritatem incitentur dicendam uti docet decretalis Honorii III [3]. – Unde iuramenti necessitas extenditur ad omnes testes cuiuscumque sint dignitatis et auctoritatis, ita ut sine iuramento nihil probent, etsi sint plures, et quamvis deponant in causis summariis, salvis limitationibus, quae a DD. recensentur [4].

15. Iurare autem debent testes, uti et coniuges et qui matrimonium praeter coniuges accusarunt, se de interrogationum ad eos dirigendarum obiecto, ac *de re tota*, de qua deposituri sunt, veritatem dicturos ut eam coram Deo et conscientia compertam habent, et plene ac fideliter quin aliquid addant, omittant vel immutent, congrua de iurisiurandi sanctitate admonitione praemissa [5]. – Dixi: *de re tota*: iudici enim in iudicio legitime interroganti patefacere debet testis ea etiam, quae sub arctissimo naturali secreto et iureiurando accepit, excepto prorsus sacramentali secreto, in quo nulla humana potestas sciendi ius habet. In ceteris

[1] Farinacius a Leurenio citatus *ibid. quaest. 621.*

[2] Cap. *nuper 51.* cap. *fraternitatis 17.* cap. *de testibus 29.* cap. *tuis 39, de testibus et attestationibus.* - l. *iurisiurandi,* l. *testium,* eod. tit.

[3] Cap. *ex litteris 32, de iureiurando.*

[4] Mascard., Farinac., Pirhing et alii citati a Leurenio *ibid. quaest. 625.*

[5] Cfr. Leurenium *l. c. quaest. 630.*

secundum ius promittitur secretum, ita ut promissio iudici praeiudicium non pariat [1].

Vinculi autem coniugalis defensor *iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi* ad tramites Benedictinae Constitutionis [2].

16. Hinc autem patet testium iuramentum (atque idem dicendum de iureiurando coniugum) necessario legitimae praemittendum esse depositioni faciendae. Constat ex utroque iure [3]. Et ratio est, quia sacramenti religione firmatus testis vel coniux vel quilibet accusator matrimonii, non praesumitur quod falsum dicturus sit. Contra qui post depositionem duntaxat iurare iuberetur, si falsum dixisset, timore infamiae metueret ac verecundaretur contrarium asserere; nisi tamen incontinenti iuramentum sequeretur [4].

17. *De secreto singulorum testium examine.*

Notandum insuper quod testes *secreto* et *seorsim* examinari ac deponere debent [5]. Ratio multiplex, at princeps est, ut testes liberius proferant veritatem, et si secus fecerint facilius possint de falsitate convinci exemplo Danielis pro Susanna [6]; ac viva voce, non scripto in loco iudicii deponere ordinarie debent, ut iudex videre possit et audire quo vultu, qua constantia vel trepidatione testis loquatur [7].

18. *Ratio scientiae testium.*

Cum in omnibus gravibus causis, tum praesertim in matrimonialibus, maxime interest ad veritatem dignoscendam, ut testes rationem suae reddant attestationis, seu *causam*, ut aiunt, *scientiae* proferant. – Unde testis positive interrogatus de sui scientia testimonii, respondere debet assignando dictae scientiae causam ita ut si respondere

[1] Cfr. Leurenium *quaest. 639.*

[2] Benedict. XIV Const. *Dei miseratione* § 7.

[3] Cap. *fraternitatis 17.* cap. *de testibus 29.* hoc tit.; l. *iurisiurandi* Cod. eod. tit. - V. Leuren. *l. c. quaest. 628.*

[4] Leuren. *ibid.*

[5] Cap. *venerabili 52, de testibus et attestat.* et alibi.

[6] *Dan. 13. v. 51.* cit. a Glossa in cit. cap. *venerabili.* – Vide Fagnanum *lib. 2. tit. 20. in hoc cap.* vel Leuren. *ibid. quaest. 633.*

[7] Mascard., Farinac., Pirhing citati a Leuren. *ibid. quaest. 634.*

nolit aut nequeat, eo vel magis si neget, vel falsam aut ineptam alleget, fides et omnino adimatur, nullamque faciat probationem [1]. Assignare autem debet causam diversam a suo dicto, secus nihil probat. Si quis e. g. testatus sit, Titium cum Caia iniisse coniugium, interrogatus, unde id sciat, respondere debet, quia eos audivi mutuum inter se praestare consensum per verba de praesenti. Si vero respondeat: scio quia mihi constat, idem est ac si dicat: scio quia scio, causam suae scientiae a suo dicto diversam non assignat, et nihil probat.

19. *De interrogationibus ad testes.*

Praemittendae sunt interrogationes generales: Quomodo vocaris? cuius aetatis, religionis, status? ubi domiciliatus? Utrum partibus in causa et in quo gradu cognatus sis vel affinis? et alia eiusmodi. – Interrogandi praeterea sunt de ipso *facto controverso*, seu de impedimento, quo matrimonii valor in discrimen vocatur, deque *circumstantiis* concomitantibus; – an bene *noverint* coniuges, aliasque personas, quae forte principalis negotii vel rerum gestarum notitiam perspectam exploratamque habeant; – item interrogandi de *causa scientiae*, quam reddere tenentur iuxta dicta, an proprio *facto, visu,* vel *auditu* rem perceperint: – de ipsorum *credulitate* testium, seu an credant, rem se sic habere uti affirmant, et quare; – de *fama,* de *certitudine,* quam de ea testificantes habent.

Interrogationes autem *speciales* quae et *interrogatoria* dici solent, erui ac formari debent ex visceribus causae, seu ratione habita eorum omnium, quae hucusque ex actis emerserunt sive ab actoris libello, quo matrimonium accusatur, sive ex coniugum confessione seu factorum expositione, sive ex *positionibus* vel *articulis,* qui a partibus fortasse exhibiti fuerint, et communicatis cum defensore matrimonii consiliis, cuius praecipuum erit munus concipiendi interrogatoria, uti et iudicis alia addendi *ex officio* [2].

[1] Cardinalis De Luca *de Iudic. quaest. 32. n. 69,* ita et Ridolph., Marant., Abb., Alex. citati a Leuren. *idib. quaest. 640. n. 1.*
[2] Vide infra Instruct. S. C. Concilii ann. *1840. in Append. 2a.*

Porro *positiones* sunt distincta capita assertive concepta a partibus, seu ab actore vel reo, quae ea continent, super quibus, veritatis eliciendae gratia, pars petit sibi ab altera responderi, ut vel sic ponens, dum adversarius ea fatetur, ab onere eadem probandi liberetur. - *Articuli* vero sunt etiam certa capitula, quae singula continent partem intentionis, seu id quod quis probare intendit, puta per testes, instrumenta, literas etc., casu praesertim, quo positiones ab adversario negentur. - Quare *articuli* a *positionibus* differunt ratione finis, dum positiones respiciunt solam partis confessionem, articuli vero probationem faciendam [1].

Articuli autem *contrarii* dicuntur qui vel directe vel indirecte depositioni testium, quos altera pars produxit, adversantur.

Articuli praeterea alii dicuntur *antiqui*, alii *novi*, alii *dependentes* ab antiquis.

Antiqui dicuntur *articuli* qui antea propositi fuerunt in libello ut probarentur, et super his testes producti, rite recepti ac examinati sunt, atque eorum attestationes rite publicatae.

Articuli omnino *novi* dicuntur, qui propositi non fuerunt, et ad causam non pertinent, nulloque modo sive actoris sive rei intentionem adiuvant.

Articuli non omnino novi, sed *dependentes* ab antiquis, hi sunt qui propositi ac probati adiuvant causam seu intentionem agentis. Tales sunt qui ad factum quidem seu causam pertinent, sed nulla super his probatio producta fuit [2].

20. *De interrogationibus et investigationibus faciendis in specie pro singulis impedimentis matrimonium dirimentibus.*

Cum causa de matrimonii valore ab aliquo enascatur impedimento matrimonium dirimente, hinc interrogationes in specie efformandae atque accommodandae sunt ad impedimenti speciem et causae circumstantias. Verum cum in

[1] Leuren. *lib. 2. tit. 20. quaest. 644.* et *seqq.*

[2] Pirhing *lib. 2. tit. 20. de testib. et attestat. nn. 212. 213. 214* - ubi et exempla profert ex DD. et ex Decretalium capitibus.

singulis causis interrogationes et investigationes faciendae sint multiplices et accuratiores, vel simplices et pauciores sufficiant prout accusationis requirunt titulus, propositi articuli et facta enarrata, hinc nequeunt hic interrogationum et investigationum pro singulis impedimentis proponi schemata. Quare munus erit moderatoris actorum interrogationes et investigationes eiusmodi pro sua sagacitate concinnare, easque augere vel minuere pro rerum adiunctis. – Quaedam nihilominus ad hoc facilius explendum munus annotasse iuvabit.

Plura itaque sunt impedimenta, quae contra matrimonii valorem allata, facili negotio perspici possunt, an in ipso iugali ineundo foedere extarent vel non. – Sic impedimentum *voti* solemnis castitatis vel in professione religiosa, vel in susceptione sacrorum Ordinum nuncupati, expedite probari potest si authentica requirantur documenta et in acta referantur sive solemnis professionis emissae in religione, Sanctae Sedis iudicio approbata, sive sacri suscepti maioris Ordinis. – Naturalis cognationis seu *consanguineitatis* impedimentum atque etiam *affinitatis* prompte probatur ab *arbore,* ut aiunt, consanguineitatis utriusque familiae sponsorum ex matrimoniorum eruenda regestis, ex qua arbore clare apparebit an matrimonium intra gradus a iure prohibitos initum fuerit, vel non. – Ita pariter ex parochialibus baptizatorum aut confirmatorum libris eruitur utrum *cognatio spiritualis* initi coniugii tempore inter contrahentes extiterit.

Si causa matrimonialis agatur ob *stantis adhuc foederis* seu *ligaminis* impedimentum, inquirenda atque ad acta referenda in primis erit praecedentis nuptialis foederis initi attestatio, ac dein authenticum diligenti studio exquiratur documentum de secuta alterius coniugis morte « exaratum « scilicet, ut docet supremae S. C. Instructio, ex regestis « parochiae vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi « nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci « in quo, ut supponitur, persona obierit » [1]. Quod si eius-

[1] Vide infra in *Append. 8a*. supremae S. C. *Instructionem ad probandum obitum alicuius coniugis.*

modi documentum haberi nequeat, testium depositionibus, opportunis propositis interrogationibus, supplendum erit. Si autem neque testes haberi possint, ne unus quidem, qui fide digni et iurati deponant vel de propria scientia, vel de auditu, aliis concurrentibus adiunctis, ut in citata Instructione cavetur [1] « hoc in casu probatio obitus ex coniectu- « ris, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, « sedula certe et admodum cauta investigatione curanda « erit » – atque etiam ex fama, vel ex investigatione per publicas ephemerides, ad eiusdem Instructionis tramites [2].

Si de impedimento lis est ex illata *vi et metu* diligentior adhibenda erit investigatio. Satagat itaque processus moderator, ut in actis liquido constet an metus fuerit gravis vel in se vel quo ad personam, cui fuit illatus; an is, qui metum intulit, ea quae verbo minatur, factis complere soleat: an persona, quae metum passa est, nulla ratione illum vitare potuerit vel ante matrimonii celebrationem, vel in actu celebrationis, vel postea. Nam si post initum ex metu coniugium, a metus imperio se poterat subtrahere, et nihilominus ultro libenterque copulationem expleverit, exceptioni renunciasse, ac novo liberoque consensu ratum habuisse coniugium iure merito praesumendum est [3]. – Quod si eiusmodi exceptio neque afferri queat neque probari, processus moderator prosequatur acta, et utriusque coniugis depositiones excipiat, ac parentum, propinquorum vel incolarum viciniae domus utriusque aliorumque, quos de illatis minis sciat instructos, iudiciales attestationes undique ac sedulo conquirat, atque ita, ut hi omnes praecipua referant facta cum omnibus locorum, temporum ac personarum adiunctis, quo possint ex eiusmodi depositionibus

[1] Cit. *Instruct. nn. 3. 4. 5.*

[2] Cit. supremae S. C. *Instruct. nn. 6. 7. 8. 9.*

[3] Recole dicta supra *cap. 1. art. 4. de impedimento ex vi seu metu, n. 5. pagg. 14-15.* Cfr. causam: *Nullius Monacen. matrimonii*, expensam a S. C. C. die *17 maii 1879* et *3 ian. 1880*, relatam in cit. Ephemer. *Acta S. S. vol. 12. pag. 403.* et *seqq.* At *pag. 410.* legendum est: *constare de validitate matrimonii in casu.*

probationes erui perspicuae et concludentes, ut de passo metu concludenter ac certo constet.

Non minus diligens, imo diligentissima investigatio instituenda est si de impedimento agatur *impotentiae* ad coeundum, ac de *non secuta matrimonii consummatione* ad obtinendam summi Pontificis dispensationem a matrimonio rato non consumato. Hinc est, ut pro eiusmodi causis accuratiores tradantur apostolicae Sedis Instructiones, quas in Appendice referam [1], quibus enucleantur inquisitiones, interrogationes, inspectiones aliaque plura ad acta in iisdem causis rite concinnanda atque explenda ad veritatem eruendam.

Si iudicium de matrimonii valore instituatur ob *raptus* impedimentum, inquirendum imprimis, an aperta vi, nullo ex condicto, nulloque praecedente de ineundo matrimonio tractatu inter raptorem ac raptam, vir mulierem rapuerit. Quod si ex accusationis libello vel ex institutis interrogationibus aut iudiciis aliquis appareat mulieris ad sui raptum *consensus,* sedulo inquirendum erit an raptum praecesserint concludentes de matrimonio ineundo tractatus, vel an ad eludendam parentum oppositionem vir sine dolo mulierem ex condicto abduxerit ad nuptias conciliandas, eo vel magis si mulier virum sollicitaverit ut ab eo abduceretur. Ex his enim erui quidem poterit, raptus ne habeatur qui cadat sub Concilii decreto, an potius *fuga* ad matrimonium liberius contrahendum. Neque minori sedulitate investigandum an vir meditatus fuerit rapinam, atque ad eam explendam insidiis dolosisque sollicitationibus mulierem abduxerit, ut dein sub eiusdem raptoris influxu in matrimonium consentire cogeretur [2].

Atque ita satagendum in ceteris impedimentis matrimonium dirimentibus, ut ad veritatem ex actis tutius, quam fieri poterit, eruendam, interrogationes atque investigationes opportunae fiant, quas impedimenti natura suggesserit.

[1] *Append.* 2a-3a.

[2] Cfr. *Disceptat. quartam* infra, ex qua eiusmodi investigationum necessitas elucebit.

21. *Peritorum inspectio* est *quartum* in causis matrimonialibus probationum genus, adhibitis *honestis mediis;* quae inspectio locum habet in causis de impotentia coeundi, vel ad probandum quod matrimonium ratum non fuerit consummatum. De hac autem peritorum inspectione plura et accurate ad veritatem eruendam servanda exhibet infra relata S. C. Concilii Instructio anni 1840 [1]. – Alia dein prodiit Instructio a Sacra Congregatione S. Officii pro conficiendo Processu iudiciali *super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione.* Accedente Summi Pontificis dispensatione etc. Haec instructio, quoad peritorum inspectionem docet:

« Singulorum testium absoluto examine duo saltem ex celebrioribus civitatis Physicis medicinam et chirurgiam callentes seligantur corpus viri inspecturi super eius potentia ad coeundum cum muliere maxime virgine, ne ille Physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem ut mediis utatur *licitis et honestis,* et perscrutandum praecipue utrum illlius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata: nimirum an penis naturalem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam; an aliquo morbo fuerit affectus, a quo tempore et cuiusnam characteris; – an fibrae compactae et consistentes, seu potius flaccidae lassaeque sint; an testes sani naturalisque magnitudinis, vel utrum in aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent; – quo in casu morbi characterem et causas investigabunt; – an vetus vel recens naturalis vel acquisitus, et an curabilis nec ne absque salutis periculo.

« Quibus omnibus diligenter iaspectis, singula sub iuramento scripto tradent, et quid ipsi sentiant de viri impotentia, absoluta vel relativa tantum, ingenue fateantur, nullaque relicta ambigendi ratione.

« Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem obstetricibus honestis inspiciantur,

[2] In *Append. 2a.*

adhibito prius mulieris balneo *si necessario praemittendum Physici et ipsae iudicaverint.* Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, iuncturam, duritiem, rugositaem et colorem; - an hymen sit integer, vel confractus in totum vel in parte. - Hoc in casu an et qua naturali causa, seu potius e congressu extranei corporis contigerit; - an myrtiformes carunculae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula quae repererit sub sacramento Iudici, et a Cancellario scripto fideliter tradenda, distincte exponat, ut quid ipsae sentiant de illius integritate declarent.

« Earumdem depositiones praedictis Physicis examinandae tradantur, ut decernant num mulier adhuc integra habenda sit, atque matrimonium non consummatum iudicandum.

« Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis Physicis concinnatis interrogationibus, iterum Obstetrices examinentur, et si nihilominus anceps Peritorum iudicium permanserit, corpus mulieris ab ipsis inspiciatur, adstante vero Matrona antiquae virtutis, nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda. Expleta inspectione, iudicium dabunt Physici, *singulasque proferent rationes* quibus ipsorum sententia innititur.

« Praetereunda tandem non erit investigatio super qualitate testium audito eorundem parocho vel alia proba et instructa persona utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones etc. » [1].

In hoc probationum genere ex inspectione corporum deductarum, notum est peritos medicos et canonistas in duas dividi classes pro duplici eorum sententia. Namque alii absolute affirmant, ex inspecto corpore mulieris et re-

[1] Cfr. integram eiusmodi Instructionem quoad examen coniugum ac testium — *in appendice 3a*.

perta integritate cum absentia caruncularum myrtiformium (talium enim caruncularum praesentia indicium praebet lacerationis hymenis) infallibile erui argumentum non secutae consummationis, *nisi ex peritorum examine et attestatione aliud constet.* Ita loquitur Zacchia [1] cum pluribus aliis sive peritis medicis, sive sacrorum canonum doctoribus, quos allegat cl. Pallottini [2]; et hanc *primam* sententiam tenent antiquiores tum medici tum canonistae et constans sacrarum Congregationum iurisprudentia. – Alii vero probationem non secutae consummationis erutam ex inspectione corporis mulieris, fallacem omnino esse docent, et asserunt virginitatis signa dubia omnino esse et incerta; eo vel magis quod hymenea membrana ab instabili natura nonnullis feminis denegatur, ut experientia constat [3]; et hanc *alteram* sententiam sequuntur cum divo Thoma [4] recentiores fere omnes periti medici. Hos inter Capellmann in sua *Medicina pastoralis* (pag. 140) docet, quod *potest foecunda viri seminatio sua penetratione fieri,* ideoque sine hymenis laceratione, et quin *myrtiformes carunculae efformentur.* Item hanc sententiam tenent plurimi ex canonistis, et concordat s. Raymundus de Pennafort sacris innixus canonibus dum ait: *propter quod dicit canon, quod manus obstetricum et oculus saepe fallitur.*

At vero cavendum nobis est, ne clausis oculis hanc alteram sequamur sententiam, sive in se inspectam, sive quia etiam inter recentiores non desunt qui enunciatam foecundationem, corporali manente mulieris integritate, vel omnino denegent, vel teneant, hoc in casu matrimonium haud haberi posse ut consummatum. Gravissima, ut quidam consultor notat [5] haec quaestio est, quippe quae moralem doctrinam afficit de impotentia, de onanismo coniu-

[1] Zacch. *Quaest. medico-legal. lib. 4. tit. 2. quaest. 1. n. 8.*

[2] Ad verbum *Dispensatio* — § *12. n. 119.*

[3] Scuring in sua *Spermatologia cap. 10;* — Vannet *in op. De la génération par. 2. art. 2.*

[4] Quodlib. *6. q. 10. a. 1.*

[5] Cfr. *Acta Apost. Sedis in compend. etc. vol. 27. pag. 335, not. 4.*

gali, deque matrimonii consummatione. Et idem miratur ac dolendum putat, recentiores quosdam theologos doctrinam amplectentes de possibilitate foecundationis, manente corporali mulieris iutegritate, eo usque pervenerint, ut potentem dicant arctam mulierem, potentem et virum qui penetrare non valeat, dummodo ex suscepto vel in os vaginae, vel etiam in partes maxime exteriores virili semine, foecundatio sequatur. Quod si verum esset, ceteris praetermissis, dicendum foret matrimonium consummari etiam per artificialem foecundationem.

Denegandum tamen non est, hymeneam membranam posse integram permanere, quamvis copula pluries habita fuerit. Testantur enim medici, *membranam istam saepe flaccidam esse*, ita ut facile viro cedat [1]. Unde quidam Physici affirmant, nihil obstare, quominus habeatur vera matrimonii consummatio per veram penis immissionem, quin hymenis laceratio eveniat. Ex quo concludunt, mulieris integritatem, et consequentem absentiam caruncularum myrtiformium non constituere absolutam et certam de non consummato matrimonio probationem [2].

Cum igitur in causis matrimonialibus de impotentia, sola probatio ex peritorum inspectione non semper sufficiat ad quaestionem dirimendam, aliae probationes in iisdem causis quaerendae sunt.

Porro argumenta ad probandam viri vel mulieris impotentiam alia dicuntur *physica,* alia *moralia.*

Physica nuncupamus quae eruuntur ex *inspectione* corporum alterutrius vel utriusque coniugis, eorumque *iudicio,* sacramenti religione firmatis.

Moralia appellamus, quae per iudicialem coniugum ac testium depositionem ex actis aliisque documentis in processu compulsis seu relatis eruuntur.

Signa autem impotentiae antecedentis et perpetuae, sive absoluta sit sive relativa, inspecta ipsa rei natura, in

[1] Esbach: *Disput. physiologo-theol. disp. 1. c. 8. a. 3. p. 116.*

[2] Cfr. cit. *Acta Apost. Sedis in compend. etc. vol. 27. p. 332 et seqq.* cum notis.

tres classes dividi possunt. Alia enim *evidenter* probant, alia *probabiliter*, alia *dubie* seu *coniectura* concludunt. - Ad *primam* classem signorum quae *evidenter* probant refertur physica virilium deficientia; - ad alteram *probabilium* signorum classem refertur viri erga venerea universe frigiditas; - ad tertiam signorum classem quae *dubie* seu *ex coniectura* aliquem impotentiae coarguunt refertur frigiditas viri erga solam coniugem.

Aguntur saepe matrimoniales causae, in quibus vir exhibetur virilibus plane instructus, sed ad res venereas nullo pacto propensus, et cuivis erectioni impar. Huiusmodi imbecillitatis causa cum interna sit, atque in nervoso systemate sedem habeat, iudicari certe nequit an *perpetua* et *insanabilis* sit, an vero *temporanea* talis viri impotentia. Attamen *probabile* inde eruitur argumentum, perpetuam tunc esse impotentiam. Fatendum tamen est in eiusmodi casibus agi de matrimonio *probabiliter* nullo: quae probabilitas non quidem sufficit ut *ex iustitia* illud irritum declaretur; sed vehementer suadet, ut *ex gratia* super eodem suprema Summi Pontificis auctoritate dispensentur, servatis de iure servandis, scilicet ut 1° matrimonium ratum, nunquam fuerit consummatum, et ut 2° congruae extent in casu rationes seu causae, quae solutionem suadeant. - Verum de dispensatione a vinculo matrimonii rati et non consummati, fusius infra agendum erit.

Interim innuendum hic est, ad matrimonii consummationem quod attinet, cum sit factum solis coniugibus cognitum, consummatio vel non consummatio matrimonii iuridice probatur ex eorum iudiciali et iurata affirmatione vel negatione facti, septimae manus testimonio iudiciali de eorundem coniugum religione et credibilitate confirmata, cuique tanquam adminiculum accedit probatio ex physica inspectione corporum deducta.

Causae autem variae esse possunt pro casuum adiunctis. Sic imprimis causa est, matrimonium probabiliter nullum esse; - sponsam in incontinentiae periculo fere proximo versari; - animorum aversio vel etiam implacabile inter coniuges odium, aliaeque eiusmodi.

Ad vitandas autem allucinationes, prae oculis habenda sunt quae de impotentia ac de physica virginitate DD. monent, quorum monita, Zacchiae praesertim, non pauca habes infra [1].

22. *Quintum probationum genus est iurisiurandi religio.* Missis pluribus, quae fuse Canonistae de iureiurando disserunt [2], quippe quae in causis matrimonialibus raro locum habent, pauca hic adiicienda sunt his, quae supra de testium praesertim iuramento iam adnotavimus.

Maximum expediendarum litium subsidiarium ac suppletorium legis remedium est iusiurandum.

Dividitur in *assertorium* et *promissorium,* prout Deus vocatur in testem assertae seu negatae veritatis; - vel in testem quod habeat quis voluntatem implendi quod spondet.

Utrumque *Primo* vel *solemne* est, vel *simplex,* prout fit quibusdam adhibitis caerimoniis, et coram iudice aut legitimo superiore; - vel non. - Dixi *adhibitis quibusdam caerimoniis,* puta certa verborum formula, ac tactu sanctorum Evangeliorum, crucis etc. et adhibentur eiusmodi caerimoniae, ut maior iuramento deliberatio, reverentia, timor, firmior observatio concilietur.

Secundo, utrumque, assertorium nempe et promissorium iuramentum, dicitur *execratorium,* si fiat addita Dei invocationi aliqua execratione, scilicet dum iurans sibi ipsi vel alteri, quem diligit, a Deo tanquam falsitatis vindice, malum imprecatur ni vera sit assertio aut promissio. Sic si quis dicat e. gr. Deus me fulmine tangat; vel ut mos est iurandi usitatus in iure et foro ecclesiastico, prout habetur in decretali Gregorii III post septem capitula: *Sic Deus me adiuvet, et haec sancta evangelia* [3]; - et similis erat olim apud iudaeos formula: *Haec faciat mihi Deus, et haec addat,* nisi etc.

Tertio item utrumque dividitur in *iudiciale,* vel *extraiudiciale.* Iudiciale nuncupamus quod iubente aut probante

[1] In *Disceptatione* III, et in *Appendicibus.*

[2] In Decretalium *lib. 2. tit. 24.*

[3] Cap. *Ego N. Episcopus 4, de iureiurando.*

iudice in actis seu in iudicio praestatur, vel etiam quod pertinet ad causas iudiciales seu respicit iudicium. – Extraiudiciale autem dicimus quod extra iudicium emittitur.

23. Missis porro variis iudicialis iuramenti speciebus [1], quae in causis matrimonialibus locum plerumque non habent, iuramentum quod in hisce causis tum a partibus tum a testibus praestari debet, est *iuramentum veritatis*, seu de veritate dicenda, quam et prout quis novit, ut supra innuimus. Hoc itaque iusiurandum cadit in rei seu facti *scientiam*, non vero in meram *credulitatem*, quia veritas per illud asseritur iuxta certam scientiam, quae de re seu facto ab eo qui iurat habetur, ex causis et signis profluens necessariis, quae rerum inspecta natura, aliter esse nequeunt. – Contra vero, *credulitatis iuramento* veritas asseritur *opinionis*, quam de re seu facto habemus. Quae credulitas seu opinio, si *rationabilis* sit, non *temeraria*, quamvis omnem quidem practicam et actualem falsi excludat formidinem, cum tamen non ex evidente sed ex probabili tantum oriatur rei cognitione, hinc non repugnat, rem aliter se habere [2]. – Sic in examine *septimae manus* seu septem propinquorum utriusque coniugis ad formam decretalis Honorii III [3], coniuges iurant de *scientia propria*, se per triennium cohabitantes non habuisse potentiam coeundi; – testes vero septimae manus iurant, sibi verisimile esse et *credere*, coniuges, religione ceteroqui et honestate praeditos, vera dixisse; atque ita matrimonium separatur, ut supra diximus [4].

[1] De his divisionibus seu speciebus iudicialis iuramenti fuse disserunt Canonistae. Cfr. Leurenium *lib. 2. tit. 24. cap. 4. quaest. 804 et seqq.*

[2] Ummius, Muller, Bachov., Menoch. citati a Leurenio *ibid.*

[3] Cap. *litterae vestrae 7, de frig. et malef.*

[4] *Cap. 2. art. 2. n. 7.*

CAPUT IV.

De processus seu attestationum publicatione et exceptionibus contra testes.

1. *De attestationum publicatione.*

Examine testium peracto, eorum attestationes seu responsa in secreto recepta, utraque parte praesente, vel altera contumaciter absente, citata tamen, a iudice publicari debent, hac vel simili forma praevia: *Dicta seu attestationes testium in hac causa publicamus, easque pro publicatis et apertis haberi volumus* [1].

2. Attestationum publicatio in causis ordinariis *regulariter* necessaria est, adeoque servanda, quippe de praecepto requiritur. Est enim de iustitia, quia vergit et servit ad partis defensionem, adeoque eam iudex omittens, laedit ius litigantis; qui proinde petere potest, ut attestationes publicentur, et recusante iudice, appellare. – At vero eiusmodi publicatio non est de substantia processus iudiciarii, ita ut eius omissio illum non vitiet, neque ipsam sententiam [2].

3. Porro regula communis utroque iure recepta, haec est: « Rite publicatis attestationibus seu testium depositionibus, non licet neque in prima instantia seu causa principali, neque in alia seu causa appellationis producere et recipere denuo eosdem vel alios testes super iisdem seu antiquis, aut directe contrariis articulis » [3]. Ratio est tum timor subornationis testium, ut praesertim ex Clementina colligitur [4], qua in terminis firmatur praedicta regula; tum etiam quia per attestationum publicationem partes litigantes ulteriori testium productioni renunciat, vel *expresse,* prout peracto examine ad iudicis interrogationem fieri so-

[1] Pirhing *lib. 2. tit. 20. n. 201.*

[2] Cfr. Pirhing *l. c. n. 202 et seqq.*

[3] Vide apud Pirhing *lib. 2. tit. 20. n. 215 et seqq.* animadversiones in eiusmodi regulam.

[4] Clement. *testibus 2, de testibus,* ubi: « Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa *subornatio sit timenda* ».

let, vel saltem *tacite* consentiendo in attestationum publicationem. - Hinc autem patet, cur post attestationum publicationem ab utraque parte ad definitivam usque sententiam et conclusionem in causa possint nova instrumenta exhiberi, ut ex decretali Innocentii III [1], quia in casu productionis instrumentorum post publicationem attestationum factae, cessat subornationis timor, qui subest si testes possent tunc denuo produci. Immo etiam testes tunc produci possunt una cum instrumento, quia adiectae scripturae ratione, cessat subornationis periculum [2].

4. Fallit tamen praedicta regula in pluribus casibus, quibus nempe etiam post attestationum publicationem, iidem vel alii testes super iisdem vel directe contrariis articulis denuo produci ac recipi possunt. - Sed ceteris, qui ad rem nostram non pertinent, casibus praetermissis [3], de his, qui ad causas matrimoniales pertinent, aliquid dicendum.

In causis matrimonii, etiam post attestationum publicationem produci ac recipi possunt alii testes deponentes directe contrarium super prioribus articulis, non obstante in contrarium consuetudine, utpote iuri naturali ac divino contraria [4]. - Ratio est quia urget periculum animae seu peccati si legitime per matrimonium coniuncti separentur. Et revera si sententia contra initum coniugium lata nunquam transit in rem iudicatam, sed quocumque tempore retractari debet, falsitate detecta [5], multo minus impeditur quis, publicatis attestationibus, alios testes super iisdem articulis directe contrariis producere ac recipere. Siquidem vel publicatis attestationibus, vel etiam erronea lata sententia, nequit a partibus sive tacite sive expresse confirmari illud in quo subest peccatum, et quod divino iure

[1] Cap. *cum dilectus 9, de fide instrumentorum.*

[2] Leurenius *lib. 2. tit. 20. quaest. 663. n. 3.*

[3] Tredecim casus eiusmodi recenset Leuren. *lib. 2. tit. 20. quaest. 664.*

[4] Cap. *series 26, de testib. et attest.* aliisque.

[5] Nedum ex Decretalium *capp.* constat, sed etiam ex Const. *Dei miseratione* Benedicti XIV § *11.*

prohibitum est. - Id autem tenendum nedum cum agitur de impedimento matrimonii iam initi, sed etiam de impedimento matrimonii contrahendi, ita ut post publicatas testium depositiones carentiam impedimenti probantes, testes alii ad probandum impedimentum induci possint, exceptis limitationibus quibusdam, uti si ageretur non de iugali vinculo, sed de legitimo tantum processu in causa matrimonii. Non minus enim urget peccati periculum si copularentur qui copulari non possunt, quam si legitime copulati separentur [1].

5. *De exceptionibus contra testes.* - Triplicis generis exceptiones fieri possunt contra testes: 1° aliae *contra personas testium,* opponendo illis, quod vel omnino vel saltem respectu talis causae sint inhabiles ad testimonium ferendum. - 2° Aliae *contra testium productionem, receptionem, examen:* e. g. quod producti et recepti ante litis contestationem, vel parte adversa non citata, et in causis matrimonialibus non legitime citato matrimonii defensore ex officio, vel quod admissi post tertiam productionem sine legali solemnitate, vel non iurati, vel quod examinati ab incompetente iudice, ut Clericus ab iudice seculari sine licentia sui superioris, vel post deducta a producente testificata, post conclusum in causa, vel non seorsim examinati sed simul, non secreto. - 3° Aliae *contra depositiones ipsas et dicta testium,* scilicet quod sint inter se contraria, obscura, incerta, ambigua, vacillantia, non congruentia facto vel naturae rei, non verisimilia, vel omnino falsa, singularia, extra articulos et interrogatoria, vel non addita causa scientiae etc. [2].

6. Iam vero *primi* generis exceptiones, nimirum *contra personas testium* opponendae *regulariter* sunt *priusquam* eorum publicentur attestationes, ut constat ex decretali Innocentii III [3], in qua tamen Pontifex tres excipit casus,

[1] Pirhing *lib. 2. tit. 20. nn. 230-231.*

[2] Pirhing *l. c. n. 239.* citans Hiltrop. *in processu iudiciali tit. 9. toto cap. 6.*

[3] Cap. *praesentium 31, de testib. et attestat.*

scilicet nisi « cum iuramento firmaverit quod ad hoc ex « malitia non procedat[1]; - nisi forsan ante publicationem « id fuerit protestatus; - vel ostendere poterit, quod post « publicationem didicerit quod obiicit in personas »[2].

Tertii generis exceptiones, scilicet *contra dicta testium*, opponendae sunt *post publicationem* attestationum; quia ante eam partes ignorant, quidnam testes deposuerint, et quid proinde in eorum dictis reprobandum sit.

Idem cum proportione dicendum de *secundi* generis exceptionibus, nempe contra *examen* illegitime peractum, cum haud possint examinis defectus innotescere eosdem excepturo, nisi examine illo peracto et producto.

7. Ut autem reus reprobare potest testes ab actore contra se productos, ita contra potest actor reprobare quos reus produxit. - Testem vero quem pro se sive actor sive reus induxit, tenetur admittere etiam contra se, nisi nova causa eum reprobandi supervenerit. Potest tamen sive actor sive reus adhuc reprobare dicta testis pro se inducti, dum videt ea inter se esse contraria, vel aliunde potest eorum ostendere falsitatem[3].

8. An praeterea et quando testes cogendi sint ad ferendum testimonium, vide apud Canonistas[4].

CAPUT V.

De sententia, re iudicata, querela et appellatione.

1. *De sententia.* Fine imposito probationum collectioni ac exceptionibus, iisque omnibus praestitis, quae sunt de iure praestanda, ac iis praesertim religiose servatis quae

[1] Id autem si agatur contra testes *non omnino inhabiles*. Nam contra testes *absolute inhabiles*, ut sunt e. g. infames infamia iuris, etiam sine tali iuramento post factam publicationem licet excipere (Pirhing *l. c. n. 242*).

[2] Sed cfr. Pirhing *l. c. n. 240 et seqq.* de hisce casibus aliisque animadversionibus disserentem.

[3] Glossa et Abbas in cit. cap. *praesentium 31, de testib. et attestat.*

[4] In *lib. 2. Decretalium, tit. 21, de testibus cogendis vel non.*

a Benedicto XIV traduntur in constitutione saepe commemorata *(Dei miseratione)* ne nullitatis vitio et acta et sententia ipsa tabescant, iugalis vinculi defensor iudicialia acta sedulo expendet, suas conficiet animadversiones, summissaque tum a partibus tum ab eodem matrimonii defensore causa definitivo dirimenda iudicio, Ordinarius, excepto illorum iurisperitorum, prudentum ac Deum tantum prae oculis habentium voto, quos consulere duxerit, suam in scriptis proferet sententiam, qua, iudicii sui rationibus e processu seu ex visceribus causae depromptis, distincte expositis, declarabit controversum coniugium validum fuisse vel invalidum, seu constare vel non constare de nullitate matrimonii in casu. Animadvertendum autem, quod quamvis iudex extra metas libelli vagari seu iudicare *regulariter* non debeat, sed ferre sententiam respondentem actoris petitioni, hanc admittendo vel reiiciendo, in causis tamen matrimonialibus, uti et in aliis, in quibus animae periculum imminet, sententia, ut evitetur peccatum, *secundum veritatem* semper ferenda est, quamvis actoris libello non respondeat [1].

2. *De re iudicata*. Ut ea prosequamur quae de sententia, re iudicata et appellationibus ad causas matrimoniales attinent, relictis ceteris quae de aliis causis communiter ac fuse a iurisperitis traduntur [2], inquirendum an et qualiter in causis matrimonialibus sententia transeat *in rem iudicatam*.

Itaque statuendum est hoc ex iure principium: « Sententia in causis de matrimonii valore, ex quibuscumque probationibus adhibitaque diligentia, ab iudice lata, quantumcumque confirmata, et elapsi *decem dies* ad appellandum dati [3], nunquam transit in rem iudicatam, sed retra-

[1] Reiffenst. *lib. 2. tit. 27. n. 86.*

[2] In *lib. 2. Decretalium tit. 27, de sententia et re iudicata*, ac *tit. 28, de appellationibus, recusationibus et relationibus.*

[3] Cap. *quod ad consultationem 15, de sententia et re iudicata*, aliisque Decretal. *capp.* — Benedict. XIV const. *Dei miseratione* § 9. — V. Pirhing. *lib. 2. tit. 28, sect. 6. de temporib. seu fatalibus appellat. n. 132 et seqq.*

ctanda est quoties compertum fuerit, sententiam non con gruere veritati sive ex errore, sive ex ignorantia, sive ex malitia, quod absit, processerit iudex » [1]. – Atque ita tenendum sive sententia lata fuerit contra matrimonii valorem, sive pro eo, declarans irritum matrimonium quod erat validum; vel declarans validum illud quod in rei veritate erat invalidum [2]. – Quin etiam iudex ex officio, parte etiam invita, tenetur ad eiusmodi retractandam sententiam, quia tenetur peccata impedire et tollere, et constat ex decretalibus Alexandri III [3] rescribentis: *Tui officii interest, matrimonia illa, adhibita gravitate, dissolvere quae illicite contracta noscuntur.* – Ratio autem statuti in utroque casu principii est *primo* quia in causis matrimonialibus, non sicut in aliis causis, consensu vel renunciatione vel patientia partis non appellantis una cum auctoritate iudicis seu praesumptione iuris fieri potest, ut sententia transeat in rem iudicatam; cum matrimonii indissolubilitas sit iuris divini, et legitimitas eiusdem iugalis vinculi a praesumptione iuris, a sententia et a patientia partis non dependeat. - *Secundo,* quia si sententia lata non secundum rei veritatem in causis matrimonialibus transiret in iudicatum, ita ut retractari nequiret, sententia illa in utroque casu, scilicet tum separando veros coniuges, tum coniungendo illegitimos, continuum nutriret peccatum contra communem canonistarum regulam: Sententia, cuius observantia nutrit peccatum, transire nequit in rem iudicatam » [4].

3. Ex hac ipsa regula e contrario sequitur altera: « Ubi in ipsis causis lata sententia observari potest quin peccetur seu nutriatur peccatum, ea transire potest in rem iudica-

[1] Ex cap. *lator 7,* cap. *tenor 10,* cap. *consanguinei 11, de sententia et re iudicata.* — Pirhing *lib. 2. tit. 27.* § *3. n. 47 seqq.* — Benedict. XIV cit. Const. *Dei miseratione* § *11.*

[2] Pirhing *l. c. n. 48.* — Reiffenstuel *in eumdem tit. Decretalium nn. 118-119.*

[3] Cap. *porro 3, de divortiis;* — item ex cap. *lator 7, de sententia et re iudicata,* eiusdem Pontif. — Pirhing *l. c. n. 51.*

[4] Vide Reiffenstuel *l. c. n. 125,* qui citat Pirhing *l. c. n. 49.* hanc regulam referentem ex Abb.

tam ». Sic e. g. ea ipsa sententia, qua matrimonium declaratur irritum et dissolvendum, simulque succumbens in litis damnatur expensas, licet quoad matrimonium seu dictam dissolutionem non transeat in rem iudicatam, transit tamen in iudicatum ubi ab ea appellatum non est intra *decem dies,* quoad litis expensas, quamvis postea ob errorem detectum, dissolutum restauretur coniugium. Atque ita talis sententia quo ad expensas sequitur aliarum sententiarum naturam et conditionem. – Item, dum qui obtendit metum vel ignorantiam conditionis servilis, condemnatus tamen fuit, et pro coniugii valore sententia lata, ab hac intra legitimum tempus non appellat, eadem transit in iudicatum, quia pars metum passa vel iniuriam conditionis de novo in matrimonium consentit, ut per desertam appellationem praesumitur praesumptione iuris ac de iure, et consequenter non nutritur peccatum. – Idem dicendum de sententia divortii [1].

4. *De adeundo iudice per viam querelae ob sententiae iniustitiam.* Quamvis autem sententia lata de matrimonii valore nunquam transeat in rem iudicatam, pro eius tamen iustitia et processus legitimitate praesumitur, quando ab ea appellatum non est. Nihilominus potest semper victus per viam *simplicis querelae* de latae iniustitia sententiae adire iudicem, qui hoc in casu non est Metropolitanus respectu suorum Suffraganeorum, utpote qui est iudex inter eos solum in causa *appellationis,* et non in casu *querelae;* sed est ipse iudex *qui primam sententiam tulit,* vel Papa eiusve Legatus [2]. – Et hac via querelae sententiam impugnans admittendus et audiendus est, modo tamen aliquam verisimilem iniustitiae causam alleget, et insuper offerat iudici novum libellum, quo petat, ut causa iam definita iterum ad iudicium deducatur et sententia revocetur ob detectum errorem. Iudex autem, antequam admittat querelam ad rescindendam sententiam, praevia debet ex-

[1] Pirhing *l. c. nn. 52-53.*

[2] Cap. *cum 1, de officio legati,* cap. *pastoralis 11. de officio iudicis ordinarii.* — Pirhing *l. c. n. 51.*

pendere cognitione summaria adductam iniustitiae causam; atque inde si querelam decernat admittere, restituet postulantem *ad audientiam*. Haec constant ex decretali Innocentii III [1] decernentis: *Et ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem.*

5. *De Appellatione.* – « Si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse *(defensor « matrimonii ex officio)* etiam ab appellatione se abstineat... « Sin autem contra matrimonii validitatem sententia fera« tur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens « parti quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio « nemo sit, qui pro matrimonii validitate negotium insi« stat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium de« seruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provo« cabit [2] ».

6. At vero ab huius severitate praescriptionis, provocandi scilicet ad superiorem iudicem quoties prima sententia contra matrimonii validitatem lata fuisset, paucis abhinc annis aliquantulum temperatum est. Cum enim Episcopus Wayne Castrensis Apostolicae Sedi exposuisset, in foederatis Americae septentrionalis provinciis non raro evenire casus, in quibus certe constat de nullitate prioris matrimonii ad iudicem in prima instantia delati, et hoc proposuisset dubium, nempe: « Posito quod ex documentis et probationibus certis a curia episcopali et a defensore matrimonii admissis constet primum matrimonium vel propter bigamiam alterius partis, vel propter cultus disparitatem fuisse certe nullum, requiritur ne appellatio defensoris et iudicium in secunda instantia a Benedicto XIV praescriptum in casu de nullitate matrimonii in facie Ecclesiae initi? An sufficit certe constare primum matrimonium fuisse absolute nullum, ita ut nulla requiratur secunda instantia et iudicium? » – Sacra Congregatio S. Officii die 20 martii 1889 respondit:

[1] Cap. *ex litteris 4, de in integrum restitutione.* — Vide Pirhing *l. c. n. 51.*

[2] Benedictus XIV const. *Dei miseratione* § *8.* — *Append. 1a.* infra.

« Dummodo per processum saltem extraiudicialem certo constet de nullitate matrimonii ob praeexistens dirimens impedimentum evidenter comprobatum; *Negative*[1] ».

7. Decreto autem 5 iunii 1889 eadem S. C. S. Officii ultra progrediens casus determinavit, in quibus tantum liceat praedicta appellatione abstinere, religiose tamen servatis conditionibus in eodem decreto praescriptis. En verba decreti: « Quando agitur de impedimento ***disparitatis** cultus*, et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non baptizatam; – quando agitur de impedimento ***ligaminis,*** et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; – quando denique agitur de ***consanguinitate et affinitate*** ex copula licita, aut etiam de ***cognatione spirituali***, aut de impedimento ***clandestinitatis*** in locis ubi decretum tridentinum *Tametsi* publicatum est, vel *uti tale diu observatum*[2]; dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum super quibus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit: hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium *poterit* ab Ordinario declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia »[3].

8. Eadem S. C. S. Officii praeterea declaravit, decretum hoc esse *generale* pro universa Ecclesia. Cum enim Archiepiscopus Varsaviensis proposuisset dubium Sacrae Concilii Congregationi, et haec compertum haberet eiusdem dubii solutionem ex subiecta materia Sacrae Congregationi

[1] Cfr. *Collectan. S. C. de Propag. Fide, pag. 594, n. 1571,* edit. Rom. 1893.

[2] Ubi dubitetur an hoc Tridentini decretum in aliqua parochia publicatum fuerit, ea iurisprudentiae regula prae oculis habenda est, quae docet, *publicationem praesumi, ubi decretum fuerit diu in parochia tanquam decretum Concilii observatum.* — S. C. Concil. *29 sept. 1602.*

[3] Ex cit. *Collect. ibid. n. 1575.* vel cfr. latinas ephemerides, quibus titulus: *Acta Sanctae Sedis in compend.....* studio et cura Vict. Piazzesi, *vol. 26, pag. 639.*

Sancti Officii competere, illud ad hanc detulit solvendum, scilicet: « An decretum S. O. 5 iunii 1889 *generale* pro universa Ecclesia eatenus sit, ut in praxi iudiciali *liceat* praetermittere quaedam praescripta Const. Benedictinae, causamque una sententia claudere? »

In Congregatione fer. IV 16 febr. 1894 Emi Inquisitores generales, cum approbatione SSmi Patris, decreverunt: *Affirmative* [1].

9. Ex ipsis autem verbis decreti 5 iunii 1889 patet, nihil obstare quominus etiam in casibus in eo taxatis, non levi quidem aliqua suadente ratione, ad superiorem iudicem provocetur.

10. Quaelibet porro appellatio *regulariter* facienda est coram iudice qui tulit sententiam, ut ex decretali Innocentii III [2]. Dixi: *regulariter;* fallit enim regula in *casu necessitatis,* e. g. dum copia iudicis *a quo* appellatur haberi non potest; vel si ob metum iustum et gravem, iudicem *a quo* ex causa appellationis interponendae appellans adire impeditus sit. Hisce in casibus appellari debet coram iudice *ad quem,* et postea appellatio intimari iudici *a quo,* ut eius suspendatur iurisdictio, et ulterius in causa procedere non valeat. Quod si copia neque iudicis *a quo,* neque iudicis *ad quem* haberi nequeat, tunc appellari potest coram honestis personis, adhibitis testibus et protestatione quod appellasset coram iudice si alterutrius copia seu praesentia haberi potuisset [3].

11. Appellatio porro ad iudicem superiorem *regulariter* facienda est gradatim *non omisso medio* iudice, seu ad proximum et immediatum superiorem illius *a quo* appellatur, non autem, eo praeterito, ad mediatum et remotum [4]. Sic

[1] Cfr. cit. ephemerides, *vol. 27, pagg. 141-142.*

[2] Cap. *ut debitus 59, de appellationibus.*

[3] Pirhing *lib. 2. tit. 28. n. 83 et seqq.* iuxta cap. *si iustus 73 et ult. de appellationibus.*

[4] Cap. *dilecti 66, de appellat.* cap. *Romana Ecclesia 3 in 6, eod. tit.* — Vide Anacletum Reiffenstuel *lib. 2. decret. tit. 28. n. 54.* cum communi.

ab Episcopo appellatur ad Metropolitam, a Metropolita ad Primatem, a Primate ad Patriarcham, a Patriarcha ad Romanum Pontificem. – Huius ratio statuti est, ne iurisdictiones confundantur, sed sua cuique servetur: ne proximorum superioritas iudicum abeat in contemptum; ut partium parcatur laboribus et sumptibus. Non tamen nulla omnino foret sed imo valida appellatio ad mediatum superiorem omisso medio, si pars adversa, contra quam appellatur, nihil opponat [1].

12. Cum autem Episcopus possit, ut animadvertimus [2], causarum matrimonialium cognitionem vel Vicario suo generali, vel alteri idoneo etiam generaliter committere, quippe quum ad *ordinariam* Episcopi iurisdictionem spectent, neque specialem Episcopi qualitatem vel industriam requirant, hinc inquirendum est, ad quem appellandum sit a delegato vel subdelegato.

Et primo quidem cum Vicarius generalis sive Officialis Episcopi per *generalem Vicariatus commissionem* idem cum Episcopo consistorium, auditorium seu tribunal habeat in iis, quae competunt Episcopo ratione iurisdictionis ordinariae, ac praesertim in causis spiritualibus, hinc sicut generatim non datur appellatio a Vicario ad Episcopum, quia esset appellare tanquam ab eodem ad seipsum [3], dum appellatio est ad maiorem iudicem provocatio, hinc nec in causis matrimonialibus a definitiva Vicarii generalis sententia datur ad Episcopum appellatio. In eiusmodi enim causis Vicarius generalis, non ut delegatus sed ut *Ordinarius* seu *Officialis* Episcopi procedit [4]. Dixi a *definitiva* sententia; nam ab interlocutoria poterit ad Episcopum provocari per viam recursus a gravamine, quia tanquam a seipso probatam corrigeret et emendaret [5].

[1] Ex cit. cap. *dilecti.* — Vide Pirhing *l. c. nn. 88–89.*

[2] *Cap. 7. art. 1.*

[3] Vide Reiffenstuel cit. *lib. 2. tit. 28. n. 62.*

[4] Recole dict. *cap. 7. art. 1. nn. 2–3.*

[5] Cfr. Leurenium in cit. *tract. de Vicario generali Episcopi, quaest. 73–74.*

13. Si autem Episcopus causam matrimonialem speciali mandato alteri proprie *delegaverit* sive ut acta processus tantum conficiat, reservato sibi iure proferendi sententiam, sive ut totam cognoscat causam et sententiam ferat, quaeritur an saltem tunc ad delegantem Episcopum vel ad eius in officio successorem appellandum sit. – Generale iuris principium est, *dari appellationem ab iudice delegato ad delegantem.* Cum enim Ordinarius propriam ac stabilem habeat iurisdictionem, eam abdicare nequit etiam cum totam delegat causam. Unde etiam delegatam iurisdictionem semper potest revocare, secus ac est in delegato, qui cum non propriam sed concessam tantum habeat iurisdictionem, eam in totam subdelegando abdicare potest, ita ut ubi subdelegatus ea uti coeperit, delegatus eam revocare nequeat [1]. – At vero in causis matrimonialibus *vera et proprie dicta appellatio* ab iudice delegato ad delegantem Episcopum non datur. Ratio patet ex iis quae diximus (praec. cap. I. pag. 170). Scilicet, cum per Tridentini decretum *causae matrimoniales* subtractae fuerint Decani, Archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et *Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae,* delegatus ab Episcopo ad iudicandum in eiusmodi causis non potest iudicare nisi vice et in persona Episcopi, in cuius tribunali et sede sententiam profert. Atque ideo si appellatur ad Episcopum ab iniusta seu rerum veritati contraria delegati sententia in causa matrimoniali, non est vera in stricto iuris sensu appellatio ad superiorem iudicem, sed potius recursus ad eundem iudicem per viam *querelae* (praec. n. 4.) pro *revisione* sententiae; et absurdum foret asserere, posse haberi in matrimonialibus causis contra vinculum matrimonii duas illas conformes sententias, de quibus loquitur Benedict. XIV in Const. *Dei miseratione* § 11, unam a delegato Episcopi, alteram ab ipso Episcopo, tanquam in primo et secundo iurisdictionis gradu prolatas, quarum vi *in potestate et arbitrio coniugum* foret *novas* nuptias *contrahere.* Hoc enim

[1] Pirhing *lib. I. tit. 29. de officio et potestate iudicis delegati, n. 107.*

et directe adversatur Tridentini decreto, quo causae matrimoniales examini et iurisdictioni reservantur Episcopi, ut eas ipse cognoscat sive per se, sive per alium idoneum virum; – et insuper in praedicta hypothesi, contra idem synodale decretum, tribueretur Episcopo facultas aliud constituendi pro causis matrimonialibus iudicandis tribunal ab episcopali separatum, in quo, tanquam in primo iurisdictionis gradu, praedictae causae cognosci ac dirimi, et per appellationem dein deferri possent ad suum episcopale tribunal, non pro revisione et per viam querelae, sed tanquam ad secundum iurisdictionis gradum: quod nemo auderet asserere.

14. Hinc cum delegatus Papae, uti supremi Principis, possit *ipso iure* [1] subdelegare causam sibi delegatam [2], exploratum est, quod a delegato Papae subdelegante *causam totam,* appellandum sit non ad subdelegantem, sed ad Papam, ut clare ex decretali Innocentii III [3]. Dum enim is totam delegavit causam, in eo extincta est iurisdictio sibi tradita, et desinit esse iudex; ac ideo ad eum tanquam privatum iurisdictio per appellationem transferri nequit. – Quod si apostolicae Sedis delegatus aliquem tantum causae delegavit articulum, uti si alicui commisit testium inquisitionem ac depositionem, non ad Papam, sed ad ipsum subdelegantem erit appellandum [4]; (idque sive facta eidem sit a Papa delegatio cum clausula – *appellatione remota* –, sive absque eiusmodi clausula). Ratio est quia cum delegatus partem aliquam, e. gr. sententiam sibi reservaverit, in eo radicata permanet iurisdictio; adeoque Papae delegatus non solum in causa principali, sed etiam in causa appellationis eundem repraesentat. Item appellandum est ad subdelegantem non ad apostolicam Sedem, dum is alteri subdelegavit articulum aliquem non iurisdictionalem, sive

[1] Cap. *quoniam apost. Sedes 43, cit. tit.* aliisque decretalibus.
[2] Vide Pirhing *cit. tit. nn. 4–5.*
[3] Cap. *super quaestionum articulis 27,* § *porro, cit. tit.*
[4] Cit. cap. *super quaestionum 27,* § *porro, eod. tit.*

merum et nudum ministerium, e. gr. potestatem audiendi partes absque facultate causam cognoscendi [1].

15. Praedicta autem regula de appellatione *gradatim* facienda ad superiorem iudicem *non omisso medio*, patitur exceptiones. Dantur enim casus, in quibus appellatio ad mediatum fieri potest superiorem iudicem omisso immediato seu proximo. Sic princeps exceptio, iamdiu canonico iure declarata et sancita [2], ea est, ut a quocumque iudice immediate ad Papam appellari possit ex toto terrarum orbe in causis ecclesiasticis et spiritualibus, quas inter eminent matrimoniales, excepto casu nuper citato, quo, ex iuris seu Papae ipsius dispositione, appellari debet a subdelegato ad Papae delegatum, quando is non totam causam seu iurisdictionem totam subdelegavit, sed aliquid sibi reservavit [3]. Ratione enim primatus iurisdictionis, plenitudo potestatis residet in Papa, et ipse est Ordinarius Ordinariorum et omnium inferiorum iudicum, concurrentem cum illis habens in dictis causis iurisdictionem. Id autem iterum expresse docuit ac declaravit oecumenica Vaticana Synodus [4] his verbis: « Et quoniam divino apostolici primatus iure romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium [5], et in omnibus causis, ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse iudicium recurri » [6]. – Neque vero aliis communicando iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam, a se abdicat suam. – Ceteros casus et exceptiones eiusmodi passim DD. enumerant [7].

[1] Vide Pirhing cit. *lib. 1. tit. 29. nn. 109-110 et seqq.* ubi alia de hac re fuse disserit.

[2] Cfr. Pirhing *lib. 2. tit. 28. n. 90.*

[3] Reiffenstuel cit. *lib. 2. tit. 28. n. 58.*

[4] Const. *Pastor aeternus,* cap. 3. Eam habes in latina Ephemeride, cui titulus *Acta sanctae Sedis etc. vol. 6. pag. 40 et seqq.*

[5] Pii PP. VI Breve, *Super soliditate 27 nov. 1786.*

[6] Concil. oecum. Lugdun. II.

[7] Vide Pirhing *lib. 2. tit. 28. n. 90.* — vel potius Leurenium *lib. 2. tit. 28. quaest. 1063,* ubi *undecim* enumerat casus.

16. Quod autem attinet ad *orientales Ecclesias* pro appellationibus *gradatim* faciendis, animadvertendum est, plures orientalium rituum Episcopos. uti Maronitarum, Syrorum, Melchitarum, Armeniorum, Chaldaeorum, Archiepiscopi titulo frui. Verum eiusmodi titulus, saltem hodie, est *honoris*, non autem *iurisdictionis*, ita ut metropolitico iure in alios Episcopos haud potiantur [1]. – Hinc est, ut in causis matrimonialibus ab Episcopi vel Archiepiscopi sententia appellatur ad Patriarcham proprii ritus, et a Patriarcha ad apostolicam Sedem. – Quod si Patriarcha in causis matrimonialibus subditorum suae patriarchalis dioecesis sententiam tulerit, cum agatur de sententia lata in prima instantia, et Patriarcha alium non habeat superiorem iudicem nisi romanum Pontificem, tunc a Patriarchae sententia, si contra sacri coniugii foedus in patriarchali Curia iudicatum sit, pars vel matrimonii defensor appellare omnino debet ad apostolicam Sedem.

17. Appellatione autem interposita, debet iudex *a quo* est appellatum omnia iudicialia acta seu processum, una cum iam lata sententia, per authenticum exemplar seu apographon transmittere ad iudicem *ad quem* provocatum

[1] Synodus Libanensis, Assemano praeside, an. 1736 celebrata, fuse et erudite expositis praerogativis et iuribus, quae ad Episcopos, Metropolitas, Primates et Patriarchas orientales, Antiochenos praesertim, spectabant, eorumque vicissitudinibus enarratis *(par. 3. cap. 4)*, ita prosequitur *(n. 14. pagg. 224-225* edit. Romae 1720*)*: « Quum « devastatis per infideles antiocheni throni dioecesibus, non amplius « servetur antiqua provinciarum divisio, nec supersint Metropolitani, « qui subiectas Episcoporum provincias, ut supra dictum est, regant « et administrent; sed solus reverendissimus dominus Patriarcha omni- « bus sui patriarchatus et nationis Metropolitis et Episcopis praesit, « in eosque patriarchicam, primatialem et metropoliticam iurisdictio- « nem exerceat, Metropolitanis autem nil aliud supra Episcopos con- « cedatur, nisi *honoris titulus et in conventibus primus locus*; id- « circo decernimus et statuimus, ut quaecumque de Metropolitanis « supra allegata sunt, et infra producentur, ad solum reverendissi- « mum dominum Patriarcham restricta sint, donec restituta Orienti « pace, Sedes primatiales et metropoliticae in suum pristinum splen- « dorem, Deo favente, restituantur ».

fuit [1]. – Superiori autem iudici, e. gr. Metropolitano, fas erit novum ex integro processum indicere ac perficere. Attentis tamen personarum locorumque circumstantiis, satius erit nisi aliae rationes aliter suadeant, si iam confecto sibique delato utatur processu, indictis tantum, ac peractis aliquibus investigationibus et interrogationibus, quas pro maiori animi sui securitate peragendas esse duxerit. – Iudicialibus autem actis ad veritatem eruendam expensis, et auditis prius, si id opportunum iudicaverit, in iure vel arte peritis, sententiam et ipse proferet.

18. A prima sententia lata contra matrimonii valorem appellatione pendente vel etiam non interposita, vetitum est coniugibus ad alia vota transire, idque sancitum est sub poenis in eos indictis qui matrimonium ineunt spreto Ecclesiae interdicto, et sub iis praesertim, quae contra polygamos latae sunt [2]. – Item si a secunda sententia irritum declarante coniugii foedus vel altera pars vel matrimonii ex officio defensor pro sua conscientia appellandum duxerit, « volumus, inquit Benedictus XIV, ut firma remanente « *utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias,* « quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a « nobis constitutis subesse decernimus, causa in *tertia* vel « *quarta instantia* cognoscatur, servatis diligenter omnibus, « quae a nobis in prima et secunda instantia demandata « fuerunt » [3].

19. Si vero « secunda sententia alteri conformis fuerit, « hoc est si in secuuda aeque ac in prima nullum ac irri- « tum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel de- « fensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel « appellationem interpositam prosequendam minime cen- « suerit, *in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias* « *contrahere,* dummodo alicui eorum ob aliquod impedi-

[1] Cfr. *Instruct.* S. C. Concilii an. 1840 *in fin.* quam habes infra *in appendice 2a.*

[2] Benedict. XIV const. *Dei miseratione* § 9.

[3] Idem. *cit. const.* § *11.*

« mentum vel legitimam causam id vetitum non sit » [1], – ut contingeret e. gr. si invalidum declaratum fuerit matrimonium ob impotentiam antecedentem *absolutam* et perpetuam viri, non autem ob impotentiam *relativam*.

SECTIO II.

DE RATIONE PROCESSUM CONFICIENDI IN CAUSA DISPENSATIONIS MATRIMONII RATI NON CONSUMMATI.

CAPUT I.

De speciali norma ex iure servanda ad eiusmodi dispensationes impetrandas.

1. Recolenda primum sunt quae Benedictus XIV in Const. « *Dei miseratione* » statuit servanda pro dispensationibus a vinculo matrimonii rati non consummati. Itaque N. 15 praescribit: « Ut huiusmodi instantiae (pro gratia dispensationis *ordine ac rite procedant* volumus ac mandamus, *ut supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur,* in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur; ut Romanus Pontifex eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua postquam suum *votum consultivum* editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur qui pro sua prudentia iudicabit, *an Congregationis resolutio sit approbanda,* vel potius totius causae examen alteri Congregationi vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum ».

2. Porro vero Sacra Congregatio, cui a Romano Pontifice supplicis libelli examen pro voto consultivo fuerit

[1] Idem. *ibid.*

commissum [1], primum omnium excutit, an procedendum sit *per viam iustitiae,* idest *nullitatis* matrimonii, vel potius *per viam gratiae*, scilicet *dispensationis* a vinculo matrimonii simpliciter rati. Hoc autem dubium proponi solet quoties allata fuerit causa quae in disceptationem quaestionemque vocari posset per viam quoque nullitatis matrimonii, exempli gratia: defectus consensus in nuptiarum celebratione stante alterius coniugis vel dementia, aut quod appareat mente captus, vel potius an ut caudex, stolidus, hebes, crassa minerva; aut quod impotentia laboret; aut quod asseratur defectus libertatis in matrimonio inito per metum gravem, iniuste incussum, vel aliae similes causae. Porro enunciatum dubium *triplici* ratione persolvi solet ut sequitur.

3. *Primo:* « Orator utatur iure suo coram Curia episcopali super asserta *nullitate matrimonii,* prout et quatenus de iure ». – Huiusmodi decisione *per se* via dispensationis praecluditur. At iterum huic etiam patet aditus, si lapsu temporis iusta superveniente causa, dum acta iudicialia procedunt per viam iustitiae, oratores instent, et impetrent a Summo Pontifice, ut causa transmittatur ad Sacram Congregationem Concilii, ibique de ea disceptetur sub utroque respectu, *nullitatis* nempe et *dispensationis.* – Sic, ut exemplum afferam « Theresia N. annos septemdecim nata, die 23 decembris 1858, Neapoli rite matrimonium inivit in Ecclesia parochiali S. Liborii cum Iosepho N., qui quadragesimum tertium aetatis annum attigerat, et a praedefuncta uxore septem liberos susceperat. Vel a prima nuptiarum nocte Theresia viri domum petiit: at duos post menses et septem dies haud intermissae cohabitationis, separatione facta coram civili magistratu, ad paternos lares est ipsa reversa. Illico S. Congregationi Concilii preces oblatae sunt, ut matrimonium vel irritum ob Iosephi *impotentiam* declaretur, vel ob non habitam consummationem auctoritate

[1] Plerumque eiusmodi preces remitti solent ad S. C. Concilii, vel ad S. C. supremae inquisitionis. — Pro locis sacrarum missionum committi solent Sacro Consilio christiano nomini propagando.

apostolica *dissolveretur*. Mulieris petitio dimissa fuit sequenti edito rescripto: – « utatur iure suo coram Curia archiepiscopali, super asserta nullitate matrimonii, prout et quatenus de iure ». – Inde ipsa preces suas porrexit Curiae metropolitanae, quae processu ordinato, cunctisque ad tramites Benedictinae Constitutionis absolutis, tandem die 12 maii 1860 iudicialiter definivit; « Dubium fuisse valorem matrimonii inter D. Iosephum et D. Theresiam, quia quamvis moraliter constet de impotentia antecedenti D. Iosephi in matrimonio inter ipsos inito, dubium tamen est, utrum impotentia sit perpetua, necne; idcirco decrevimus, D. Therasiam commendandam esse S. Apostolicae Sedi pro *dispensatione matrimonii* ». - A qua quidem sententia ad S. C. Iosephus appellationem interposuit; ad illius vero tramites Theresia a SSmo super dispensatione disputari impetravit. – Rationibus porro hinc inde deductis, et in medium allatis *ex officio* animadversionibus a matrimonialis vinculi vindice, – « propositis dubiis: I. An constet de nullitate matrimonii in casu. Et quatenus negative, II. An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato non consummato in casu. S. C. rescripsit: *Ad primum providebitur in secundo. Ad secundum affirmative, vetito Iosepho N. transitu ad alias nuptias, nisi consulta prius S. Congregatione*– Die 2 Martii 1861 ».

Ratio primae, et alterius relatae decisionis patet. Dispensationes enim super matrimonio simpliciter rato non indulgentur nisi quando alias provideri nequeat. Hinc si ex casus adiunctis aliquod perspiciatur fundamentum quo declarari valeat matrimonii nullitas, haec expendenda prius est per viam iustitiae, donec alia forsan exurgat gravissima ratio, qua, illa deserta, oporteat incepta prosequi per viam gratiae seu dispensationis.

4. *Secundo.* Si in precibus Pontifici oblatis, praeter causam quae afferri posset etiam in iudicio *nullitatis*, altera sufficiens causa *dispensationis* adiecta fuerit; – vel si ab initio partes adierint ecclesiasticam Curiam, et dum in eadem iudicialis processus conficitur, alteruter coniux, rationabili interveniente causa, supplex Summum Pontificem

roget, ut eo expleto ad S. C. Concilii remittatur, quae tum super *nullitate,* tum super *dispensatione* matrimonii rati non consummati ex integro iudicium ferat, et Papa precibus annuat, remissis precibus ad ipsam S. Congregationem: tunc in utroque casu EE. PP. ad praedictum dubium respondere solent: « Committitur oratorum Ordinario, ut processum in causa nullitatis expleat, eoque confecto, exemplar eius authenticum (quod *transumptum* vocant) ad eandem S. C. transmittat ».

Aliquando tamen, etsi causa exposita in supplicatione probari prius debuisset per viam iustitiae seu in iudicio nullitatis, ab isto tamen dispensatum fuit graviori interveniente ratione. Ad rem affertur exemplum ex thesauro decret. S. C. in *Ianuens. dispens.* die 20 maii 1719 super vinculo matrimonii ratio non consummati, initi ab Anna Maria Pallavicini cum Ioanne Iacobo Imperiale. Causa in medium allata ab Anna vel ab initio per viam iustitiae fuit viri impotentia ob frigiditatem, ex quo capite instabat, ut declararetur nullitas sui matrimonii cum Ioanne initi. At cum hic per dilatorias exceptiones vel contra actricem, vel contra iudicem, conaretur causam aeternitati mandare, Anna preces Romano Pontifici porrexit petens, ut praetermissa iudiciali causa, quae ex culpabili viri agendi ratione, retardata atque impedita fuerat ab anno 1713 ad an. 1718, procederetur per viam gratiae, nempe *dispensationis.* Commissis porro hisce precibus S. C. C., Emi Patres proposito dubio « an procedi deberet per viam gratiae aut per viam iustitiae » – Annae petitioni annuendum esse censuerunt, seu procedendum per viam gratiae dispensationis.

5. *Tertio.* Quando ab actore talis affertur causa, ut vel ab initio procedi decernatur per viam gratiae; – et quando ex processu in causa nullitatis expleto antequam petita fuisset apostolica dispensatio non satis constet de non consummatione matrimonii: in utroque casu Sacra Congregatio rescribit: « Oratorum Ordinario committitur, ut processum conficiat tum de non consummatione matrimonii, tum de existentia causarum in precibus expositarum ».

6. Ex his omnibus patet, duplicem dari procedendi modum ad impetrandam apostolicam *dispensationem* a matrimonio rato non consummato: scilicet aut una simul per viam iustitiae et gratiae, aut per meram viam gratiae. Sit itaque

CAPUT II.

De procedendi ratione in causa nullitatis simul et dispensationis.

1. Praemittendum in primis est, quod in casu, quo S. C. decreverit, ut prius Ordinarius processum rite conficiat in causa *nullitatis,* ut inde omnia per viam *iustitiae* simul et *gratiae* apud illam expendantur; – vel etiam dum causa nullitatis agitur ad meram partium instantiam, alteruter vel uterque coniux a Summo Pontifice impetret, ut causa expleta in prima instantia, remittantur acta ad eandem S. C., ut in praecedenti articulo innuimus, tunc acta immediate transmitti debent ad S. C., non vero ad iudicem secundae instantiae ut fit per appellationem in causa inita ad instantiam alterutrius coniugis impugnantis matrimonii valorem.

2. Ceterum acta iudicialia in prima instantia confici rite debent ut in ceteris causis nullitatis matrimonii, seu servata Constitutione *Dei miseratione* aliisque de iure servandis iuxta *Instructiones* Sacrarum Congregationum supra relatas, ne defectu formae substantialis, acta ad S. C. transmissa, nulla declarentur, – nisi tamen apostolica Sedes dispensaverit, attentis casus adiunctis, a servanda iudiciali forma, ut factum fuit in *causa Veronensi et Vicentina* nullitatis vel dispensationis matrimonii, quod initum fuerat inter puellam Bellati vicentinam et Franciscum veronensem. Cum enim mulier affirmasset irritum fuisse matrimonium, vel saltem dissolvendum per gratiam pontificiae dispensationis, et perpenso quod leges imperiales eo tempore vetassent, quominus processus in eiusmodi causis confici posset apud Curiam ecclesiasticam, S. C. Concilii Antistiti

veronensi demandavit, ut servata in substantialibus forma Const. Bened. XIV *Dei miseratione*, meliori quo posset modo processum conficeret, adstante viro ecclesiastico, qui sacramenti vindicias assumeret. Quo processu S. Sedis auctoritate extraiudicialiter peracto, cum omnia quoad substantiam constiterint, eadem S. C. die 29 ian. 1848 ad dubium respondit: « consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato ».

3. Itaque iudiciali ritu peracto processu, eiusque transumpto ab episcopali Curia ad S. C. C. transmisso, penes hanc causa disceptatur sub duplici ratione, scilicet tam *nullitatis* matrimonii, quam *dispensationis*. Ad id mature peragendum, duo Consultores, unus theologus, alter canonista a S. C. deputantur, ut uterque seiunctim suum votum consultivum *pro veritate* elucubret habita ratione et *validitatis actorum* et *valoris probationum*; item et in sensu *iustitiae* et in sensu gratiae *dispensationis*. Dein matrimonii Defensor suas rationis deductiones, animadversiones, eaque omnia quae ad iugalis vinculi validitatem strenua ac pro viribus sustinendam voce et scriptis necessaria duxerit profert iuxta praescripta in citata Const. *Dei miseratione* Ben. XIV. Advocati a partibus contendentibus adlecti suas exhibent probationum deductiones. Quibus ita comparatis, eiusdem S. C. Secretarius causae statum una cum probationibus ac documentis hinc inde deductis Emi Patribus perpendenda, dubiaque, praefinito die disceptanda ac solvenda in causa *nullitatis* simul et *dispensationis*, hisce formulis proponit:

1° An constet de nullitate matrimonii in casu.

2° Et quatenus negative, an sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato non consummato.

Plerumque autem accidit, ut, primo discusso dubio, causa nullitatis constet quoad substantiam; at vero dubia adhuc supersunt super adiunctis, quae recidunt in rei substantiam et veritatem obscurant. Constat ex. gr. de viri impotentia, at dubium perstat an ea sit antecedens vel potius subsequens matrimonium, an sit insanabilis, vel artis remediis, naturae viribus, tractu temporis sanabilis. Cum

autem non dilutis hisce dubiis, declarari nequeat, irritum ne an validum fuerit matrimonium, tunc si certo constet tum de non consummatione matrimonii, tum de iusta et gravi causa, eiusmodi iudicia et controversiae per *dispensationem* plerumque dirimuntur nisi aliud obstet. Tunc autem ad enunciata dubia responderi solet: « *Ad primum providebitur in secundo; – ad secundum affirmative* ».

4. Ab hac tamen S. C. resolutione, quippe iudicialiter acta et prolata, appellare potest sive matrimonii vindex *ex officio*, sive coniux renuens dispensationem. Qua interposita appellatione, tota causa ex integro in altera Congregatione vel Tribunali proponitur expendenda ac dirimenda ex novis deductis rationibus.

5. His omnibus expletis, R. P. D. Secretarius universam rei seriem una cum S. C. vel Tribunalis voto breviter SSmo refert, qui si votum Patrum confirmet, dispensationem a matrimonio rato non consummato impertitur prout de more.

6. Ad horum omnium confirmationem, utile ducimus pro similibus casibus exemplum referre in causa disceptata per viam *nullitatis* simul ac *dispensationis* ob *peculiarem* quandam viri impotentiam, ac dirempta a S. C. C. die 2 iulii 1862 in voto dispensationis. Sic autem fuit Patribus S. C. exposita quaestio:

« Magno invicem amore compulsi iuvenes Ioannes et Sophia, tres post continuos annos tractatuum, solemniter matrimonium in facie Ecclesiae inierunt die 21 aprilis an. 1858, praemissis de more denunciationibus, quin ullam canonicum impedimentum proferretur. In viri domum mulier adducta, tanta pudoris et verecundiae vi capta fuit, ut ea prima nocte noluerit cum marito cubitum ire, et per duos deinde menses matrimonii consummationi lacrimis et paroxismis renuerit, non obstantibus precibus et ardenti Ioannis desiderio, quo flebat, ut nocturnas pollutiones iugiter ipse pateretur. Sed tandem propinquorum et proprii Confessarii hortationibus et obiurgationibus victa, et amore adaucta, quo erga coniugem flagrabat, in eiusdem vota concessit corpus suum, quomodo viro magis liberet, exhibens. Sed frustra. Copula enim saepe iterumque et frequenter etiam

tentata semper in irritum cessit, eo quod vir ita praepropere semen effunderet, ut vas mulieris expectare nequiret. Super qua re altum voluit Ioannes ut mulier silentium servaret, et si quandoque ab aliis interrogaretur, causam inconsummati matrimonii nunquam renunciaret. Quod Sophia docilis initio praestitit, donec gravibus lacessita propinquorum exprobationibus, inutilia mariti tentamina detegit.

« Interim Ioannes renibus laborare incaepit, ideoque herbarium quemdam adivit, cui et suam ad coeundum impotentiam, et morbum, quo detinebatur, patefecit. Cum vero remedia ab eodem suppeditata nihil Ioannem iuverint, habita fuit ea super re consultatio medicorum, qui morbum diiudicantes, - *insufficienza di attività materiale e lenta spinite* - nova viro medicamina praescripserunt, praeceptumque ab herbario iam indictum, et a Ioanne illuc usque minime servatum, renovarunt, ab uxore scilicet abstinendi. - Cui artis peritorum iudicio coniuges obsequentes separatum torum et cubiculum habuerunt a mense novembris 1858 ad maium 1859; habita interim altera medicorum consultatione, novisque pharmachis adhibitis. Post quae medicus spe confisus, ut ex habita cura novae a marito vires resumptae fuissent, eumdem ad copulam maritalem iterum tentandam impulit; sed nova tentamina pluries repetita haud prioribus feliciora fuere.

« Sophiae eiusmodi conatus haud parum videbantur obesse, ac propterea ut suae saluti prospiceret, die 27 octobris anni 1859 domum maternam repetiit, et matris et amicorum consiliis instigata neapolitanam ecclesiasticam Curiam adiit die 13 ianuarii 1860, iudicium super matrimonii nullitate instituens.

« Dum autem apud neapolitanam Curiam iudicii processus conficiebatur, Sophia supplex Summum Pontificem rogavit, ut confecta processus acta ad S. C. Concilii remitterentur, quae cum super *nullitate*, tum super *dispensatione* matrimonii rati non consummati ex integro iudicium ferret. Cum igitur benigne Summus Pontifex annuerit rescripto diei 1 iulii 1861, peracto examine utriusque coniugis, nec non septimae manus, eorumque habito solemni iuramento;

inspectis corporibus tum mulieris tum viri, auditoque obstetricum peritorumque iudicio tum super integritate Sophiae, tum super asserta mariti impotentia, ac tandem servatis diligenter omnibus aliis, quae a Benedictina Constitutione praescribuntur, Curia Neapolitana tabulas processuales ad S. C. remisit, una simul cum nonnullis partium allegationibus.

« Praecipuum quod pro muliere argumentum afferri possit, a certitudine desumendum est, quae de impotentia viri obtineri valeat. Atqui de Ioannis impotentia antecedenti et perpetua adesse certitudinem asseveratur in supra memoratis allegationibus; ipso enim Ioanne fatente, certum esse dicitur, eum a primis pubertatis annis contraxisse mollitiei vitium. Certum pariter esse subiungitur, quod quatuordecim annorum aetatem attingens, ope pessimi famuli, frequentare caeperit prostitutarum mulierum domus. Quae mala consuetudo excrevit adhuc amicorum consortio. Hinc contractae *tre volte malattie veneree,* quas pertractavit *con poca attenzione e senza cura radicale.* Hinc iter Lutetiam Parisiorum a Ioanne susceptum huiusmodi morbum curaturus. Hinc vestigia adhuc superextant *del vizio scrofoloso e del sifilitico.* Hinc tandem veniunt dolores, quibus ante matrimonium ipsum Ioannes afflictabatur, nec non medicamina omnia ab eodem constanter et inutiliter adhibita. Quae omnia si cum effectu coniungantur pluries tentatae et frustratae copulae coniugalis, deesse nequit moralis certitudo de absoluta et perpetua viri impotentia.

« Et re quidem vera nefandum mollitiei vitium, quod puerilem inficit aetatem, nec non veneris abusus, haud raro impotentiam producunt. Sed his omnibus praetermissis, satis superque videretur esse in re praesenti factum ipsum de non consummato matrimonio, quod fulcitur Sophiae testimonio cum septima manu, nec non iudicio obstetricum et peritorum super inspectione mulieris, quae virgo reperta est. Quod eo magis retinendum videtur in casu, cum post binos fere annos Ioannes erga iuvenem et formosam amore et desiderio illectus, constantia et omnibus modis copulam tentaverit, quin aliud operaretur, quam

effusionem seminis vix ac mulieris partes attingebat. Ad valorem matrimonii non satis est potentia vas femineum penetrandi, sed desideratur potentia seminandi intra illud: quare potens coire impotens tamen ad semem emittendum intra vas, vel quia nullo modo seminat, vel quia ita praepropere, ut vas expectare nequeat, est incapax matrimonii. Huiusmodi autem facta ex amborum coniugum iurato testimonio firmata, non dubiam vel probabilem persuasionem ingerere videntur, sed omnimodam certitudinem.

« Causae autem *dispensationis* non deficiunt: ac primum impotentia viri, etiamsi superaccessisset matrimonio ante consummationem tantum iusta dispensationis causa esset. Quando impotentia viri adstruitur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non illam exigit certam et concludentem probationem, sed satis est quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, et ad gratiam moveri.

« Altera causa dispensationis adest in corporis mulieris periculo, quod ex cohabitatione coniugum et longiori experimento immineret. Refert enim mulier sub iuramenti religione – quod ex frustraneis consummationis conaminibus arrepta fuerit « *da una tosse, ossia stringimento di gola, che mi faceva morire* »; – quapropter herbarius vetuit Ioanni « *di tentare più unioni* ». Pariterque « *Se oggi sono divisa da lui, ciò è principalmente per non rovinare la mia salute* »; – ac tandem « *Non è a dire quanto io soffrissi di commozione nervosa in tutti questi tentativi, fino a restare anche il giorno appresso tutta spezzata nelle membra* ». Cui consonat testis septimae manus: « *in Novembre mille ottocento sessanta fu consigliato a mia nipote di separarsi dal marito per non soccombere, cadendo nella tisi* ». Augetur verum quam maxime huiusmodi causa si consideretur imminens animarum periculum propter fornicationem et incontinentiam, in quam coniuges incidere possent.

« Tertia etiam causa verificatur in casu, nempe animorum aversio, quae praesertim post inchoatum iudicium exarsit. Inter quae infortunia non ultima erant dicteria ac

frequentes viri minae. Nec praetereunda est quaedam in Ioanne dementia, quae oriri potuit ex eiusdem vitiis ac infirmitatibus.

« Propositis dubiis:

1° An constet *de nullitate* matrimonii in casu.

Et quatenus negative:

2° An sit consulendum Sanctissimo super *dispensatione* matrimonii rati et non consummati in casu.

S. Congr. rescripsit:

Ad primum: *providebitur in secundo.*

Ad secundum: *affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione.* Die secunda Iulii 1862.

CAPUT III.

De modo procedendi unice per viam gratiae, idest dispensationis.

1. Quando non per viam iustitiae simul et gratiae, sed *unice* per *viam gratiae* procedendum est, scilicet quando pontificia tantum petitur dispensatio a coniugio rato non consummato, Sacra Congregatio, apostolicae Sedis auctoritate, committere solet oratorum Ordinario, ut processum conficiat tum super asserta *non consummatione matrimonii,* tum super existentia *causae* vel *causarum,* quas orator in precibus proposuit. Utrumque enim iuridice constare debet, ut praedicta dispensatio impetrari valeat; atque ideo procedendum iuxta praescripta benedictinae Constitutionis « *Dei miseratione* » ac praesertim astante, ac pro suo munere agente iugalis vinculi defensore, ne acta processus nullitate tabescant [1]. – Cum porro superius satis actum fuerit de ratione probandi *causas* pro eiusmodi dispensatione [2], superest tantum ut exponamus *probationes* ex quibus certo eruatur *non secuta matrimonii consummatio.*

[1] Cfr. *causam Cordubensem, dispens.* habitam in S. C. C. die 22 nov. 1760.

[2] *Parte I. cap. IV. art. 3. § 16 et seqq.*

2. Tres potissimum sunt probationes quae ad id a iuribus exiguntur.

Prima est *utriusque coniugis depositio* de non consummato matrimonio, iuramento firmata.

Secunda probatio habetur ex iuratis depositionibus *septem testium* propinquorum viri ac totidem mulieris, vel viciniorum bonae famae si propinqui desint, qui in iure designantur nomine *septimae manus*.

Tertia probatio eruitur ex *inspectione* mulieris, facta a designatis obstetricibus expertis in opere nuptiali, et fide dignioribus, quae iurisiurandi religione testentur an mulier adhuc virgo sit, vel non.

Huiusmodi probationes roborantur *coniecturis* et *praesumptionibus*, quae ex actis colligi possunt.

Nunc autem eiusmodi probationum capita enucleanda sunt ut ratio easdem adhibendi et veritatis ex eis eruendae vis appareat.

3. Et *primo: De coniugum depositionibus*. - 1° Si uterque coniux fateatur non fuisse consummatum matrimonium, haec iurata depositio plurimi habenda est; si tamen ceterae probationes solidae sint et cum coniugum depositione concinant, non vero si istae claudicent vel contrarium ostendant. Et hoc in casu S. C. haud suffragatur dispensationi.

2° Si vero coniugum depositiones discordes sint, illius iuramentum habetur ut verum, cui ceterae concordant probationes quae non consummatum fuisse matrimonium confirment. Sic in casu quo vir a se cognitam uxorem iuramento affirmat, uxor autem negat, seque virginem esse probat, mulieri praestanda est fides, eique ex iusta causa petenti dispensationem, pro hac Sacra Congregatio suffragari solet [1]. - Item in casu quo vir dispensationem a SSmo postulavit, negat cognovisse uxorem, dummodo ceterae probationes eidem suppetant et coniurent amice, quamvis uxor se ab eo cognitam fuisse affirmet, viro praestatur fides, eique dispensationem petenti annuitur. Mulieri enim

[1] Ex cap. *Proposuisti, de probationibus.*

asserenti se cognitam fuisse fides praestanda non est cum solidae probationes contrariae de mendacio et periurio eam redarguant.

3° Si denique coniugum depositiones sunt discordes, ac praeterea probationes collectae ex iuratis depositionibus obstetricum, matronarum et septimae manus infirmae deprehendantur, non conceditur dispensatio affirmanti sub iuramento non fuisse consummatum matrimonium. Obstat enim praesumptio iuris, quod nempe usquedum contrarium non constet legitimis ac solidis probationibus, ei praestanda est fides qui iuramento testatur consummatum esse matrimonium [1].

4° *Secundo: De probatione per testes septimae manus.* – Post iuratam coniugum depositionem, ad examen iudiciale vocandi sunt testes, qui saltem *quatuordecim,* si fieri potest, esse debent, septem nempe ex consanguineis vel affinibus viri, totidemque mulieris, – et deficientibus propinquis, suppleri possunt viciniores bonae famae, quippe qui post proquinquos magis instructi censentur de rebus coniugum. Quamvis porro testimonium septimae manus requiratur in iure [2] ea potissimum ratione, uti in causis *nullitatis* matrimonii ex capite impotentiae, penitus eliminetur suspicio collusionis inter coniuges, tamen ex paritate rationis requiritur etiam in causis *dispensationis* ad probandam non secutam matrimonii consummationem. Hoc autem confirmatur ex *Varsavien.* 16 iunii 1894. Etenim ab Archiepiscopo Varsaviensi oblata fuerunt S. C. C. quaedam dubia circa processum conficiendum in causis matrimonialibus, inter quae illud erat: « An in causis nullitatis matrimonii ex quocumque titulo coram iudice spirituali agitatis necesse sit exigere ut testes *septimae manus* producantur; – an vero id in solis causis ex capite impotentiae devolutis observandum, in ceteris autem omnibus praetermitti possit? » – S. C. C. re disceptata die 16 iunii 1894, respondendum

[1] Cap. *continebatur, de despons. impub.*

[2] Cap. *litterae vestrae,* et cap. *laudabilem, de frigidis et malef.*

censuit: « Negative ad primam partem et testimonium septimae manus, stricto sensu sumptum *exigi ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii* ». - Ergo cum in causis *dispensationis* a matrimonio rato probationes de non secuta eiusdem consummatione tales esse debeant, ut omne dubium penitus excludatur, secus dispensatio a Papa impertiri nequit, hinc clare patet ad removendam vel ipsam suspicionem collusionis inter coniuges, requiri etiam in his causis testimonium *septimae manus* [1].

Quilibet ex his quatuordecim testibus debet ante examen iuramentum praestare de veritate dicenda, *tactis sacrosanctis Evangeliis* ut in iure praecipitur [2]. - Hoc autem iuramentum differt a iureiurendo praestito a coniugibus in hoc, quod coniuges iurare debent de certa scientia, cum ipsi certo noscant utrum consummaverint matrimonium - propinqui vero seu viciniores iurare debent de sola *credulitate*, nimirum attentis circumstantiis, sibi esse *verisimile* quod fuerit vel non fuerit consummatum coniugium, se coniugem verum deponere. Ita de hoc iuramento septimae manus loquitur Sanchez [3].

Cum vero huiusmodi testes ita deponant ex adiunctis, in eorum examine interrogandi sedulo sunt de causa scientiae eorum quae testentur: ex hoc enim pendet maior vel minor probationis vis. Quare dum S. C. C. committit munus conficiendi processum super non consummatione matrimonii, interdum tribunal praescribit ut praedicti testes interrogentur 1° quid sentiant de probitate ac religione coniugum, et num fide digni videantur, 2° ex quo tempore eos cognoverint; - 3° an sciant quamdiu coniuges cohabitaverint, vel separatim vixerint et condormierint; 4° quatenus matrimonium inconsummatum asserant, quam causam huius haberent asserendae rei; et alia quae videri possunt in

[1] Cfr. *Acta S. Sedis in compend. etc. vol. XXVII. pag. 141 et seqq.*

[2] In cit. cap. *laudabilem.*

[3] *De matr. lib. 7. disp. 109. n. 12.*

instructionibus superius relatis, ut in illa S. C. C. edita die 20 Aug. 1840 [1].

5° *Tertio. De tertia probatione non consummati matrimonii ex inspectione mulieris.* Praemittendum hanc inspectionem duplici in casu esse omittendam. *Primo* nempe si mulier erat vidua vel alias cognita quum illud matrimonium iniit de cuius consummatione quaestio est. Eius enim inspectio supervacanea foret, cum iam evanuerint virginitatis indicia. Quare in casu opus est ut cetera argumenta gravioribus rerum adiunctis roborentur [2].

Hic autem animadvertendum, quod quamvis mulier cognita fuerit ante celebrationem matrimonii ab ipso viro, cui postea nupsit, id non officit veritati de non consummato matrimonio, quippe quod nondum extabat; et ideo nonnisi per copulam habitam post eiusdem celebrationem censetur consummatum. – *Secundo* item omittenda est mulieris inspectio quando evidenter constat, impossibile fuisse uxori ut cognosceretur a proprio coniuge; e. gr. si mulier in aliquo satis tuto monasterio degebat dum per procuratorem matrimonium iniit, ibique postea mansit. Sic si constet, virum per procuratorem iniisse matrimonium cum muliere, quam nunquam vidit, ut in casu Pontificiae dispensationis concessae Paschali Christino absque corporis inspectione Isabellae Britti suae uxoris, ut refert Benedictus XIV [3].

Eiusmodi casibus exceptis, *tertia probatio* de non consummato matrimonio eruitur ex iurata depositione facta a designatis *Obstetricibus*, duabus vel tribus, quae, inspecto corpore mulieris, ex servatis virginitatis indiciis inferunt atque testantur, matrimonium non fuisse consummatum. Porro si eae obstetrices sint electae ex peritioribus et fide dignioribus, opportunasque adhibeant praecautiones, atque aptissima referant virginitatis indicia, illarum

[1] Supra relata *Par. 2. cap. 2. n. 14.*

[2] Cfr. Sanchez *op. cit. lib. 2. disp. 23.* in qua de iuramento sponsae non traductae domum sponsi.

[3] *Quaest. canonic. 479.*

iudicium plurimum suffragatur, concurrentibus ceteris a iure praescriptis conditionibus, de quibus inferius. – Interim animadvertendum est, quod quamvis de iure *duae* etiam obstetrices sufficiant ad praedictam inspectionem agendam, tamen iuxta S. C. C. *instructionem* supra relatam, *tres* saltem ad hoc deputari debent, praeter *Matronam,* in cuius domo fit experimentum. – Deputandi etiam sunt *duo* saltem artis *periti,* unus medicus et alter chirurgus, quorum munus est tum ut sedulo instruant Obstetrices de iis quae recognoscenda ipsis sunt visu et tactu in muliebrium inspectione, tum ut diiudicent de aqua tepente et pura in balneo posita; antequam mulier in ea coram Obstetricibus et Matrona immergatur.

Hae autem sunt conditiones quae de iure requiruntur ut Obstetricum et Matronae testimonium in iudicio fidem faciat: – Requiritur 1° ut ipsae sint honestae, bonae famae et prudentes, non vero leves aut viles, ne pretio illectae ac subornatae, falsum deponant [1]; 2° ut sint artis peritae et ad hoc idoneae [2], atque ideo nec defectu experientiae ob nimiam iuventutem, nec defectu visus ob nimiam senectutem laborent; – 3° ut pertineant ad ipsam *parochiam* feminae inspiciendae [3], si tamen in ea adsint quales esse debent, secus quaerendae sunt extra parochiam illius; – 4° ut sint electae ab ipso iudice ecclesiastico, non vero a partibus, quum illae potius iudicis, quam testium munere fungantur; – 3° ut omnia adhibeant opportuna media, quibus dignoscere valeant an femina virgo sit vel non. Et ideo ante inspectionem praecedere debet balneum aquae tepentis et purae, et experimentum fieri debet tum per visum, tum etiam per tactum [4]; agitur enim de causa gravissimi momenti [5]; – 6° denique requiritur, ut quaevis electa ob-

[1] Cap. *Fraternitatis, de frig.*

[2] *Ibid.*

[3] *Ibid.*

[4] Colligitur ex *cap. pen. de probationibus,* et fuse exponitur in cit. *Instructione* S. C. C. 22 aug. 1840.

[5] De hoc tamen balneo adhibendo silet *Instructio* S. C. Sancti Officii 20 iunii 1883 ad Episcopos orientales, superius relata.

stetrix ante inspectionem iuramentum praestet, praesentibus coniugibus, de fideliter obeundo munere sibi concredito; et expleta inspectione, depositiones suas coram iudice, coniugibus absentibus, relatas iterato iuramento confirment, at non de omnimoda certitudine testari debent, sed de verosimili opinandi ratione quam ex artis peritia assecutae sunt [1]. – Obstetricum relationes medicorum iudicio subiiciantur, ut suam de iisdem sententiam proferant. Imo « quamvis regulariter, ut scribit Sanchez, ad mulierem inspiciendam eligendae sint matronae, honestatis gratia, ut constat ex cap. *proposuisti*.... at ubi agitur de qualitate altiorem peritiam ad iudicandum desideranti, quam quae in feminis reperiretur, ne probationum facultas pereat, aut matrimonium validum dissolvatur, vel irritum approbetur, Medici periti adhibendi sunt, qui feminam aspiciant, quod huius rei gravitas ac necessitas praeponderet naturali honestati, sicut a Medicis aspicitur ubi necessitas urgeat morbi Et prob. etc. » [2].

Cum autem praedictae tres probationes roborandae sint vehementibus praesumptionibus et coniecturis, si quae ex actis suppetant, quaeque ad credulitatem cogant, ex pluribus quae haberi possunt, aliquas hic, speciminis gratia, innuisse iuvabit.

Prima est iuris, quum nempe coniuges cohabitaverint, condormierint, et diu tacuerint. Vehementissima tunc oritur consummationis praesumptio [3]. Haec tamen praesumptio per contrarias et fundatas virginitatis probationes elidi potest. « Condormitio coniugum, inquit Ursaya, non facit ut matrimonium amittat qualitatem et denominationem *rati* quando cum effectu consummatum non fuit (Corrado *in praxi dispens. lib. 8. c. 7. n. 32*). Eo igitur ipso quod talis non consummatio concludenter probatur, sive cohabitaverint et condormierint coniuges sive non, semper verum erit quod matrimonium est simpliciter *ratum*, et consequen-

[1] Sanchez *de matr. lib. VII. disput. 113. n. 15.*
[2] Sanchez cit. *lib. VII. disp. 113. n. 21.*
[3] Ex cap. *litteris 12, de praesumpt.* iuncta Glossa.

ter subiectum Summi Pontificis potestati circa illius dissolutionem »[1].

Altera praesumptio: quando una ex tribus obstetricibus neget mulieris virginitatem, aliae vero duae eam affirment, praesumptio favet duabus virginitatem testantibus, quia virginitas est naturalis, et corruptio non praesumitur nisi probetur.

Tertia: idem dicendum si duae virginitatem affirmantes, peritiores sint illa quae negat. Tunc enim praesumitur, negantem ob suam imperitiam ab aliis discrepasse.

Quarta. Si constet mulierem aegre admodum contraxisse matrimonium, atque animum a coniuge aversantem patefecisse statim ut illud iniit, neque unquam induci potuit, ut paterna domo relicta, domum coniugis se transferret: ex hoc vehemens praesumptio oritur de non consummato matrimonio.

Quinta: Pertinax contumacia alterius coniugis vertente causa dispensationis ab alio coniuge petitae, gravem ingerit praesumptionem de non secuta matrimonii consummatione.

Eiusmodi paucae praesumptiones, quin alias afferamus, sufficiunt ad ostendendum quam gravis momenti ipsae sint in causis *dispensationis* a vinculo matrimonii rati.

CAPUT IV.

De nonnullis quaestionibus circa facultatem processum conficiendi in causis pontificiae dispensationis a matrimonio rato, illumque absolvendi ac mittendi ad Sacram Congregationem.

Ad exhauriendam materiam de processu conficiendo in causis dispensationis a matrimonio rato non consummato, sequentes quaestiones solvendas aggrediuntur. Sit itaque:

§ 1.

Quaestio prima: « An sine speciali Apostolicae Sedis seu Sacrae Congregationis permissione seu delegatione vel

[1] Ursaya *Discept. eccl. tom. 2. par. 1. discept. 3. n. 45.*

mandato liceat Ordinario Oratorum excipere preces et instituere processum ad id ut impetrari eo valeat a Summo Pontifice praedicta dispensatio ».

Exploratum principium est, ius potestatemque conficiendi processum oriri in iudice ex obiecto quod per sententiam iudicari debet, ita ut processus habeatur tanquam medium necessarium ad finem. Quare si iudex in illo obiecto seu in illa materia nullam habeat iurisdictionem seu, ut dicitur, competentiam ad iudicandum per sententiam definitivam, processum conficere nequit. Non habet enim imperium ad citandas partes, eisque alios actus iudiciales imponendi sub poena contumaciae, quae non admittitur nisi per inobedientiam iudici competenti; cum, iuxta effatum, *incompetenti iudici impune non pareatur.* Et sane si Episcopus excipiens preces feminae, in sua dioecesi cum suo coniuge domicilium habentis, de ineundis iudicialibus actis ad dispensationem impetrandam a vinculo sui matrimonii, quod illa asserit ratum et non consummatum, citaret ad suum tribunal eius virum, hic profecto respondere posset, nolle iudicio se sistere, quia solus Papa, non vero Episcopus, eiusmodi dispensationem impertire valet, et ideo in ea causa non esl iuridicus seu *competens* iudex Episcopus. Sententia enim est pars finalis et substantialis processus, ad quam ordinari necessario debet tela iudiciaria. – Hoc itaque sensu intelligenda est paragraphus decimaquinta Constitutionis *Dei miseratione* Bened. XIV, et praesertim haec verba: « *mandamus ut supplex libellus nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur* (plerumque ab Ordinariis) *in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat* ». Clare patet hic Pontificem loqui de factorum relatione *extraiudiciali* a supplicante exarata, semota qualibet iudiciali forma. Ita vero decrevit Pontifex quia omnino gratiosae erant huiusmodi causae et rariores, non vero frequentes

ut nunc, nec iudiciali contentioni necessario implicitae, ut hodie evenit quando causae ex impotentiae capite vel ex alio quocumque dirimente impedimento, dissolvuntur, si fieri potest per dispensationem a matrimonio rato non consummato. Hisce itaque in casibus ex Apostolicae Sedis delegatione Ordinarius processum conficit super non secuta matrimonii consummatione et causis pro pontificia dispensatione, non vero quasi iure proprio, quidquid alii contra senserint ut Bouix agens de modo servando in eiusmodi causis dispensationis matrimonii rati non consummati [1].

§ 2.

Quaestio secunda. « An, absoluto causae processu, ex titulo physicae viri impotentiae, quum inspectio corporum demonstravit virginitatem uxoris, non tamen plane evicit impotentiam mariti, liceat mittere acta causae ad S. Congregationem pro impetranda Summi Pontificis dispensatione ».

Quaestio tertia: « An si uxor virginem se esse contendens, virginitatemque suam per inspectionem evincere sustinens, maritum impotentiae insimulat; is vero contumax est, vel comparendo negat se esse impotentem, sed inspectioni succumbere renuit, – liceat unilateraliter idest ad solam uxoris instantiam processum ulterius tractare, ac deinceps acta ad S. Congregationem mittere pro petenda pontificia dispensatione ».

« Has duas affines quaestiones iungendas esse censemus, quia eisdem fere rationibus diluuntur.

Itaque materies seu obiectum iudicii est actio vel personalis, vel realis, vel mixta. Quando igitur a parte actrice promovetur in iudicio actio nullitatis matrimonii ex capite impotentiae, iudex Ordinarius competens emittit decretum citationis, et contumacem mediis coercere legitimis potest ut in causa procedat. At si id non expediat, vel si his non obstantibus contumacia haud perfringitur, tunc iudex ad instantiam partis diligentioris procedit ad eas comparandas

[1] Bouix *de iudiciis II. c. 3.*

probationes, quas suapte natura efficaces esse existimat in iudicio de nullitate coniugii ex capite impotentiae.

Quod si his aliis exquisitis argumentis probari nequeat morali certitudine viri impotentia, et is sit in omnibus contumax, aut duntaxat corporis explorationi subiacere pertinaciter renuat, hisce in adiunctis Episcopus de impotentia sententiam ferre non posset, sed tamen processum iam inceptum deberet sententia definire, decernendo non constare de nullitate ex viri impotentia ob huius contumaciam, quamvis gravissima extent indicia de eiusdem impotentia ob exploratam mulieris originalem integritatem.

Verum hisce in adiunctis si mulier sibi consulere velit postulando a summo Pontifice dispensationem a matrimonio rato non consummato, plane utitur iure suo, et Episcopus acta causae seu acta processus coniugi petenti dictam dispensationem apostolicam denegare non potest, neque ea ulla indigent sanatione ex eo tantum capite quod fuerint ab initio inita et confecta pro nullitatis causa non vero ex apostolica delegatione pro gratia dispensationis. Dixi quod Episcopus hoc in casu iure non posset denegare coniugi, cuius res interest, acta causae. Compertum enim est, distingui debere *acta iudicii* ab *actis causae*. – Acta *iudicii* dicuntur illa quae attinent ad ordinationem iudicii, ut sunt citatio, litis contestatio, termini perentorii aut utiles, aliique eiusmodi. – Acta *causae* appellantur illa quae spectant investigatianem veritatis ad litem dirimendam, ut sunt testium depositiones, instrumenta, confessiones aliaeque omnes probationes in acta redactae.

Iam vero, perempta instantia seu expleto iudicio, *acta iudicii* nullam vim vel effectum habent in alia instantia; – sed « *acta causae* seu acta *probatoria,* ut scribit Reiffenstuel, coram legitimo iudice in uno iudicio, fidem faciunt in alio iudicio quando inter easdem personas, atque in ordine ad eundem effectum producuntur, dummodo non varietur modus agendi.... » [1]. Ita Pirhing [2] cum communi. –

[1] Reiffenst *lib. 2. decret. tit. 1. n. 187. et seqq.*

[2] Cfr. Pirhing *eod. lib. et tit. n. 94, praeviis n. 94 et seqq.*

Igitur *acta causae* in iudicio ex capite impotentiae plenam habent probandi vim, si tamen legitime sint confecta, etiam in alia instantia coram Summo Pontifice ad impetrandam dispensationem a matrimonio rato non consummato.

Porro huiusmodi quaestiones in forma dubiorum propositae in citata Varsavien. ut supra soluta fuerunt die 16 iunii 1894. Ad I enim dubium seu quaestionem respondit: *Negative ;* - ad II et III: *Affirmative* [1].

§ 3.

Quarta quaestio: « Quando proceditur unice per viam gratiae seu dispensationis a matrimonio rato, ita ut processus conficiatur per delegationem Sanctae Sedis, quaeritur an alterius coniugis contumacia impediat quominus ulterius procedatur ».

Etiam in causa dispensationis ad instantiam coniugis inita, alterius coniugis contumacia prorsus non impedit, ut iudex acta processus ulterius prosequatur, et sic actor seu actrix suum finem attingat. Hoc enim in casu Sacra Congregatio applicare consuevit decretalem « *Quoniam frequenter* ad tit. *Ut lite non contestata etc.,* ubi Innoc. III permisit proferri sententiam definitivam « *Si contumax apparuerit is, in quem fuit actio dirigenda... quia impedit, ne possit ad eum citatio pervenire.* - Quare in *causa dispensationis* a matrimonio rato non consummato, disceptata die 16 aug. 1783 inter coniuges marchionem Spinolam et marchionissam Mariam Brignole, quamvis vir in contumacia persisteret, ac testes proferre recusaverit, constita non consummatione matrimonii, S. C. respondit: *consulendum SSmo pro dispensatione a muliere petita.* - Sic etiam non obstante pertinaci mulieris contumacia in causa dispensationis inter Leonem N. et Mariam Iosephinam N., die 12 octob. 1852 impertita fuit dispensatio a viro petita.

Neque mirum: contumacia enim alterutrius coniugis non impedit, ut concludenter probetur non secuta matri-

[1] Cfr. *latinas ephemerides*, seu *Acta S. Sedis in comp. redacta* studio Victorii Piazzesi, *vol. 27, pag. 153.*

monii consummatio. Hisce enim in adiunctis sat est si probationes tales sint, ut certitudinem moralem pariant de non consummatione, ut DD. docent. Huiusmodi autem probationes erui possunt quamvis alter coniux perstet in sua contumacia. Sic si ex. gr. pars contumax testes producere detrectet, iudex illos requirere et advocare in iudicium poterit ex officio, ut actum fuit in citata causa acta inter Spinola et Brignole. Cum enim vocati non fuerint ad examen propinqui et affines vel viciniores mulieris contumacis, S. C. distulit resolutionem, et scribi iussit Episcopo, ut mulieri congruum iuxta prudens suum arbitrium praestitueret terminum ad inducendos testes pro septimae manus examine; quo termino inutiliter elapso, Archiepiscopus ipse procederet ex officio ad examen illorum, qui sive quae consanguinei aut amici, vel uti familiares domus mulieris ad testimonium ferendum idonei magis comperirentur, iuxta instructiones dandas a D. Secretario una cum Defensore matrimonii.

Confecto autem regulariter in Curia episcopali processu super non consummatione matrimonii et super existentia causae canonicae vel plurium causarum si extent, universi processus acta exscribi et in forma authentica mitti debent ad eamdem S. C., cuius commissione et iussu exarata fuerunt, eisque adiici possunt partium allegationes. – Omnino autem requiritur, ut una cum processu mittantur *animadversiones* defensoris matrimonii ex officio. Illis enim deficientibus, processus in causis matrimonialibus integer non est, quia a sacris canonibus haec opera defensoris officialis requiritur. – At nullibi in iure praescribitur ut actis processus inseratur *votum canonistae ac theologi*. Quare in citata Varsaviensi ad consonum dubium, an opiniones theologi et canonistae necessario mittendae essent cum actis iudicialibus, S. C. die 16 iunii respondendum censuit: *Negative* [1]. – At vero optime se geret Episcopus si suis literis, quibus ad S. C. acta mittit iudicialia, adiiciat

[1] Cfr. cit. *ephemerides,* seu *Acta S. Sedis in comp. redacta, vol. 27, pag. 153.*

etiam, prout in Domino expedire iudicaverit, graviora argumenta, novasque rationes, quae ex actis haud emergunt, quaeque et clarius excludant matrimonii consummationem, et causae iustitiam, gravitatem vel alia quae magis urgere videantur ut dispensationis gratiam impetrari valeat.

Antequam autem mittat ad S. C. acta processus, Ordinarius debet citare partes ut eorum iura rationesque exponant coram designata S. C., et authenticum exemplar huius citationis eidem processui adiicere debet.

Demum si coniuges sint *pauperes,* prae oculis habito eorum in civitate statu, ita ut graves iuridicae actionis sumptus pro advocatorum opere aliisque ad rem necessariis, impendere non valeant, partes sive per se, sive per Episcopum, rogatum adeant Summum Pontificem, qui benigne indulgere solet, ut causa proponatur in S. Congregatione *oeconomice* cum voto theologi et canonistae et cum animadversionibus defensoris matrimonii ex officio. – Quo in casu etiam Episcopi, utpote qui sunt praecipui pauperum patres, ita se gerunt, ut in suis ecclesiasticis Curiis tum causae defensor, tnm alii officiales operam suam gratis praestent.

PARS TERTIA.

DISCEPTATIONES CANONICAE

IN CAUSIS, QUAE DE MATRIMONII VALORE PASSIM ET POTISSIMUM ORIUNTUR EX QUIBUSDAM IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

DISCEPTATIO PRIMA.

De matrimonii nullitate inspecto consensu, domicilio, impropria cultus disparitate.

ARGUMENTUM.

In hac causa, exposita actorum serie, triplex instituitur quaestio, scilicet:

1ª *De consensu,* in qua plura de natura consensus et mediis eiusdem praestandi ad valide vel invalide matrimonium ineundum.

2ª *De clandestinitate,* in qua ob Tridentini decretum iubentis praesentiam parochi et testium, plura de proprio contrahentium parocho disseruntur. Unde

a) **de domicilio et quasi-domicilio;**
b) **de vagis;**
c) **de parochi vel Ordinarii delegatione.**

3ª *De matrimonio mixto* seu inito inter contrahentes quidem baptizatos, at cultu, lato quidem sensu, dispares, alterum catholicum, acatholicum alterum; in qua ob praefatam Tridentini legem fuse agitur de haereticorum *locali* vel *personali* exemptione ab ea lege; unde etiam de rationibus *declarationis* Benedicti XIV circa matrimonia Hollandiae et Belgii, aliarumque Sanctae Sedis *resolutionum.*

I.

De matrimonii nullitate inspecto consensu, domicilio, impropria cultus disparitate.

1. Litteris diei 24 augusti anni 1871 R. P. D. S. C. Concilii Secretarius mihi significare dignabatur, Sanctissimum D. N. iam inde a die 3 iulii d. a. benigne indulsisse, ut haec causa quae inscribitur « *Nullitatis matrimonii* » ex defectu iurisdictionis in sacerdote adsistente celebrationi eiusdem matrimonii inter Titium et Caiam sequutae die 18 iulii an. 1863, stante coniugum paupertate, oeconomice proponeretur cum voto theologi et canonistae, cum animadversionibus defensoris matrimonii ex officio, atque ab Eminentissimis Patribus S. Concilii Tridentini interpretibus in gradu appellationis dirimeretur. Hinc, transmissis per authenticam copiam actis iudicialibus in episcopali Curia civitatis N. confectis, idem amplissimus Praesul *canonistae* munus mihi concredere duxit, ut de iisdem actis sententiaque ab eadem Curia in primo iurisdictionis gradu prolata opinionem meam proferrem. Quod ut pro meis viribus, ordine iuxta ac claritate, perficerem, eorumdem actorum seriem inde ab limine brevius, quo fieri potuit, exponere sategi ut sequitur.

ACTORUM SERIES EXPONITUR.

2. Caia apud parochiam s. Francisci cuiusdam italicae dioecesis, in lucem edita, septem aut octo vix annos nata, natali solo abscedens una cum amita, cui nomen Rosa civitatem N. petiit. Thusciam deinde profecta, quinque cir, citer annos apud virum praedictae suae amitae alibi degit, quocum ad eandem urbem reversa, sibique praemortuis prius unico, quem habebat, fratre, deinde matre ac tandem patre, ibidem paullo post nupta fuit cuidam Sempronio. Et tum tempore quo vir eius vivebat, tum postea, ab anno scilicet 1859, quo eo fuit a morte viduata, usque ad praesens, verum ac reale domicilium ut dicta civitate N. per

vices habuit in tribus eiusdem civitatis parochiis, ac demum a mense maio an. 1863 usque ad diem 8 maii 1869 (Actor. fol. 34) domicilium tenuit proprium, uti vidua et suis orbata, in parochia sancti Laurentii, domo signata n. 4, secum retinens duos filios a defuncto viro susceptos.

Ne autem quaelibet relate ad Caiae domicilium notitia desiderari videatur, illud notandum est, quod ipsa aestivo vel autumnali tempore apud praedictam suam amitam quotannis divertens, per unum circiter mensem in praefata sancti Francisci parochia rurabatur, nedum sui sed et filiorum animos viresque recreandi causa tautum (Cfr. Actor. fol. 8–9; et Allegat. sub litt. B).

3. Interim Caia, ut sibi suisque filiis prospiceret, lucrum captabat, hospitio excipiendo in praedicta domo aliquot viros convictorum nomine. Hos inter accensebatur Titius filius naturalis cuiusdam feminae, quae postea nupsit cuidam viro, ab eoque natus die 8 augusti 1836 in Helvetia (Alleg. F.), religione lutheranus, professione lithographus. Quamvis autem non constet ex actis quo anno praefatus Titius ad praedictam venerit civitatem, illud tamen compertum est, quod saltem a quatuor annis ante matrimonium, de quo inferius, in ea morabatur. Iam inde enim ab anno 1859, quo e vita migravit Sempronius, Caiae notus erat Titius (Alleg. B. in fine. - Actor. fol. 17), cui lapsu temporis tantum illa detulerat futurarum nuptiarum intuitu, ut praefatam domum, quam ipsa suis sumptibus suaque re familiari tenebat, nomine tamen Titii conduxerit (Alleg. B). Inde autem patet et Titium hac in eadem domo una cum Caia domicilium statuisse. Et quamvis etiam ipse ad parochiam s. Francisci se aliquando contulerit, ibique aliquot diebus manserit, id profecto nunquam eo animo fecit ut aliud ibi domicilium vel quasi domicilium acquireret, sed vel rurandi causa, vel ut Caiam sive aestivo sive autumnali tempore ibi degentem inviseret, vel denique ut cum illius parochiae parocho consilium conferret, matrimonii contrahendi causa (Actor. foll. 9–17 et passim).

4. Titius itaque ex communi habitatione et victu, familiaritate contracta cum Caia, eam in uxorem ducere sta-

tuit, quamvis ipse aetatem ageret viginti et octo annorum, illa vero iam triginta trium, et insuper vidua duobus filiis gravata. Ineunt itaque privata sponsalia, quamvis illicita et invalida, utpote promissiones de re moraliter detestanda (Card. Petra, *ad Const. Ap. t. 4. ad Const. 12. Ioan. XXII. num. 6*). At cum huic ineundo matrimonio, quia illicito, maxime obstaret cultus disparitas inter baptizatos, quod ipse haereticae sectae, illa vero catholicae Ecclesiae religionem profiteretur, facilioribus student mediis, quibus metam attingant. Resciverant autem, neminem parochorum civitatis N. huic matrimonio ad formam Tridentini astaturum, deficiente apostolicae Sedis dispensatione; hinc Titius ex ignorantia potius quam ex malitia reputans, alterutrum parochum, *originis* nempe vel *domicilii* unius ex contrahentibus, posse ad libitum valide matrimoniis assistere, statuit eligere parochum originis Caiae, illum scilicet s. Francisci, ratus fore sibi facile huius parochi assistentiam obtinere, stante eiusdem senili debilitate, seu potius imbecillitate, addita longius accersita futilique ratione de amitae voto sponsis nuptiarum prandium parandi (Actor. fol. 18 et alibi). Quare illum parochum quadam die adivit, qui omnes difficultates ad matrimonium cum Caia ineundum pro suo lubitu ita composuit, quasi nulla iura urgerent in casu, nullisque ipse teneretur obligationibus, dum pluribus tenebatur, ut cuique patet, sive quae ad *liceitatem*, sive quae ad *validitatem* illius matrimonii pertinebant. Agebatur enim de coniungendo matrimonio mulieris catholicae cum viro acatholico et alienigena, quique suae parochiae iurisdictioni haud subiecti erant. Sed bonus ille parochus his omnibus posthabitis, praesertim delegatione a quo de iure (Actor. fol. 9-18), excepta a Titio quadam attestatione ab se non intellecta, quippe teutonica lingua exarata (Actor. fol. 18 R. ad 6), huic iterum baptismum confert *sub conditione*, teste Aloisio C. (Alleg. X), quod Titius recipit animo duntaxat ritum qualemcumque patiendi ad matrimonium necessarium; atque uno eodemque die festo duabus tantum proclamationibus in sua parochiali Ecclesia peractis, tertia neglecta tamquam non ne-

cessaria, ad matrimonium nuncupandum procedit (Actor. fol. 18-19-20 - Alleg. B).

5. Revera, die 18 iulii 1863, Titius et Caia una cum duobus testibus Ludovico et Francisco a civitate N. discedentes, ad parochum s. Francisci se conferunt, et ab eo petunt ut huic matrimonio assistat. Eorum votis morem libentissime gerens ille parochus, eos ad parochialem Ecclesiam ducit; sponsorum ac testium nomina non semel exquirit; ac tandem ad formam in Rituali praescriptam (quamvis in verbis proferendis valde lingua implicaretur) sponsos de mutuo ad matrimonium consensu de praesenti interrogat. Verum parocho ita interroganti Titius quidem affirmative iterato respondit; at Caia nullum omnino responsum dedit, et ex actis haud clare erui potest an aliquo signo, puta oculis, vocis modulo, nutu, consensum *explicite* ac *directe* expresserit. Illud tantum Titius deponit, quod Caia annulum a parocho benedictum et a se exhibitum libenter excepit. Parochus nihilominus, nullo a sponsa accepto responso vel signo certo et explicito, quod sciam, de praestito ad hoc matrimonium consensu de praesenti, ulterius ad finem usque procedit, et sponsis ac testibus comitantibus, domum reversus, incompositum dictat testimonium in libro matrimoniorum, scribente Titio. Eo autem in testimonio non legitur quod parochus sponsos *interrogaverit, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba de praesenti matrimonio coniunxerit* (Ex Ritual. Rom. *forma scribendi coniugatos in 3. lib.*); sed tantum quod matrimonium Titii cum Caia coniunxerit. Interim notandum, quod vix ab Ecclesia egressis sponsis ac testibus, Caia de non dato a se ullo responso parocho interroganti circa consensum ad matrimonium, loquitur, ceteris audientibus nec contradicentibus; immo non defuit qui ad haec subrideret, et alter qui altum hac de re silentium indiceret, addita ratione ne ansa cuipiam daretur ad huius matrimonii nullitatem proclamandam (Cfr. Actor. foll. 10-11, 20-21 et alibi. - Alleg. B-Y).

6. Huiusmodi auspiciis matrimonio inito vel attentato, haud quidem poterant Titius et Caia vitam sibi polliceri in

pace et amore pene coniugali ducendam. Revera, vix primus effluxerat mensis melligenae lunae, et statim inter eos ortum habuerunt iurgia, contumeliae, omnigenaeque iniuriae usque ad verbera. Queis mulier a viro lacessita, et vir zelotypia correptus, ad civilem potestatem deferunt querimonias. His omnibus additis monitionibus a proprio eorum parocho, scilicet Ecclesiae sancti Laurentii, fraterne datis, qui insuper per se mulieri, per alium viro grave dubium iniecerat de ab ipsis initi matrimonii firmitate (Actor. f. 17), factum est ut tandem post quatuor circiter menses a contracto matrimonio, scilicet die 2 novembris 1863, Caia supplices episcopali Curiae preces ab eodem praedicto parocho exaratas porrexerit; quibus breviter enarrata facti specie quoad ea quae maxime afficiebant huius matrimonii nedum liceitatem, sed et firmitatem, postulat ut ab illa Curia relaxetur decretum de nullitate sui matrimonii, utpote coram parocho non proprio a se cum Titio initi. Hoc accepto libello Ordinarius extraiudicialiter audit tum Caiam tum Titium, qui factum enucleant et fusius exponunt. Visis huiusmodi depositionibus, et attenta principe clandestinitatis ratione, idem Ordinarius decreto diei 12 novembris 1863 deputat iudicem instructorem ad omnia acta iuris ordine servato peragenda usque ad publicationem processus.

7. Porro omnia processualia acta rite inita, suspensa iacuerunt per integrum lustrum. Cum enim testes, qui matrimonio astiterant, bis in iudicium vocati, nunquam comparuerint, hinc Curia causam comperendinandam esse duxit, et ad diligentiam partium, iugális vinculi defensore ex officio annuente, remisit. Itaque die 24 novembris 1868, processualia acta reassumuntur occasione libelli a Titio porrecti (Actor. fol. 24) quo petebat ut procederetur in causa matrimonii iamdiu a Caia promota. Sic e pulvere causa haec excitata, processualia acta alacriter ac rite iterum prosequuta et absoluta fuisse videntur ad normam Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* [1] et sapientissimae

[1] Cfr. in Appendice *1a* hanc Benedicti XIV constitutionem.

instructionis diei 22 augusti 1840 s. huius Congregationis [1], praesertim quoad solemnitates quae ad actorum validitatem, vi praefatae Constitutionis, requiruntur. Sic, ut praecipua delibemus, nihil desiderandum esse videtur circa expressam deputationem iudicis seu iudicum, qui facultate pollerent procedendi, iudicandi ac decernendi hanc causam; circa constitutionem, iuramentum, adsistentiam defensoris matrimonii ex officio in quolibet actu iudiciali et examine testium (cit. Const. §§ 4–6–7). Itidem rite examinati fuerunt coniuges, qui et ea quae extraiudicialiter deposuerant, paucis rectius expositis, iuramenti religione iterato firmarunt. Similiter alii testes qui reperiri potuerunt, et tum a procuratore ipsorum coniugum rite constituto, tum ab uno et altero matrimonii defensore inducti, examinati fuerunt sub duplicis iuramenti vinculo. In uno vel alio tantum eos, quorum intererat, defecisse dolendum est. Sic, ut unum modo tangam, non intelligitur cur primus et alter matrimonii defensor iudicium *septimae manus* nullo pacto requisiverint, quamvis H. S. C. in citata Instructione pro omnibus causis, quae matrimonii firmitatem respiciunt, illud indiscriminatim praescribat, licet primario in illis exigat, quae ex capite impotentiae aguntur [2]. Hoc autem examen septem testium ab uno, totidemque ab altero coniuge inductorum ex eorum propinquis vel vicinis bonae famae, non parum iuvare poterat ad dignoscendum et veracitatem depositionum eorumdem coniugum saltem ex credulitate, et quae mentis latebris facile latere possunt, quaeque propinquis, amicis vel vicinis aperire dictitando solent coniuges, dissidiorum praesertim tempore. - Sed hoc et similia sicuti iudicialibus actis nullitatem non ingerunt [3]; ita nec substantialibus huius causae officiunt. Depositiones enim coniugum ac testium iurisiurandi religione inchoatae, eodemque solemni vinculo absolutae, abunde

[1] Cfr. in Appendice *2a* hanc S. C. Concilii instructionem.

[2] Cfr. in Appendice *2a* cit. instructionem.

[3] Cfr. in Append. *1a* cit. const. *Dei miseratione* § *7a* et cit. instructionem.

sufficere videntur ad causae huius criterion sibi efformandum; nec ex iis, quae deficiunt, ullo pacto pendere videtur huius quaestionis solutio.

8. His itaque absolutis iudicialibus actis, tum iudex ad acta dumtaxat instruenda delegatus, tum matrimonii defensor, tum partium procurator, ea ad veritatem eruendam satis esse duxerunt. Eo vel magis quod dictus procurator iam in actis declaraverat, non potuisse ad examen inducere Iacobum parochum Ecclesiae s. Francisci, Rosam amitam Caiae, Franciscum testem matrimonii celebrationi adhibitum, quia parochus e vita migraverat die 7 sept. 1865 (Alleg. Z); Rosa itidem vita cesserat die 10 februarii 1869 (Alleg. T); Franciscus vel a die 25 ianuar. 1864 deseruerat habitationem positam in via s. Laurentii, n. 4, nec constabat quo migraverat, vel ubi moraretur (Alleg. U) (Actor. foll. 28-29-44). – Quapropter ab Ordinario loci die 19 novembris 1869, instante coniugum procuratore, processus publicatio decernitur, iudex ad causam cognoscendam ac iudicandam delegatur, et tum validitatis matrimonii defensori, tum coniugum advocato, quos inter lis fuerat contestata, iniungitur ut die 7 ianuarii 1870 ad causam discutiendam in arenam descendant, et conclusiones facti et iuris penes acta exhibeant. Huic decreto obediunt partes, ea tamen contraria ratione, qua quaelibet ab officio suscepto ferebatur.

9. Ad tramites itaque cit. Benedicti XIV Constitutionis, validitatis matrimonii defensor animadvertit praecipue: – Titium, utpote haereticum, subiectum non esse legi Ecclesiae in catholicos tantum latae, qualis est ea quae iubet celebrandum esse matrimonium coram proprio parocho; – neque obstare arbitratur quod altera pars contrahens sit catholica: huic enim Titium communicare contendit privilegium exemptionis a lege tridentina, quo ipse fruitur vel *ratione loci in quo habitat, vel ratione societatis in qua vivit* (Bened. XIV *de Synodo, lib. 6. c. 6. n. 12*); – utramque vero rationem et loci et societatis ad casum quadrare subsumit, immo vero etiam corroborari declarationibus Benedicti XIV die 3 apr. 1752 quoad validitatem matrimo-

niorum Helvetiorum; – nec obstare praesumit quod Titius matrimonium in Italia inierit, in qua Tridentina lex fuit rite promulgata, cum etiam alibi clandestina matrimonia haereticorum valeant, ubi Tridentini decretum fuit promulgatum; – insuper hanc S. C. declarasse die 16 martii 1780, dissimulandum esse circa matrimoniorum firmitatem ab haereticis initorum inter se, quam dissimulationem tacitam importare approbationem affirmat, et communicari privilegium si cum parte catholica; – his concordare autumat declarationes ac instructiones Pii VIII et Gregorii XVI, qui docuerunt, matrimonia mixta clandestine contracta, quamvis illicita, esse tamen valida, et uti talia habenda; – coniuges praeterea aliud domicilium in Ecclesia s. Francisci acquisivisse satagit ostendere, quia eo tum Caia tum Titius frequenter se contulerant animo domicilium inibi acquirendi: hunc animum porro satis declarari atque praesumi putat tum ex facto receptae nuptialis benedictionis ab illo parocho, tum ex testimonio eiusdem parochi, qui in libro matrimoniorum testatur, utrumque coniugem domicilium in sua parochia habuisse; – et ubi haec argumenta posthaberi velint, potuisse demum Titium et Caiam matrimonium inire coram quolibet parocho ex eo demonstrare conatur quod Titius ab Helvetia migrans, habitationem quidem pluribus in locis habuit, sed hac illac circumcursans, et vagorum vivendi rationem usque retinens, nullibi domicilium vel quasi domicilium statuisse retinendum est (Cfr. Alleg. BB).

10. E contra ipsorum coniugum Orator, nedum paucis, sed et incompta oratione, matrimonii huiusmodi nullitatem satis superque patere, ideoque proclamandam esse dictitabat vel ex ipso substantiali defectu consensus ad matrimonium ex parte Caiae, vel ex clandestinitatis vitio, cum initum quidem fuerit coram parocho, sed non coram proprio (Alleg. AA).

11. Itaque iudex ad sententiam hac in causa proferendam delegatus, perpensis libratisque hinc inde rationibus tum a matrimonii vindice, tum a coniugum procuratore

sive voce sive scripto prolatis, tandem die 20 ianuarii 1870 hanc definitivam in causa protulit sententiam:

« Constare de nullitate matrimonii quod Titius et Caia « die 18 iulii an. 1863 coram domino Iacobo parocho Ec- « clesiae s. Francisci contrahere praesumpsere, ex de- « fectu iurisdictionis in parocho assistente » (Actor. fol. 52, Alleg. CC).

12. Ab hac sententia, contra matrimonii supradicti firmitatem lata, validitatis matrimonii ex officio defensor, ad tramites cit. Const. *Dei miseratione* § 8, rite appellavit ad s. apostolicam Sedem seu ad H. S. C., et instituit ut hic actus ad eamdem, una cum conclusionibus iam in causa relatis, transmitteretur, coniugum procuratore prout de iure intimato (Actor. foll. 52-55).

13. Quae cum in facto ita sint, inquirendum nunc est quid iuris in casu. Cum itaque ab H. S. O. decernendum sit an praedicta sententia ab episcopali Curia in primo iurisdictionis gradu prolata, confirmanda vel infirmanda sit, atque ita altera conformis vel difformis enascatur sententia, et coniuges scire valeant an sit in eorum potestate ad alia vota migrandi iuxta sancita in cit. Benedictina Const. § 11, ad id necesse esse videtur, ut illud in huiusmodi causis tritum, et sacrae huic Congregationi admodum familiare diluatur

DUBIUM

An constet de nullitate matrimonii in casu?

SEU

An confirmanda vel infirmanda sit sententia Curiae episcopalis in casu?

14. Huic diluendo dubio maxime conferre videtur si haec tria discutiantur ac dirimantur quaestionum capita, quae ab actorum visceribus exoriuntur, quaeque idcirco Eminentissimorum Patrum sapientiae homillime subiicio, scilicet:

1. An ex iudicialibus actis certo constet de mutuo ac rite praestito ad matrimonium consensu de praesenti inter Titium et Caiam coram parocho Ecclesiae parochialis s. Francisci.

2. An hic idem parochus dici potuerit, et reapse fuerit proprius contrahentium parochus vel eorum saltem alterutrius, ita ut valide coram eo potuerit contrahi matrimonium in casu. – Et quatenus negative ad 2:

3. An sustineri possit huius matrimonii validitas vel ex eo quod Titius ad haereticam societatem pertineat, ita ut non teneretur lege a tridentina Synodo sancita de matrimonio coram proprio parocho celebrando.

15. A *prima* igitur ex propositis quaestionibus incipiam, scilicet:

QUAESTIO PRIMA

De consensu in qua plura de natura consensus et mediis eiusdem praestandi ad valide vel invalide matrimonium ineundum.

Q. « An certo constet de mutuo ad matrimonium con« sensu de praesenti in casu ».

Neminem latet, ad matrimonii validitatem requiri *verum consensum, mutuum, de praesenti et verbis vel aliis signis externis manifestatum.* – Huiusmodi propositio in omnibus suis partibus evidens est tum ipso rationis lumine, tum sacrorum canonum auctoritate. Nam quod ad matrimonii valorem requiratur verus consensus ex parte utriusque contrahentis, idest mutuus, patet ex eo quod matrimonium, uti contractus, est *conventio* inter virum et mulierem: porro *consensus* constituit essentiam *conventionis,* quippe quae est duorum vel plurium in idem placitum consensus *(l. 1. ff. de pact.* § 1; – Inst. *de empt. et vend.).* – Quod consensus esse debeat *de praesenti* nemo non videt, cum per promissionem de futuro fiant tantum sponsalia, non vero matrimonia. Deducitur etiam ex cap. *si inter* 31, *de sponsal. et matr.* – Tandem consensus *verbis* vel aliis *externis signis* manifestari debet. Etenim, uti docet Pirhing « ad valorem matrimonii non est satis ut

contrahentes in obligationem coniugalem de praesenti consentiant, sive *internum consensum* habeant, sed iure quoque naturali requiritur, ut exprimant hunc consensum, eumque mutuo acceptent, prout constat ex cap. *licet 3, de sponsa duorum*, ubi postquam dictum est, matrimonium contrahi per legitimum consensum de praesenti inter virum et mulierem, subiungitur: *ita ut unus alterum, cum mutuo consensu verbis consuetis expresso, recipiat,* vel aliis signis externis, ut supra dictum. Ratio est, quia nullus humanus contractus iniri potest, nisi utriusque contrahentis voluntas exprimatur, et mutuo sibi innotescat » (Pirhing *lib. 4. tit. 1. n. 82.*). – Hunc praeiverat Sanchez, qui ait: « Res est certa inter catholicos, non satis esse consensum internum, sed oportere verbis vel signis exprimi. Cuius contrarium tenuit Wiclef, quem late impugnat Waldens etc. ». Et eamdem ac supra rationem affert, addito quod matrimonium prout sacramentum debeat perfici *signo sensibili* (Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 30.*). Porro, ad valorem matrimonii consensum mutuum nedum per *verba* exprimi posse, ut regulariter fieri debet a valentibus loqui, sed et per alia *externa signa* consensum exprimentia docent communiter DD. cum eodem Sanchez, qui concludit animadvertens: « Concilium Florentinum in decreto de sacramentis, cum singula sacramenta singillatim exponeret, dixit sic: *consensus, per verba regulariter expressus, facit matrimonium:* ubi non dicit, verba esse necessaria, sed oppositum denotavit, dum non dixit, semper adhiberi verba, sed *regulariter,* id est *communiter* » (Sanchez *lib. 2. disp. 31. n. 5.*).

16. Iam vero taliter ne consensum expressit de praesenti Caia ad matrimonium ineundum cum Titio? Ex iudicialibus actis sicut rationes extant, quibus iure deduci posset, defecisse consensum ex parte Caiae, ita e contra rerum adiuncta non desunt, quae suadere videntur, sufficientia non defuisse externa signa, queis, saltem *implicite* et *pro foro externo,* argui et intelligi a parocho et testibus potuerit consensus huiusmodi etiam ex parte mulieris. – Et in primis rationes non desunt ad suadendum de-

fectum consensus ex parte sponsae. Et re quidem vera ipsamet in suis extraiudicialibus et iudicialibus depositionibus, sub iuramenti vinculo iterato declarat, se nihil omnino respondisse parocho interroganti circa consensum de praesenti ad matrimonium cum Titio celebrandum. Ad octavum autem interrogatorium clarius et mentem explicans, ait: « Veramente nulla risposi alla domanda del par-« roco di s. Francesco, e ciò perchè *non mi sembrava che* « *un tal matrimonio fosse benfatto*, mentre non si era « portato alcun consenso come d'uso prima delle pubbli-« cazioni (forsan loquitur hic de sponsalibus solemnibus); « Tizio non era un cattolico, e quindi eravamo andati là « su appunto perchè ci avevano detto che non si sarebbe « trovato alcuno in città che avesse assistito al nostro ma-« trimonio; perciò *non sembrandomi di fare un matrimo-* « *nio come si deve, non potrei dire che intenzione avessi,* « mentre tutto quell'insieme di circostanze, mi fece ripe-« tutamente ridere » (Actor. foll. 10–11). Sedulo hic est attendenda ratio cur Caia nihil respondendum duxerit parocho illam interroganti de consensu; quia nempe animo reputabat, se haud acturam matrimonium prout oportet. Ex contextu sermonis igitur videtur quod Caia non modo nescierit an intentionem habuerit matrimonium ineundi, sed vehemens exurgit praesumptio, ipsam nullum omnino consensum praebuisse, quippe nolebat consentire actui illicito, quia Titius non erat catholicus: unde dixisse videtur: *non sembrandomi di fare un matrimonio come si deve.*

17. Praeterea cum Caia, uti vidua Sempronii, iam facto proprio sciret, matrimonium nonnisi coram proprio contrahentium parocho posse valide celebrari, quid impedit, quominus retineatur, ipsam nedum illicitum, sed et *invalidum credidisse* illud matrimonium quia non celebratum coram proprio parocho, et sic illud arcana mente tantum simulasse?

Verum quod ex depositione Caiae arguere tantum fas est, ipsam scilicet *invalidum credidisse* illud connubium, quippe non coram proprio parocho initum, istud directe

sub duplicis iuramenti vinculo testatur Lucilius, testis ad matrimonium adhibitus. Deponit enim, Caiam vix ab Ecclesia s. Francisci egressam, tempore non suspecto, post matrimonii celebrationem ita sibi mentem patefecisse: « Nel venir via (di Chiesa) io e Caia parlavamo insieme « sul matrimonio, ed essa mi diceva, che quantunque *que-« sto fosse stato un imbroglio, pure si sarebbe ritenuto « valido, perchè avrebbe fatto credere avere lassù il suo « domicilio* » (Actor. fol. 32). Cuius sermonis mentionem facit et ipse Titius (ibid. fol. 21. R. ad 13).

Porro non pauci DD. cum Leurenio *(For. Eccl. lib. 4. quaest. 90)* contra Sanchez tenent quod is etiam qui *falso* existimat subesse impedimentum dirimens, consentire valide non possit in matrimonium, quia absurdum est posse consensum praestari ad id quod sibi est impossibile, stante impedimenti conscientia, licet erronea. Ergo a fortiori serio praestare non potest verum consensum is qui impedimenti dirimentis realiter extantis conscius est, quo in casu Caia fuisse videtur.

18. Ceterum et ipse sponsus ac testes sub eadem iuramenti religione deponunt, nedum *non audivisse verba* ulla, sed *nec signa* aliqua externa consensus ex parte Caiae *percepisse*. Titius enim testatur: « Io risposi affermativamente « *(parocho interroganti de consensu)*. Fu fatta simile do-« manda a Caia, ma io non udii che ella rispondesse al-« cuna parola. Forse avrà chinato il capo; ma io non vidi « *(notandum hic sinceritatis indicium)*. Il parroco però « senza ripetere la domanda, seguitò la cerimonia » (Actor. fol. 21. R. ad 12). Et tractu temporis saepe a Caia dictum fuisse, se nunquam affirmative respondisse parocho interroganti idem Titius testatur (ibid.). – Praefatus autem Licilius firmiter deponit, se nullatenus percepisse nec quod parochus percontatus fuerit sponsos de mutuo consensu praestando, nec quod hi talem consensum praestiterint (Cfr. Actor. fol. 31. R. ad 6. coll. cum R. ad 2. foll. 29-30). – Similiter et alius testis Propertius levir Caiae, qui in Ecclesia voluntarie aderat dum matrimonium celebrabatur, declarat, se non attendisse ad interrogationes, nec perce-

pisse an et quomodo responderint sponsi in actu celebrationis matrimonii (Actor. fol. 41).

19. Iam vero parochus et duo saltem testes debent matrimonio interesse non tantum *physice* seu corpore, sed modo humano seu *moraliter,* idest *animo* et cum *advertentia,* ita ut intelligant quid agatur. Non enim iure praesens esse censetur qui non adest modo humano intelligens et advertens quid agatur: probatur *l. coram Titio 209. ff.* de V. S. « ibi » *Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur praesente eo fecisse, nisi is intelligat.* Et confirmatur expressis verbis Tridentini *sess. 24. cap. 1. de refor. matr.* « ibi » *Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat etc.* Ergo requiritur praesentia humana cum *advertentia.* - Ideo insuper Tridentinum exigit, decreto irritante, assistentiam parochi et testium, ut constet Ecclesiae de matrimonio contracto, deque eo testificari illi queant, ne vivente prima uxore, aliquis possit ducere secundam. Atqui ad huiusmodi testimonium ferendum necessarium omnino est, ita eos praesentes esse, ut intelligant et advertant quid agatur. Et saltem necesse est ut parochus ac testes aliquo sensu percipiant consensum contsahentium, ut si non audiant verba, videant tamen signa mutui consensus. Ita Sanchez *(lib. 3. disp. 39. a num. 1 ad 6),* Pirhing *(lib. 4. tit. 3. num. 22),* Leurenius *(eod. tit. quaest. 153. num. 2)* cum communi.

20. Atqui nec parochus nec testes in themate testificari Ecclesiae possunt, se consensum ad matrimonium percepisse sive per *verba* sive per *signa* aliqua *certa* ac *explicita* a Caia *directe* expressum. Non per verba quae nemo eorum audire potuit, quippe a Caia non prolata; non per explicita signa, quia ea nemo eorum aliquo sensu percepisse testatur (num. 18 praec.). Licet enim in eo defecerit iudex instructor, quod ex officio non interrogaverit sponsos ac testes an Caia saltem *nutu* aliquo externo consensum expresserit, an vero denegaverit; tamen nec unus eorum qui in iudicio testati fuerunt de Caiae consensu, innuit ad *certa* et *explicita* seu directa signa consensus, uti quisque vel saltem aliquis eorum absque dubio fecisset

si quae percepisset. Revera Titius inquit: *Forse avrà chinato il capo; ma io non vidi* (Actor. fol. 21).

21. Neque ad valorem matrimonii *certo* sustinendum ex principe capite consensus confugere utiliter possumus ad ea argumenta, queis et cetera similia negotia probari solent, de quibus Schmalzgrueber *(lib. 4. tit. 1. num. 233)*. Ita non ad publica regesta, seu librum matrimoniorum, quippe, etiam praescindendo a falsitatibus, quibus inficitur documentum de hoc matrimonio, manu Titii, dictante parocho, in eo libro exaratum (Actor. fol. 22), nihil in eo parochus super mutuo contrahentium consensu testatur (Cfr. Alleg. Y), quamvis debuisset *(n. 5 praec.)*; - non ad coniugum confessionem quae contraria est; - non ad iudicialem depositionem parochi qui e vita migravit, quin fuerit examini suppositus; - non ad depositionem testium, qui sponsae consensum non perceperunt; - non denique ad plures *iuris praesumptiones*, uti esset carnalis copula post sponsalia absolute inita, Schmalzgr. *(l. c. num. 115.)*, Pirhing *(eod. tit. n. 27.)* et alia huiusmodi plura a DD. notata ex sacris canonibus. Quantum enim iuri consonum erat ad praesumptiones confugere ante Tridentinum, quando nempe clandestina matrimonia, quamvis illicita, erant tamen valida, ut vel hodie ubi decretum Tridentini non viget (Cfr. Schmalzgr. *l. c. n. 234*): tantum eidem iuri repugnat ad praesumptiones recurrere post Tridentinum Concilium « quod, ut inquit Barbosa, abstulit matrimonia *praesumpta, et solum ea valere voluit, quae in iudicio probari possent* » *(De off. et pot. Episc. part. 2. alleg. 33. n. 148 et seqq.)*.

22. Non obstantibus allatis rationibus, quae suadere videntur, nullum praestitum fuisse a Caia consensum ad matrimonium cum Titio ineundum, vel saltem de eo consensu testimonium haberi non posse qualiter a Tridentino praescribitur, nihilominus rationes e contra non desunt quae huic adstruendo consensui *saltem implicito et pro foro externo* suffragari videntur. Talia enim adsunt antecedentia, concomitantia et subsequentia huius matrimonii adiuncta, ut ex iis, si non explicitus et omnino explora-

tus, *implicitus* tamen erui possit admodum *probabiliter* ad hoc matrimonium *consensus*. Constat enim ex actis, Caiam, sponsalibus initis utcumque privatis et invalidis cum Titio, stata die una cum eo et duobus testibus, nemine ipsam cogente, sed sponte ad matrimonum celebrandum petiisse parochiam s. Francisci; - constat, ipsam et sponsum eo se contulisse rogatum illius Ecclesiae parochum, ut eorum matrimonio assistentiam praeberet; - constat ad hunc finem, ipsos accessisse ad Ecclesiam, stetisse flexis genibus coram parocho et testibus ut consensum emitterent de praesenti iuxta formam a Tridentino praescriptam (Cfr. *num. 5 praec.*). Et reapse parocho interroganti Caia verbum non respondit; at Titius roganti satisfaciens, consensum iterato *verbis* expressit: *post quae viri verba*, Caia annulum a parocho benedictum libenter excepit, uti ambo fatentur: « Tizio disse di sì due volte (ita sponsa), e poi « il parroco benedisse l'anello, e lo diede a Tizio, che me « lo pose in dito » (Actor. fol. 10). Similiter et sponsus iuramento testatur: « Il parroco benedisse l'anello, che io « posi in dito a Caia, la quale lo ricevette con tutta spon- « taneità » (Actor. fol. 21).

Iam vero quamvis immissio et receptio annuli per se loquendo signum sit aequivocum, quia ex aliis causis, puta ex simulatione matrimonii ad turpem tegendum amorem, fieri potest, uti animadvertit Sanchez *(l. c. lib. 1. disp. 22. num. 1)*: non ita tamen iudicandum est cum talia antecedentia, concomitantia et subsequentia adsunt adiuncta, quae consensum saltem *implicite* et *indirecte* praestitum fuisse demonstrent. Praeter enim alia adnotata. nuper adiuncta, huic immissioni et receptioni annuli *praecesserunt verba*, quibus Titius consensum de praesenti dedit ad matrimonium ineundum cum Caia. Atqui « si verba unius praecesserint, ut docet idem Sanchez, *immissio annuli et receptio, operatur verbum expressum alterius et consensum.* Quare si verbum matrimonii praecessit, operatur matrimonium: si vero sponsalium, sponsalia: quia tacens consentit facto ipso dum annulum recepit. *Arg. l. Paulus ff. rem rat. hab. etc.* » (Sanchez *l. c. num. 3*). - Videtur igitur

hoc non esse matrimonium *praesumptum*, sed coniugium initum consensu *implicito* et *probabili* saltem in foro externo, quidquid sit de conscientiae foro si nullum reapse Caia consensum praebens, matrimonium simulavit.

23. Quibus positis prona est ad *primam* quaestionem conclusio. Etenim omnes norunt, leviores probationes sufficere cum agitur de matrimonio sustinendo, quam cum res est de eo dissolvendo, uti animadvertit Schmalzgr. *(l. c.)*. Et « in dubio, ad monitum Cosci, pronuntiandum est pro validitate matrimonii in quaestionibus nullitatis » *(de separat. tori, lib. 3. c. 2. num. 386 et seqq.)*. Idipsum docet et Sanchez ex cap. *ex literis, de probation.*, illud addens quod in dubio de consensu et consequenter de matrimonio, *in utroque foro* (externo et conscientiae) *iudicandum esse in favorem matrimonii (lib. 1. disp. 18. num. 5-6)*.

Ad primam igitur quaestionem responderi posse videtur, probabiliter constare de mutuo consensu in casu, *explicito* quidem ex parte viri, et saltem *implicito* ex parte feminae. Quare si *ex huius tantum quaestionis capite* responderi deberet dubio hac in causa proposito : « An constet de nullitate matrimonii in casu » respondendum foret: *Negative*, ut H. S. C. respondit in *Theatina matrimonii* die 22 novembris 1856.

24. Sed satius est ab hac prima quaestione, attingente signa consensus, praescindere, cum satis superque et firmiori quidem iudicio occurri possit praedicto dubio, resolvendo alteram quaestionem ex tribus propositis *(num. 11 praec.)* Sit igitur

QUAESTIO SECUNDA

De Clandestinitate, in qua quaestione ob Tridentini decretum iubentis praesentiam parochi et testium, plura de proprio contrahentium parocho disseruntur.

Q. An parochus Ecclesiae s. Francisci fuerit *proprius* contrahentium parochus vel eorum saltem alterutrius, ita ut *valide* coram eo potuerit contrahi matrimonium in casu.

Nullo quidem labore haec quaestio resolvi poterit, sedulo recolendo prius quae in *iure,* tum quae in *facto* eam propius attingunt.

Itaque matrimonia, quae contrahuntur absque praesentia parochi et testium, appellantur *clandestina* simpliciter; quae vero absque denunciationibus praemittendis sed coram proprio parocho et testibus celebrantur, improprie clandestina, seu *quasi-clandestina* dici solent (Cfr. Bened. XIV. *De Synod. lib. 13. c. 22. num. 10*). Non de his autem, sed de prioribus hic sermo est.

Huiusmodi clandestina matrimonia nullo non tempore fuerunt ab Ecclesia prohibita, ut constat ex multis sacrorum canonum locis, praesertim ex cap. *nullus 30,* quaest. 5; et graviter quidem vetita, ut innuunt verba Tridentini *(sess. 24. c. 1. de reform. matr.)*: *Ecclesia ex iustissimis causis illa* (clandestina matrimonia) *semper detestata est.* – Verum quantumvis *illicita,* fuerunt tamen semper *valida, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit* (Trid. l. c.). Scilicet iure novo Tridentini clandestina matrimonia nulla et irrita declarantur his verbis: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii « licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium con- « trahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contra- « hendum matrimonium omnino inhabiles reddit, et huius- « modi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos « praesenti decreto irritos facit et annullat ». Ex quibus patet duplici ex capite vi huius decreti matrimonia illa evadere nulla et irrita: videlicet *directe,* annullato per hoc decretum ipso contractu; *indirecte,* inhabilitatis personis ad sic contrahendum.

25. Verum et post Tridentinum valida sunt clandestina matrimonia ubi huiusmodi decretum vel non fuit promulgatum, vel non viget. Addidit enim s. Synodus in fine illius decreti: « Decernit insuper ut huiusmodi decretum in « unaquaque parochia suum robur post triginta dies ha- « bere incipiat a die primae publicationis in eadem paro- « chia factae numerandos ». Ubi ergo decretum hoc Tridentini promulgatum est, etiam ii, qui illud invincibiliter

ignorant, invalide contrahunt matrimonium in absentia parochi et testium; cum lex irritans actum aliquem, obliget etiam ignorantes quoad nullitatem ipsius actus, licet eos non afficiat quoad alias poenas quia deest delictum; et haec irritatio non in poenam clandestine contrahentium imponitur, sed ad detestanda ac avertenda gravissima mala, quae ex clandestinis connubiis oriebantur (Sanchez *lib. 3. disp. 17. num. 10*). Quare in themate nullo pacto suffragari potest viri ignorantia.

a) De domicilio et quasi-domicilio.

26. At vero quamvis sacra Synodus eo decreto sanxerit, matrimonium nonnisi coram parocho et testibus *valide* contrahi; quamvis clare edixerit, parochum illum esse debere, cui subiiciuntur contrahentes: tamen quisnam in specie dicendus sit *proprius* contrahentium parochus, seu cui istiusmodi subiiciantur, minime declaravit, uti notat Benedict. XIV *(Inst. Eccl. 33. n. 3)*. Hinc S. H. C. ab anno 1573 hanc diluere coepit quaestionem de *proprio* contrahentium parocho, statuens: « ad validitatem matrimonii sufficere praesentiam solius parochi *proprii sponsae* aut *sponsi* » quemadmodum refert idem Benedictus (l. c. *n. 5*). Et id quamvis contrahatur matrimonium extra parochiam parochi assistentis, ut eadem S. C. clarius in aliis decisionibus censuit, teste Barbosa *(De offic. et potest. parochi, part. 2. c. 21. n. 45)*. Post illud autem decretum an. 1573, in suis fere innumeris decisionibus ad proposita diversarum causarum dubia, clarius docuit constanterque tenuit, *proprium eum parochum nuncupandum, in cuius parochia domicilium positum habetur,* ut idem testatur Bened. XIV (l. c. *n. 6*), non vero illum in cuius parochia quis *vitae primordia suscepit,* seu proprium esse parochum *domicilii,* non *originis,* quod ex ipsis Tridentini verbis satis aperte deprehenditur. Eo vel magis quia quum parochum vel Episcopum etiam *originis* canones complecti voluerunt, id expresse declararunt, ut pro sacra ordinatione factum fuit. Ita Sanchez *(lib. 3. disp. 23. n. 7)*. – His veluti fundamentis

innititur unanimis Doctorum sententia docens, illum pro celebrandis matrimoniis parochum proprium esse iudicandum, in cuius ditione domicilium constituitur. Quam sententiam unice tenendam esse docuit eadem S. C. cum die 18 novembris 1702 *Mutinensis* causa matrimonii proposita fuit (Bened. XIV. l. c. *n. 6*). « Illa enim, ut Sanchez declarat (l. c.), dicitur proprie parochia et dioecesis alicuius, in qua habet domicilium habitationis; et proinde nomine domicilii in dubio non venit *originis domicilium* sed *habitationis* ».

27. Verum ex dictis nedum pro certo tenendum, *proprium* contrahentium parochum illum in primis esse, in cuius parochia quis habet *domicilium* seu « *habitationem* in loco, *animo* ibi stabiliter manendi » (Cfr. Leuren. *For. Eccl. l. 2. tit. 3. quaest. 72*); sed etiam illum esse *proprium*, in cuius parochia quis habet *quasi-domicilium* (Sanchez l. c. *num. 12-13*), et arguitur cap. fin. *de parochiis*.

28. Porro ut quasi-domicilium quis acquirat, ita ut non mere hospes censeatur, sed habitator et incola, ac proinde *parochianus*, sunt qui tenent, opus esse ut *maiore anni parte* degere ibi velit, animo postea ad proprium domicilium remigrandi, ut contingit in scholaribus, mercatoribus, mercenariis locantibus suas operas. Ita Sanchez (l. c. *n. 13*), Leuren. (l. c. *lib. 4. tit. 3. quaest. 147. n. 1*). - Sed alii conformius iuri sentire videntur, qui tenent, sufficere habitationem cum animo in loco consistendi *per aliquot menses*, praesertim si domus, conclave etc. fuerint conducta. Ita Schmalzgrueber *(lib. 2. tit. 2. n. 19)* cum aliis.

Semel autem ac quispiam *animum* reapse gerat aliquo in loco manendi quamdiu ad *domicilium* vel *quasi-domicilium* acquirendum requiritur, communiter DD. docent, valide ibi matrimonium contrahi etiam statim ac illuc contrahentes appulerint. Sanchez (l. c. *n. 14*), Barbosa (l. c. *n. 35*).

Neque hisce expositis doctrinis illud officit quod Bened. XIV habet in epistola ad Archiepiscopum Goanum sub die 19 martii 1758 [1], in qua cum ex huius S. C. com-

[1] Cfr. has litteras apostolicas in *Appendice 4a*.

muniter recepta sententia docuerit, *nullum atque irritum habendum esse matrimonium, in fraudem proprii parochi, coram parocho alterius loci contractum, in quo ille qui contrahit legitimum domicilium vel quasi-domicilium revera adeptus antea non fuerit:* subiungit, ad validitatem matrimonii in casu satis videri quod « antequam matrimonium contrahatur, *spatio saltem unius mensis* ille, qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur ». Neqhe enim Pontifex ibi statuere voluit aut 1. moram unius mensis sufficere quoad eum qui *animum non habeat* acquirendi domicilium vel quasi-domicilium; – aut 2. viceversa eum qui *hunc animum habeat,* non posse valide contrahere priusquam mensis elabatur; – aut 3. denique sufficere spatium mensis *taxative* ad domicilium vel quasi-domicilium acquirendum. At potius mere indicium tradere voluit Pontifex seu *adminiculum,* cuius ope satis praesumi queat animus figendi in eo loco saltem quasi-domicilium. Id autem vel ex eo evidenter colligitur, quod mox Pontifex subdat, nolle se quaestionem dirimere, an praeter praecedentem *mensis* habitationem requiratur insuper post contractas nuptias subsequens habitatio ad aliquod temporis spatium. Si enim definivisset, spatium mensis sufficere *taxative* ad illud quasi-domicilium constituendum quo posset ibidem valide matrimonium contrahi, eo ipso etiam definivisset, subsequentem habitationem ad aliquod temporis spatium nullatenus esse necessariam. – Hinc decipi hoc in puncto videtur Perrone *(de matr. christ. lib. 2. sect. 1. c. 6. art. 5. pag. 278)* qui adducta praefata Benedicti XIV epistola, *taxative* dictum tenuit *spatium unius mensis sufficere* ad quasi-domicilium. Nec ullo pacto eius opinioni suffragari possunt H. S. C. decisiones, quas invocat, a Fagnano commemoratas (In tert. *Decret.* cap. *signif. nn. 35 et seqq. de paroch.*). Recte enim perpendit Clericatus *(de matrim. decis. 35. n. 19)* ita fuisse hisce in casibus a S. C. decisum, quia contrahentes iam eo in loco *domicilium* vel *quasi-domicilium* assequuti fuerant. Ita etiam sentiebat ipsemet Benedictus XIV antequam Petri Cathedram conscenderet (Cfr. cit. *Instit. 33. n. 9*). – Ceterum in ipsa du-

riori causa *Aquisgranensi*, si *unius mensis habitatio taxative* fuisset accepta ab H. S. C. uti *sufficiens ac necessaria* ad quasi-domicilium acquirendum, iam in dato responso non subiunxisset: *Alias de novo referendum in Congregatione* (Cfr. Fagnan. l. c. *n. 39*). In ea enim hypothesi actum fuisset de illo matrimonio Traiectensium si celebratum fuisset Aquisgrani *post moram mense breviorem* in ea civitate. - Haec sedulo recolere omnino opus erat in themate.

Ex his autem, quae de domicilio et quasi-domicilio disseruntur, sponte fluit, aliquem habere posse *duplex domicilium*, et consequenter *duas parochias*, ita ut coram utrolibet illarum parocho queat valide matrimonium contrahere. Ad rem Sanchez: « Ceterum dicendum est, quando quis duplicem parochiam habitationis sortitur, quod tunc evenit quando *aequaliter* in utraque habitat, ut in hyeme in una, in aestate in altera, posse coram parocho utriusque matrimonium inire. Probatur quia utraque est parochia istius...; ergo non est maior ratio cur alter solus parochus possit assistere matrimonio... Quod autem dixi, requiri ut *aequaliter* in utraque habitet, non intelligas *mathematice*, sed *morali modo*, ita ut sit aequalis omnino aut fere (aequalis) habitatio » (Sanchez l. c. *disp. 24. nn. 2-3*).

29. Sive autem ad domicilium, unum vel duplex, sive ad quasi-domicilium constituendum, duo haec necessario requiruntur *copulative, factum* nimirum seu actualis habitatio, et simul *animus* ibi persistendi; ita ut hoc solo deficiente, censeatur quidem quis habere habitationem, sed non domicilium, licet ibi quis *per plurimos annos perseveret*. Ita post Sanchez *(cit. lib. 3. disp. 23. n. 2)*, Pirhing *(lib. 1. tit. 11. n. 32)*, Leurenius *(lib. 2. tit. 2. quaest. 72; et lib. 1. tit. 11. quaest. 568)*. Probatur ex *l. domicil. C. et ff. ad municipal.* « ibi » *Domicilium re et facto transfertur*. Iuncta gloss. verb. *domicil.* ubi inquit: *Facto subintellige et animo: nam haec duo sunt necessaria.* E converso, sicut nonnisi animo et facto contrahitur domicilium; ita *animo* et *facto* opus est ut transferatur et deperdatur. Quare licet quis animum gerat mutandi domicilium, sed de facto non

deserit iam acquisitum, istud nondum dici potest deperditum (Sanchez l. c. et communiter).

Porro *animus* ille potest declarari tam *verbis* quam *factis*. Dum *verbis* declaratur, omnis dubitatio et suspicio de inde recedendo tollitur, cum in his quae pendent ab animo tuo, simplici tuo dicto standum sit (Menoch. *de arbitr. cas. 84. n. 6 et seq.*). - *Factis* declaratur *primo* ex assidua et diuturna habitatione *(l. 2. C. ubi senatores et clariss.)*: et ita decennii habitationem sufficientem esse ut praesumatur, habet communis, vel etiam brevius tempus arbitrio iudicis (Menoch. l. c. *n. 17*). - *Secundo*, si simul cum habitatione transferatur illuc maior pars bonorum, praesertim cum familia: Barbosa *(de off. et pot. Episc. part. 2. alleg. 4. n. 27)* et alii plures. - Ut vero ex his et similibus coniecturis praesumatur animus ille manendi, *non debent alia iuris praesumptione infirmari* (Cfr. Leuren. l. c. *lib. 1. quaest. 568. n. 1*).

30. Quibus in *iure* positis, videamus in *facto* an parochus s. Francisci fuerit *proprius* contrahentium parochus, vel eorum saltem alterutrius; - an potius *proprius* eorum fuerit parochus Ecclesiae s. Laurentii civitatis N.

Ex dictis apertissime patet, parochum s. Francisci dici non posse ratione iurisdictionis *proprium* contrahentium parochum ad *valide* assistendum eorumdem matrimonio, nisi constet vel 1. eos, aut eorum alterutrum, tempore celebrationis matrimonii habuisse iam domicilium aut quasi-domicilium in ea parochia; - vel 2. quod Titius fuerit eo tempore censendus uti *vagus*; - vel 3. quod parochus ille *delegationem* acceperit a parocho vel ab Ordinario iuxta cit. Tridentini decretum.

Atqui nulla ex his tribus hypothesibus in praesenti casu subsistit ad huius matrimonii valorem sustinendum.

31. Et *primo* quidem nec Titius nec Caia ullo fruebantur domicilii vel quasi-domicilii iure in parochia s. Francisci tempore quo celebrarunt matrimonium. In hoc enim articulo asserendo omnes sive coniuges sive testes concordes omnino sunt in eorum iudicialibus depositionibus iuramenti vinculo semel atque iterum firmatis. Et in pri-

mis Caia testatur quidem, se primordia vitae transiisse in parochia s. Francisci, sed septennem inde discessisse, et alibi domicilium una cum suis firmasse; et post obitum patris sui, qui iam a duodeviginti annis decesserat, non amplius ea in parochia domicilium habuisse: « *per cui* « (sunt eius verba) *dopo la morte di mio padre non ho* « *avuto in quella parrocchia domicilio nè paterno, nè ma-* « *terno, nè fraterno* » (Actor. fol. 8). Ceterum luculentissime constat, a Caia *facto et animo* fuisse deperditum pristinum *originis* domicilium et in civitatem translatum ex primo ab ipsa inito matrimonio cum Sempronio. Paternum siquidem domicilium una cum eius amita iam facto deseruerat. At quando coniugale foedus cum Sempronio contraxit, tunc *animo* et *facto* pristinum illud domicilium deseruisse solemni ritu demonstravit, sui viri domicilium in civitate acquirens, illudque etiam post viri obitum retinens. — Verum quidem est quod ipsa circiter per mensem rurabat quotannis apud suam amitam in rurali s. Francisci parochia degentem; at animi recreandi causa tantum et sui et duorum filiorum, quos ipsa ex matrimonio cum Sempronio susceperat. Et tam longe aberat ut ipsa animum gereret aliud acquirendi domicilium in ea rurali parochia, ut ad id ne cogitaverit quidem; cum nunquam animum habuerit deserendi domicilium quod in parochia s. Laurentii statuerat. Immo vero cum in parochia s. Francisci rurabat, sua domus in civitate continenter in promptu erat iis, quibus victum locabat. Iuvat referre eius verba: « Quasi tutti gli « anni, e specialmente dopo che sono vedova, sono an- « data in campagna presso mia zia Lucrezia; ogni anno « mi vi sono trattenuta *circa un mese per divertirmi, e per* « *divertire specialmente i due figli,* che ho presso di me. « *Non ho mai poi avuto nemmeno il pensiero di trasportare* « *nella parrocchia rurale di s. Francesco il mio domicilio:* « anzi quando io era in campagna *teneva la casa aperta* « *anche in città, lasciandovi una donna pei servigi ai doz-* « *zinanti.* In quest' anno poi sono stata in campagna da « mia zia quindici giorni appena nel mese di settembre, « quindi dopo il matrimonio » (Actor. foll. 8-9). Deponit in-

super quod neque Titius habitationem unquam habuerit sub parochia s. Francisci, et quod vix eo se aliquando contulerit, ut ipsam ibi degentem inviseret, vel ut, matrimonii contrahendi causa, cum parocho consilium conferret (Actor. fol. 9).

32. His gemina deponit Titius. Iam enim saltem ab anno 1859 domicilium in civitate N. et ipse statuerat, lithographicam artem exercens; et nullum aliud habebat domicilium extra illam civitatem anno 1863, quo matrimonium cum Caia attentavit. In. specie vero quoad domicilium in parochia rurali s. Francisci iudicialiter interrogatus, absque ulla animi haesitatione respondit: « Non ho « mai avuto alcun domicilio sotto quella parrocchia, nè io, « nè alcun altro parente, che io sappia ». Fatetur et ipse se illam aliquando parochiam petiisse, sed rurandi causa, nunquam vero animo et ibi aliud statuendi domicilium: « Sono stato sotto la parrocchia di s. Francesco nei tre « anni scorsi, alcuni giorni ogni anno, nel tempo d'estate « o d'autunno, al *solo scopo di fare un po' di campagna*, « e senza aver *mai avuto animo* di stabilirvi la mia di- « mora. Quest'anno vi sono stato due giorni dopo il ma- « trimonio ». Ita autem quoad Caiae moram in ea parochia, ad tertium interrogatorium respondens prosequitur: « In quanto poi a Caia so che è nata in quella parrocchia, « so che vi ha abitato da giovinetta, e dopo che io la co- « nosco, che saranno circa quattro anni, nel tempo di « estate o di autunno si è recata essa pure per qualche « *breve tempo a far campagna* in casa di una sua zia « nella detta parrocchia rurale, ma *non ho mai* saputo che « ella abbia *inteso di portar là il suo domicilio, ed anzi* « *ritengo assolutamente il contrario*, mentre in questo « tempo ella *ha avuto sempre la sua casa stabile in città* » (Actor. foll. 17-18).

33. Haec eadem ingeminant, resumptis actis post quinque aut sex annos a depositionibus coniugum, iudiciales testes, praerogativis praediti ad fidem in iudicio faciendam. Scilicet huius duplicis coniugum depositionis veritati quoad *factum* et *animum*, quibus domicilium consistit *(n. 29)*,

plenissime suffragantur, et quidem ex factis personalibus, propriaque scientia ac specifica depositione, Lucilius, testis ad matrimonium adhibitus, aetatis annorum viginti novem, a decem annis in praefata degens civitate; – Tullius, dioecesis episcopalis M., annos natus triginta duos, in iure doctor, pluribus annis studiorum causa in dicta urbe N. commoratus, et apud Caiam una cum Lucilio convictor; – Propertius annorum quadraginta septem, levir Caiae, in eadem habitans urbe, domicilium tamen retinens in parochia s. Francisci; – Iulius, aetatem agens annorum quinquaginta sex, parochus Ecclesiae s. Laurentii eiusdem urbis, et in cuius parochia Titius et Caia degebant.

Itaque se se offert imprimis Lucilius, qui interrogatoriis a matrimonii defensore rite propositis respondet, tempore quo fuit initum huiusmodi matrimonium, tum Titium, tum Caiam unicum habuisse domicilium in parochia s. Laurentii, non aliud alibi. Interrogatus enim 3°. « Sa sotto qual « parrocchia abitassero i medesimi (Titius et Caia) in quel-« l'epoca (celebrationis matrimonii), e dove avessero do-« micilio o quasi-domicilio? » – Resp. « Abitavano in via « s. Lorenzo vicino al lardarolo G. sotto la parrocchia di « s. Lorenzo, e ivi avevano il loro domicilio ». – 4°. « È a « sua cognizione, che oltre al domicilio o quasi-domicilio « del luogo nel quale attualmente risiedevano, ne avessero « alcun altro proprio o paterno o materno o fraterno? « Resp. *Nessun altro;* e Caia non aveva allora nè padre, « nè madre, nè fratelli » (Actor. fol. 30). Rogatus an sciret cur sponsi parochum s. Francisci adierint rogatum ut eorum matrimonio assisteret, respondit: « Perchè sapevano « bene che essendo Tizio protestante, il parroco di s. Lo-« renzo non li avrebbe sposati » (Actor. fol. 31): quod idem est ac dicere, eo perrexisse *in fraudem,* non ut uterentur alterius domicilii vel quasi-domicilii iure, quo se omnino ea in parochia carere plane sciebant.

Itidem de domicilio testis est Tullius, qui in episcopali Curia M. subsidiario iudicio rite examinatus ad tramites Benedictinae et cit. H.S.C. instructionis[1]; et interrogatus

[1] Cfr. in *Appendice 2a* hanc instructionem.

5°. « Sa e ricorda sotto quale parrocchia abitassero Tizio e « Caia all' epoca della celebrazione del loro matrimonio? » - Resp. « *Ritengo per certo* nel Borgo s. Lorenzo *sotto la* « *parrocchia di questo nome* ». 6°. « È a notizia di lei, che « oltre il domicilio del luogo nel quale risiedevano attual« mente, essi *ne avessero alcun altro proprio* o paterno, « o materno, o fraterno? » - Resp. « Caia *come vedova* « *non aveva verun altro domicilio;* Tizio poi proveniente « dalla Svizzera, *da varii anni conviveva con la mede-* « *sima* » (Actor. fol. 46. coll. cum Alleg. X). Convivebant autem in urbe N., ubi Titius illam noverat iam ab an. 1859, quatuor ante matrimonium annis (Actor. fol. 17. Alleg. B). - Rogatus autem 9'. interrogatorio de causa, ob quam in parochia s. Francisci nuptias celebraverint, respondit dubitanter: ad difficultates minuendas: « suppongo che ciò « avvenisse per avere minori difficoltà » - idest *in fraudem* parochi domicilii; at firmiter addit se scire: « *So che* « *nè l'uno nè l'altra avevano colà dimora;* che Caia vi « andava di quando in quando, e che nell' autunno si trat« teneva anche qualche mese presso una sua zia, ove si « recava anche Tizio qualche festa a visitarla; non so pre« cisamente con quali intenzioni vi si recassero ecc. » (Alleg. X. cit. R. ad 9).

Testis est Propertius, qui etiam deponens quod praedicti contrahentes celebraverint matrimonium in parochia s. Francisci eo tantum fine ut evaderent difficultates, quas eis obiecisset parochus Ecclesiae s. Laurentii (Actor. fol. 39), scilicet *in fraudem:* deponit insuper, eosdem domicilium quidem habuisse in dicta urbe N., non vero in parochia s. Francisci: « Caia abitava allora (tempore quo matrimo« nium celebrare voluerunt) in città, e precisamente *sotto* « *la parrocchia di s. Lorenzo; e presso di lei abitava* come « dozzinante Tizio. Del resto non potevano avere domi« cilio nella parrocchia di s. Francesco nè Tizio nè Caia, « mentre il primo non vi era forse mai stato, e la seconda « veniva qualche volta per far visita a noi, o alla di lei « zia Lucrezia presso la quale qualche volta *si fermava* « *a villeggiare alcuni giorni* » (Actor. fol. 40).

Testis est luculentissimus et omni exceptione maior Iulius parochus civitatis N. ad s. Laurentii, qui de horum coniugum domicilio tum iure tum facto poterat authenticum proferre testimonium, tanquam proprius a pluribus annis eorum parochus. Hic itaque iudicialiter rogatus relate ad eorum domicilium in sua parochia, deponit: « Caia « *è stata mia parrocchiana* per circa otto anni e fino al« l'8 maggio pross. pass. (ita loquebatur Iulius die 4 iu« nii 1869). In tal epoca *aveva in mia parrocchia il vero « domicilio.* – Tizio *ha abitato* alcuni anni presso la me« desima in via s. Lorenzo n. 4. Negli anni sopra indicati, « *e circa dal 1860 al 1864 era dozzinante presso la sud« detta, ed ivi aveva il suo domicilio* » (Actor. fol. 34. R. ad 2–3–4). Atqui matrimonium attentatum fuit anno 1863, quo ambo contrahentes domicilium habebant in parochia et via s. Laurentii n. 4. – Ulterius interrogatus an eo temporis aliud alibi contrahentes habuerint domicilium vel quasi-domicilium aut proprium aut penes suos, respondit: « In quanto a Tizio io non so che avesse altro domicilio « o quasi-domicilio. – In quanto poi a Caia oltre che essa « nel tempo che ha abitato in mia parrocchia, non aveva « più nè padre, nè madre, nè fratelli, che io sappia, era « anche *vedova, e quindi ella faceva da sè il proprio do« micilio* » (ibid. ad 5): quod et testis Tullius animadverterat. Tandem praedictus parochus examen explicit declarans, se nunquam fuisse rogatum ut huic matrimonio assisteret; – nec ullum unquam delegasse sacerdotem ad hanc assistentiam pro se praestandam (ibid. fol. 35. R. ad 7–8); – nec unquam praedictos contrahentes coram se stetisse, ut ad praescriptum tridentinae Synodi mutuum consensum de praesenti praestarent ad valide matrimonium ineundum (ibid. fol. 37. R. ad 11).

34. Ex his omnibus tum coniugum, tum testium depositionibus iuramenti religione semel iterumque firmatis luculentissime constat:

1°. Caiam suscepisse quidem vitae primordia in rurali parochia s. Francisci; at matrimonii tempore, immo longe prius ibidem domicilium nullo pacto habuisse. Atqui iam

vidimus parochum *originis* non esse proprium parochum ad valide matrimonio assistendum (superius n. 26).

2°. Utrumque contrahentem iam ab aliquot annis ante matrimonium, verum ac stabile domicilium habuisse in civitate N. tantum; et matrimonii tempore in parochia a s. Laurentio nuncupata. Huius igitur parochiae erat *proprius* contrahentium parochus, et coram eo dumtaxat, vel ex eius aut Ordinarii delegatione coram alio sacerdote, poterant Titius et Caia valide matrimonium celebrare (n. 26). Nec vero civicum hoc domicilium ipsi unquam deseruerant ante matrimonium. Ad id enim habere debuissent *animum* illud deserendi, et *factum* alio demigrandi (n. 29). In themate utrumque deficit, ut ex declarationibus coniugum et testium luculentissime patet. *Factum* autem retinendi ea in urbe domum in promptu et continenter apertam convictoribus, per se loquitur. Et H. S. O. die 22 februar. 1631 « nullum esse censuit matrimonium viri et « mulieris, qui e loco propriae habitationis *absque animo* « *illam relinquendi* discedentes, et ad locum alterius pa« rochiae *solo animo illic matrimonium celebrandi,* non « autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi co« ram parocho illius loci matrimonium inter se contraxe« runt » (apud Bened. XIV *Inst. 33. n. 8*).

3°. Eorum neutrum nactum fuisse duplicem parochiam ex duplici domicilio, uno in civitate, altero in parochia s. Francisci. Ad hoc enim debuisset saltem alteruter in utraque parochia *morali quadam aequalitate* habitare (n. 28).

4°. Nec quasi-domicilium, eos in parochia s. Nicolai unquam acquisivisse. Ad hoc enim requirebatur, ut ante matrimonium *animum* haberent ibidem vel *per maiorem anni partem* vel saltem *per aliquot menses* consistendi (nn. 28-29). Neque *unus mensis* (n. 28), immo nec decem anni *absque animo* consistendi sufficiunt ad quasi-domicilium (n. 29). Porro in themate, sive vir sive mulier in oppido s. Francisci quidem manserunt vel ad mensem; at nedum absque animo permanendi per longius tempus, sed immo dumtaxat vel ut brevi alter alteram inviseret, vel *rurandi*

causa. Atqui per moram quamlibet solo rurandi animo nullum quasi-domicilium acquiri et consequenter parochum ruralem non esse *proprium,* iamdiu H. S. C. luculentissime declaraverat die 1 decemb. 1640 hisce verbis: « Sacra etc. inhaerendo declarationibus alias factis, respondit: Parochum ruralem non esse *proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis,* vel pro « rusticanis negotiis; ideoque matrimonium *valide coram* « *huiusmodi parocho celebrari non posse.* Partibus tamen « dentur declarationes antiquae, scilicet: in una et altera *Flo-* « *rentina*... (in quibus his gemina habentur) in una *Abulen.* « Sacra etc. censuit *non valere matrimonium* contractum « coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur *non ani-* « *mo ibi domicilium contrahendi* » (apud Bened. XIV. *Instit. 33. n. 7*). - Eadem docet Sanchez *(lib. 3. disput. 23. n. 9).*

5°. Demum constat, Titium et Caiam ad parochiam s. Francisci se contulisse non ut ibi quodlibet domicilium acquirerent, cum ad id ne cogitaverint quidem (nn. 31-32-33); sed tantum vel *ex ignorantia* vel *in fraudem* legum ecclesiasticarum et in proprium parochum (nn. 4-33). Atqui *ignorantia* contrahentium non proficit ad id, ut lex tridentina irritans clandestina matrimonia, suum non sortiatur effectum (n. 25); et multo minus proficit *fraus,* quae si nemini patrocinari debet in omni negotio, eo fortius in matrimoniis contrahendis, quando contrahentes domicilium in loco vel quasi-domicilium non acquisiverint, uti in cit. litteris ad Archiep. Goanum in puncto docuit Bened. XIV, cuius verba de *fraude* ac *domicilio* retuli (praec. n. 28). Id autem luculentissime etiam constat ex apostolicis litteris Urbani VIII, qui huius S. C. sententias de triplici casu fraudis et domicilii die 14 aug. 1627 confirmavit. Quibus relatis, Benedictus XIV ita disserit: « Igitur matrimonium primo « et secundo loco expositum *irritum* decernitur, cum *fraus* « intercesserit; matrimonium tertio loco allatum etiam *cum* « *fraude validum* declaratur, quia novum quoque *domici-* « *lium accesserat* » (cit. *Inst. 33. n. 9*). Quae omnia hic summus Pontifex iisdem fere verbis iterum urgebat in cit. litteris ad Archiep. Goanum.

b) De vagis.

35. Et ad sustinendam firmitatem matrimonii in nostro casu perperam effugium quaeritur ex *secunda* hypothesi, de qua supra (n. 30), asserendo, Titium uti *vagum* habendum esse, et consequenter quemlibet parochum ratione iurisdictionis fuisse ei *proprium* ad matrimonium contrahendum: privilegium autem suum alteri parti contrahenti communicare potuisse; ita ut ipse et Caia *valide* contraxerint inter se matrimonium coram parocho s. Francisci.

Ad hoc enim effugium conficiendum sufficit animadvertere quisnam iure haberi possit uti vagus. *Vagum* definit Benedictus XIV (*cit. Inst. 33. n. 10*), *qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit*, ut ex iure deprehenditur: « Puto autem et hoc procedere posse, si quis, « domicilio relicto, navigat, iter faciens quaerat quo se con- « ferat, atque ubi consistat; nam hunc puto sine domicilio « esse » *(l. eius, § Celsus. ff. ad municipalem)*. Quod intelligendum est tum si quis destinavit ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit; adhuc enim in utroque casu *domicilio caret*, ut notat Sanchez *(de matr. lib. 3. disp. 25. n. 3)*.

Probabile autem est, ait Pirhing *(ad lib. 4. decret. tit. 3. § 3. n. 19)*, *vagos* posse valide ac licite contrahere matrimonium coram quolibet parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum parochum debere interesse matrimoniis vagorum, in cuius parochia, pro tempore quo contrahunt, versantur. Prius docet Sanchez (l. c. *n. 11*); posterius Coninch. *(disp. 23. dub. 2. n. 20)* et alii, quia et probabilius est quod vagi non a quolibet parocho sacramenta possint suscipere, sed solum a parocho loci, in quo pro tempore versantur, quia et illi necessario habere debent *proprium* aliquem pastorem a quo sacramenta suscipiant, nec alius quam ille congrue assignari potest.

Quamvis itaque Titius *vagus* fuisset, probabilius matrimonium contrahere debuisset coram parocho Ecclesiae s. Laurentii, in cuius parochia tunc temporis versabatur.

Sed hoc missum faciens, quippe probabilitatis limites non excedit: illud tantum quaero, an reapse uti *vagus* haberi potuit Titius tempore, quo matrimonium contraxit. Verum quidem est, quod ipse iamdiu Helvetiae vale dixerat, patrioque domicilio relicto, civitatem N. petierat. Sed aeque verum est, et ex actis iudicialibus satis superque constat, quod ipse in hac civitate sedem statuerat, seu domicilium fixerat *animo* et *facto*. Iam enim a quatuor saltem annis ante matrimonium ibi morabatur; consenserat ut Caia domum conduceret nomine ipsius Titii; apud eam in illa domo tanquam convictor diversabatur; suas operas in officina lithographi in eadem urbe locaverat (Cfr. praec. *n.* 3); tandem ipsemet Titius toto suae depositionis contextu id plane declarat (Actor. foll. 16 et seqq.), quin immo parochum s. Laurentii nuncupat proprium parochum tum sui, tum Caiae, ad distinctionem parochi s. Francisci, quem parochum *originis* dicit Caiae (Actor. fol. 18), et tum haec tum testes unanimiter deponunt, Titium verum domicilium in civitate habuisse domi Caiae tempore quo matrimonium celebravit (Cfr. nn. 31 et seqq.); – Et hisce positis, quis sanae mentis dubitare vel asserere serio poterit, Titium tempore attentati matrimonii, uti *vagum* fuisse censendum? – Sed apage huiusmodi nugas, ne dicam ineptias.

c) De parochi vel Ordinarii delegatione.

36. Neque felicior esse potest *tertia* hypothesis (n. 30) quod parochus s. Francisci *delegationem* acceperit a parocho s. Laurentii, vel ab Ordinario, ad tramites tridentini decreti *(sess. 24. c. 1)*. Nedum enim coniuges huiusmodi delegationem excludunt (Actor. foll. 9–18), et testes de illa nihil deponunt; sed et illimetipsi, qui huiusmodi delegationem praedicto s. Francisci parocho poterant committere, nempe vel parochus s. Laurentii, vel Ordinarius dioecesanus, expresse declarant, se neminem delegasse sacerdotem ad assistendum matrimonio inter Titium lutheranum et Caiam catholicam ineundo, absque apostolica dispensatione: id enim nefas fuisset. Revera parochus s. Laurentii sub

iuramenti vinculo aperte declarat ad octavum interrogatorium: - «Non mi è stata mai richiesta, e quindi non ho mai « rilasciata alcuna delegazione per matrimonio fra Tizio e « Caia ». (Actor. fol. 35). Et *undecimo* rogatus an illi unquam coram se steterint ad rite consensum de praesenti renovandum, respondit: « *Non mai* » (ibid. fol 37). Ordinarius autem tam longe aberat ab hac tradenda delegatione parocho s. Francisci ad detestabile connubium absque apostolicae Sedis dispensatione [1] permittendum, ut e contra statim ac rescivit, illum parochum paratum se praebuisse ad praestandam proprio marte assistentiam huic matrimonio, gravem eidem miserit epistolam sub die 17 iulii 1863 (licet sero ad eum pervenerit, cum matrimonium postridie fuerit celebratum), qua concludebat: « È mio do« vere farle sentire che codesto suo procedere non è punto « secondo le prescrizioni di S. Chiesa; e quindi le significo « di sospendere le pubblicazioni, e *di non assistere al ma« trimonio* » (Actor. fot. 3. - Alleg. D). Unde iudex delegatus in ferenda sententia de huius matrimonii nullitate potuit animadvertere: « Constare ex actis, parochum s. Fran« cisci ruri nullam habuisse delegationem neque a parocho « volentium matrimonium contrahere neque ab Ordinario « loci » (Alleg. CC).

Cum itaque neque *domicilii*, neque *vagationis*, neque *delegationis* ratione parochus s. Francisci iurisdictione in contrahentes polleret, nullo pacto dici potuit *proprius* eorum parochus et consequenter matrimonium coram eo contractum a Titio et Caia nullitate laborat, quippe tanquam clandestinum habendum sit.

37. Sed iam ad tertiam est properandum quaestionem, quae ita proponitur:

[1] Cfr. in *Appendice 5ª* instructionem *Etsi Sanctissimus* datam die *15 novembris 1858*, quam in lucem edidit Petrus Avanzini in suis latinis Ephemerid. quibus titulus: *Acta Sanctae Sedis, vol. 6. pag. 456. et seqq.*

QUAESTIO TERTIA

De matrimonio mixto, in qua ob praefatam Tridentini legem fuse agitur de haereticorum locali vel personali exemptione ab ea lege; unde etiam de rationibus declarationis Benedicti XIV circa matrimonia Hollandiae et Belgii, aliarumque sanctae Sedis resolutionum.

Q. An sustineri possit huius matrimonii validitas vel ex eo quod Titius ad haereticam societatem pertineat, ita ut non teneretur lege tridentina de matrimonio celebrando coram proprio parocho.

Si facta superius enarrata prae oculis habeantur et cum iuris principiis conferantur, huiusmodi in themate quaestio forsan indigna existimabitur, quae coram sacro hoc Ordine ventiletur, quippe nonnisi imperitis fucum facere possent argumenta ex hoc capite in medium prolata a defensore matrimonii ex officio in prima instántia (Cfr. praec. *n. 9*). Nihilominus quoniam artificioso quodam rationum atque auctoritatum apparatu proponuntur, ne quidquam dubii superesse videatur, eam sic paucis diluere superfluum haud, ut puto, existimabitur.

Iam vidimus (nn. 24-25) tridentinam Synodum *(sess. 24. c. 1)* nulla atque irrita ea connubia decrevisse quae aliter quam praesente parocho et duobus vel tribus testibus celebrarentur. Decreverat insuper « ut huiusmodi decretum « *in unaquaque parochia* suum robur post triginta dies « habere incipiat a die primae publicationis in eadem pa- « rochia factae numerandos ». Ex his autem evidens est, quod in locis ubi huiusmodi Tridentini decretum rite promulgatum non fuit, neminem obligat. Hinc patet, matrimonia nedum haereticorum inter se et mixta, sed etiam catholicorum, impedimento clandestinitatis dirimente non teneri ubi eiusmodi publicatio quacumque de causa facta non fuerit. Verum acriter disceptatur an eo impedimento invalida censeri debeant clandestina matrimonia sive haereticorum, sive per individuitatem contractus matrimonia mixta iis in locis celebrata in quibus Tridentini decretum fuerit publicatum. Omnia persequi quae de hac salebrosa quae-

stione sic *generatim* sumpta disceptari possent, labor esset improbus iuxta ac superfluus in themate, dum si lubet videri possunt quae fuse in eam recenter elucubravit Perrone (l. c. *lib. 2. sect. 1. c. 6*). Praecipua igitur quae ad rem pertinent, delibemus, media veluti via incedentes, ne quaestionum tricis inutiliter involvamur.

Principium generale est quod exemptio a iure communi est *localis, non personalis.* Qui ergo alibi domicilium habent, exemptione, si qua gaudent, uti tantummodo possunt quamdiu eo in loco sunt; qui si alio commigrant ubi ius commune viget, iuri communi subiiciuntur. Insuper quidquid sit de legibus aliis, quilibet, non exclusis peregrinis, in materia contractuum (quos inter matrimonium accensetur, licet ad sacramenti dignitatem fuerit a Christo Domino evectum) quoad eorum solemnitatem tenentur contrahere iuxta legem et consuetudinem ibi receptam; quia ratione contractus sortiuntur forum iuxta *l. ult. de foro compet. et l. si fundum ff. de evietion.;* ita ut si aliter ibi contrahant, contractus non subsistat, cum ea sit in unoquoque loco forma substantialis contractus, quae pro illo praescribitur. Ita Sanchez *(lib. 3. disp. 18. n. 10)*, Pirhing *(ad lib. 1. tit. 3. n. 10),* Schmalzgrueber *(eod. tit.* § *2. n. 101)* cum communi.

38. Iam vero haeretici procul dubio Ecclesiae legibus subiiciuntur; idque solemniter docuit Pius VII litteris *Etsi fraternitatis* Archiepiscopo Moguntino datis die 8 octob. 1803, ubi ait: « Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui « putant haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici etc.? « Adversus illam clamant Scripturae, Concilia, Traditio de- « nique universa. Omnium instar sit sacros. trident. Syno- « dus, quae sess. 14. c. 2, non baptizatos a baptizatis distin- « guens, illos tantum Ecclesiae iudicio, proindeque legibus « non subiici affirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium « exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam « fuerit ingressus. Si baptizati, ergo Ecclesiae filii (quam- « quam rebelles et transfugae) qui eiusdem Ecclesiae legi- « bus subiiciuntur » [1].

[1] Habes has literas apostolicas infra in *Appendice 6ª*.

Ut igitur dici possit haereticos esse exemptos a lege tridentina irritante clandestina matrimonia, inita nempe absque praesentia parochi ac testium in locis ubi praedictum decretum publicatum est, aliunde rationes repeti debent. Non enim quia haeretici, ideo ab hac lege exempti, idest ratione *personalis exemptionis* seu *privilegii*. Huiusmodi porro rationes, ut cetera documenta praetermittam, tum ex iis quae declaravit et docuit Benedictus XIV, tum ex iis quae postea iterum docuit Pius VII in praefatis litteris, erui possunt. - Imprimis enim Benedictus XIV die 4 novembris 1741 celebrem dedit *Declarationem* circa matrimonia Hollandiae et Belgii foederatorum ordinum, in qua « omnibus rationum momentis hinc inde sedulo libra- « tis, declaravit, statuitque, matrimonia in dictis foederatis « Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, « quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tri- « dentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, « dummodo aliud non obstiterit *canonicum impedimentum* « *(impedimentis ergo etiam haeretici tenentur)*, pro validis « habenda esse » (In Bullar. Bened. *t. 1. p. 87* et *seqq.*).

39. At quaenam fuerunt rationes, quarum vi huiusmodi *Declaratio* tandem prodiit? Ipsemet Pontifex Bened. XIV earumdem rationum, quas theologi et canonistae Congregationis ad hanc diluendam quaestionem specialiter accitae, in medium protulerunt, veluti synopsim suppeditat in suo Op. *de Synodo (lib. 6. c. 6)* quasque hic vix innuere sufficiet. Et quoad matrimonia de quibus agit *prima* illius decreti pars, nempe inter duos *coniuges haereticos* inita ac ineunda in Hollandia et Belgio foederato, cunctis suffragiis valida proclamata fuerunt diversis rationibus. Quidam enim existimarunt, certam ac perspicuam deesse probationem, quod Concilii decretum publicatum fuerit in unaquaque parochia earum regionum, antequam illae ab hispanica dominatione se subtraherent; ideoque ex eiusdem conciliaris decreti tenore, ea matrimonia nequaquam nullitatis vitio subiacere (l. c. *nn. 6-7*). - Alii vero, hac omissa quaestione de publicatione decreti, immo etiam admittentes, eam rite factam, duas reputabant hominum so-

cietates inter se plane distinctas occasione et in sequelam illiusmet defectionis efformatas fuisse, alteram catholicam et alteram haereticam, quae nunc invicem permixtae in iisdem regionibus versantur. Quare etiamsi ante civiles motus publicatum fuisset Tridentini decretum, cum nondum exorta neque ibi constituta tunc esset altera illa haereticorum societas, haec ipsis minime videbatur eiusmodi decreti publicatione adstringi potuisse (l. c. *n. 8*). - Alii haereticorum matrimoniorum validitatem ex eo repeti posse existimarunt, quod Tridentini Patres voluerint, decretum illud vim suam non habere nisi post triginta dies a publicatione in singulis parochiis facienda; ulterius autem decretum non progredi, neque declarare an eiusmodi lege heterodoxae societates tunc extantes ac futurae comprehendi deberent; ac illorum Patrum mentem videri fuisse huic inducendae obligationi contrariam, ex eo quod probe viderint, nunquam futurum esse ut in locis haereticorum illa expleretur decreti publicatio, a qua illius efficacia pendebat, et sic a Patribus praevisa declinabantur gravia ex parte haereticorum incommoda occasione illius decreti (l. c. *n. 9*). - Alii demum potius secundum prudentiam, quam ad tramites iuris quaestionem perpendentes, autumarunt, non expedire causae atque utilitatibus catholicae religionis, huiusmodi matrimonia irrita declarare, et sic quam gravia incommoda inde metuenda essent enarrando pergebant (l. c. *nn. 10-11*).

De altero autem quaestionis capite quod in *secunda* decreti parte definitum fuit, nimirum de matrimoniis *mixtis* inter unam partem catholicam et alteram haereticam in Hollandia et Belgio initis sine parochi ac testium praesentia, sensu quaestionis sapienter explanato, concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, ut sicuti valida declarata fuerant matrimonia haereticorum inter se in praedictis locis, ita valida dici deberent matrimonia *mixta ;* « quoniam cum coniugum alter, tum *ratione loci* in quo habitat, « tum *ratione societatis* in qua vivit, exemptus sit a tri- « dentinae Synodi lege, exemptio qua ipse fruitur, alteri « parti communicata remanet propter individuitatem con-

« tractus, vi cuius exemptio quae uni ex partibus compe-
« tit, ad alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur,
« eidemque communicatur » (l. c. *n. 12*). – En igitur quorsum recidant rationes, ob quas data fuit Benedictina Declaratio circa matrimonia sive haereticorum inter se, sive mixta in praefatis regionibus inita, nempe ad *defectum publicationis* decreti; idque sive quia in loco non fuerit rite promulgatum (*ratione loci* in quo habitat), sive quia in societate haeretica non intelligitur publicatum vel in ea quacumque demum causa non viget (*ratione societatis* in qua vivit). Rationes ergo ex circumstantiis localibus emergunt. Nemo tamen unquam asserere ausus fuit, huiusmodi exemptionem haereticis competere veluti quoddam *personale privilegium*, quod quisque secum ferat quocumque commigret, et ubique locorum consistat, quamvis inibi decretum rite publicatum sit, ac plane vigeat, uti in Italia.

40. Haec eadem vel altera non absimilis ratio ex *circumstantiis localibus* quoad valorem matrimoniorum haereticorum inter se itidem assignatur a Pio VII in praefatis litteris diei *8 octob. 1803*, vel nempe ex defectu localis publicationis decreti, vel ex defectu vigoris eiusdem aliquibus in locis. Iudicium enim ferens circa opinionem illorum qui docebant « matrimonia haereticorum coram ministro
« acatholico inita *generatim* nulla esse, atque adeo validas
« fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico
« parocho contrahantur » – respondet quod huiusmodi opinio – « neque *undique* vera est, nec satis tuta, neque id-
« circo in praxi quibuscumque in casibus *indiscriminatim*
« sequenda ». Iam inde animadverti potest, quod si haeretici, ubicumque locorum clandestine contrahant matrimonia sive inter se sive cum parte catholica, sola clandestinitatis ratione ea nunquam essent invalida, *quia haeretici*, iam nequivisset Pontifex quosdam casus excipere, in quibus sola clandestinitatis ratione ea matrimonia nullitatis vitio infici possent. Sed clarius prosequitur: « Probe enim
« novit fraternitas tua, huius generis matrimonia rata et
« firma consistere *iis in locis*, in quibus Concilii tridentini
« decretum vel *nunquam publicatum fuit*, vel *nunquam*

« *observatum* tamquam eiusdem Concilii decretum, vel si « quandoque observatum fuit, longo dein temporis inter- « vallo in *desuetudinem abiit*. Hinc factum est, ut praedicta « opinio quae matrimonia inter haereticos contracta coram « ministro acatholico *generatim* nulla ac irrita esse propu- « gnat, adversarios semper habuerit et numero plures et « auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem reti- « nuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Be- « nedicto XIV an. 1741 pro matrimoniis Hollandiae cele- « berrimam declarationem » [1].

41. Ex iis iure merito concludi potest, matrimonia sive haereticorum inter se, sive mixta, non servata forma tridentini decreti celebrata, valida esse vel 1. in locis ubi decretum illud non fuit unquam publicatum, aut si rite publicatum et observatum, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit; – vel 2. in locis comprehensis a Declaratione Benedictina, idest in Hollandia et Belgio, ac in aliis locis ad quae sancta Sedes ob easdem rationes, quae pro illis foederatis provinciis militabant, eam extendit; – vel 3. in locis pro quibus apostolica Sedes derogavit praefato Tridentini decreto. – Scilicet rationes omnes quarum vi vel intuitu apostolica Auctoritas valere sancivit ea matrimonia, *loca* omnino respiciunt, *non personas*.

Et ideo ex contraria ratione, praedicta matrimonia inita absque praesentia proprii parochi ac testium, nulla ac irrita esse constat iis in locis in quibus Tridentini decretum rite fuit publicatum, nec ad ea unquam postea apostolica Auctoritate extensa fuit Benedictina Declaratio, neque unquam Tridentini decreto derogatum, ita ut in eis plane vigeat.

42. Atqui Tridentini decretum rite fuisse publicatum in Italia universa nedum ex innumeris documentis, sed vel ex facto luculentissimo constat celebrandi ubique locorum coniugia iuxta formam a Tridentino praescriptam (Cfr. Perrone l. c. *art. 4. p. 256*). Quo solo facto, ni alia documenta suppe-

[1] Cfr. harum litterarum exemplar in cit. *Appendice 6ª* ex mss. vaticano editum sub die *10 maii 1847*.

terent, praesumenda omnino foret eiusdem decreti publicatio, ut docuit H. S. O. die *26 septemb. 1602* his verbis: « Publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo « tempore in parochia tamquam decretum Concilii obser- « vatum ». Apud Benedictum XIV *(De Synodo, lib. 12. c. 5. n. 6)*.

Cum igitur toto legis vigore in singulis Italiae parochiis vigeat Tridentini decretum, nemo poterit dubitare quin matrimonium mixtum celebratum in parochia s. Francisci, coram non proprio sed alieno parocho, a Titio lutherano cum Caia catholica, nullum ac irritum fuerit ex defectu iurisdictionis in parocho assistente, seu ex impedimento clandestinitatis dirimente.

43. Haec autem conclusio innumeris confirmari posset sacrarum Congregationum ac summorum Pontificum sive resolutionibus, sive responsionibus sive instructionibus; sed ne longior sim quam par est, unam aut alteram ex iis, quae post Benedictinam Declarationem prodierunt, tangere liceat, quaeque matrimonia haereticorum inter se ac mixta respiciunt in locis, quibus viget Tridentini decretum.

Data vix fuerat Benedictina Declaratio an. 1741, cum an. sequenti 1742 S. H. C. interrogata super valore matrimonii quod initum fuerat Ulmae, dioecesis costantiensis, a viro catholico cum muliere lutherana coram ministro lutherano, eadem S. C. prius quaesivit: *Num Concilii tridentini decreta fuerint in ulmensi civitate promulgata;* et num forma ineundi matrimonii a laudato Concilio praescripta consueverit ibidem *aliquando servari*. Cumque Episcopus *affirmative* rescripserit, S. H. C. sub oculis et approbatione Benedicti XIV licet pro ulmensi civitate eaedem militarent ac pro Hollandia rationes, ad propositum dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu » - respondit: *Affirmative*. Apud Perrone (l. c. *pp. 226-227*).

Anno 1817 vel 1818 Vicarii capitulares pictavienses et Vicarius generalis parisiensis s. Sedi exposuerunt, quod « hodie protestantes *statum civilem* in Galliis habeant, *societatemque religiosam efforment a societate catholica distinctam, quae suos ministros* suosque usus habent ». Hinc

Vicarius parisiensis hoc dubium proposuit: « An matrimonia contracta inter catholicos et haereticos absque parochi praesentia, licet illicita, sint tamen valida ». Suprema s. Inquisitionis Congregatio die 13 iulii 1818 respondit: « Respondendum prout etiam responsum fuit Episcopo Ro« snaviensi an. 1780; Episcopo Melitensi an. 1803, et Re« ctori Corepediensi an. 1808. Nempe decretalem Ben. XIV « an. 1741 editam super matrimoniis Hollandiae, *taxative* « respicere tantum matrimonia in iis provinciis contracta, « non autem alia matrimonia in aliis locis et provinciis « inita, quibus idcirco applicari nequit absque *nova et spe« ciali S. Sedis declaratione,* multo minus in Galliis (quid « de Italia dixisset?), ubi decretum Concilii tridentini *(sess. 24. « c. 1. de refor.)* absque ullo dubio immediate post Conci« lium publicatum fuit in *universis paroeciis,* et constan« tissime observatum ». - His gemina respondit eadem sacra suprema Congregatio Vicariis capitularibus pictaviensibus eodem mense et anno. Apud Perrone (cit. *lib. 2. c. 6. art. 2.* § *3. pp. 222–223. et art. 4. p. 273*).

Recentius autem, nempe an. 1829 ad Vicarium apostolicum bredensem similia exponentem, s. eadem Congreg. summi Pontificis approbatione respondit: « S. Sedes, ubi « decretum Concilii tridentini publicatum fuit, neque fuit « extensa Declaratio Benedicti XIV, *tamquam nulla habet « matrimonia celebrata contra formam tridentinam ;* ideo « recurrat in casibus particularibus pro opportuno reme« dio ». Apud Perrone (l. c. *pp. 228–229*).

Unde cum supremae s. Inquisitionis Congregationi anno 1847 ab Episcopo Fluminis-Ianuarii (Riojaneiro in Brasilia) propositus fuerit casus matrimonii a muliere *Catholica* cum viro *acatholico* Parisiis initi iuxta legem civilem, et a ministro acatholico benedictione sanciti, at postea ob dissensiones in praedicta americana dioecesi per absolutum divortium soluti, dicta S. C. in themate de sententia sua rogata respondit: « Iuxta exposita matrimonium Parisiis « contractum, esse nullum et irritum: ideoque nihil obstare « quominus oratrix ad alias nuptias licite ac valide trans« ire valeat ». Apud Perrone (l. c. *p. 229*), penes quem plu-

res in eodem articulo veteres ac recentiores s. Sedis resolutiones congestae videri possunt si lubet.

44. Iis omnibus quae hactenus disputavimus conficiuntur omnino artificiosa argumenta a defensore matrimonii ex officio in prima instantia prolata, quaeque superius breviter retuli *(n. 9)*. Constat enim tum Titium, licet *haereticum*, tum Caiam *catholicam* teneri Tridentini decreto publicato et usque vigente in dioecesi N.; constat, eos privilegio exemptionis, si quod habuissent, in loco quo contraxerunt nunquam uti potuisse quippe quod *locale*, non *personale* esse possit; constat, declarationes Benedicti XIV circa matrimonia Helvetiorum, Pii VIII et Gregorii XVI aliorumque Pontificum circa valorem matrimoniorum, quae mixta dicuntur, neque respicere potuisse, neque reapse respexisse nisi vel ea *loca* in quibus Tridentini decretum nunquam fuit promulgatum, uti in plerisque Helvetiae provinciis (Cfr. Perrone *in elencho* l. c. *p. 261. n. 7;* - vel hic *part. 1. cap. 4. art. 4.* § *1. n. 11. p. 134*); vel ea quae comprehenduntur a Declaratione Benedictina etiam per extensionem; vel ea pro quibus illi decreto apostolica Auctoritate fuit derogatum *(n. 41)*; constat demum, prudentem Ecclesiae dissimulationem quoad nullitatem quorumdam matrimoniorum ab haereticis inter se initorum, nullo pacto tacitam importare approbationem. Distinguenda enim probe est *bona fides*, qua ab haereticis celebrata connubia sunt in quibusdam rerum adiunctis, a *legitimitate* eorumdem connubiorum. Porro quamvis Ecclesia attenta plerumque *bona fide* prudenter dissimulet ac toleret eiusmodi connubia, ea tamen minime probat, aut pro *legitimis* habet. Idque luculenter eruitur vel ab ipsa instructione, quam defensor allegat, data ab H. S. O. ad Episcopum Rosnaviensem die 16 martii 1780; et clarius in causa *Iprensi 17 aug. 1737* (Cfr. Perrone l. c. *art. 3. pp. 246. et seqq.*).

CONCLUSIO.

45. Concludendum igitur est respondendo ad tres quaestiones, quas diluendas suscepi, nempe

Ad 1^m « An certo constet de mutuo ad matrimonium consensu in casu? »

Resp. *Affirmandum* esse videtur, constare quidem de consensu viri *explicito* per verba; at probabiliter de *implicito* mulieris eruto ex adiunctis.

Ad 2^m « An parochus Ecclesiae s. Francisci fuerit *proprius* contrahentium parochus vel eorum saltem alterutrius, ita ut *valide* coram eo potuerit contrahi matrimonium in casu? »

Resp. *Negative*, quia deerat domicilium vel quasi-domicilium; quia vir non erat vagus; quia parochus ille delegationem non acceperat a quo de iure.

Ad 3^m « An sustineri possit huius matrimonii validitas vel ex eo quod Titius ad haereticam societatem pertineret, ita ut non teneretur Tridentini lege de matrimonio coram proprio parocho celebrando? »

Resp. *Negative*, quia in Italia viget illud decretum, et contrahentes subiiciebantur iuri communi loci.

Quibus positis ad dubium hac in causa propositum

« An constet de nullitate matrimonii in casu » —

SEU

« An confirmanda vel infirmanda sit sententia Curiae episcopalis in casu? »

Responderi posse videtur: *Affirmative*, seu confirmandam esse sententiam Curiae episcopalis.

Haec tamen omnia, quae pro mei tenuitate ingenii proferre censui, ut singula et plurima quae ex visceribus causae facile oriebantur dubia diluerentur, ea qua par erat reverentia, sapientissimo S. C. C. Emorum Patrum iudicio ac censurae humillime libenterque subieci.

S. C. Concilii ad proposita dubia responsum.

Die 27 ianuarii 1872 proposito dubio: *An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu,* S. C. C. respondit: *Sententiam esse confirmandam, facto verbo cum SSmo.*

Die 11 maii 1872 haec iterum ad examen revocata fuit causa, et consueto proposito dubio: *An sit standum vel recedendum a decisis,* S. C. respondit: *In decisis.*

DISCEPTATIO SECUNDA

De matrimonii nullitate ex impedimento consanguinitatis inter contrahentes.

ARGUMENTUM

Exposita actorum serie proponitur quaestio. Ad quam dirimendam traditur in *iure* praedicti impedimenti notio ac iuris dispositio; et in *facto* duplex probationum genus instituitur, quibus ostenditur, nullum ac irritum fuisse matrimonium in themate, scilicet:

1° *Ex parochialium codicum auctoritate,* ubi plura disseruntur de fide parochialibus libris adhibenda.

2° *ex iudicialibus testium depositionibus,* ubi de testium qualitate disseritur, et qualiter hoc in genere probationis deponere debeant.

Apostolicam dispensationem in casu defecisse ostenditur.

II.

De matrimonii nullitate ex consanguinitatis impedimento.

ACTORUM SERIES EXPONITUR

1. Ex placito sacratissimi Principis proposita fuit Eminentissimorum Patrum sacrae Congr. Concilii sapientissimo iudicio in gradu appellationis dirimenda quaestio circa firmitatem matrimonii, quod, adhibitis solemnitatibus a iure

praescriptis, initum fuit in cathedrali Ecclesia civitatis N. die 15 februarii an. 1873 inter ruricolas Titium S. et Bertam B. ex oppidis seu parochiis haec B., ille C., dioecesis N. Coniugum autem precibus, exponentium propriam utriusque viduitatem, motus Ordinarius, eos a tribus proclamationibus matrimonio praemittendis exemerat, quandoquidem ex una parte parochus fidem fecerat, nullum inter eos extare canonicum impedimentum, duobus testibus idipsum iureiurando confirmantibus: ex alia vero prudentiae caritatique consulendum ita esse videbatur ad populares turbas strepitusque devitandos, quibus in oppidulis plerumque viduorum nuptiae vexantur.

2. Matrimonio itaque celebrato, coniuges a principe civitate discedunt, ac mulieris parochiam petunt. At vix dum eo pervenerant, compertum fuit, putatos coniuges inter sese devinctos esse tertio consanguinitatis gradu. Quo factum est, ut illico alter alteri coniugi valedixerit, quin unquam post initas nuptias nedum cohabitaverint, aut matrimonium consummaverint, sed et mulier, arcana quadam relate ad virum ratione detenta, nullo pacto adduci unquam potuit ad dispensationem apostolicam pro comperto impedimento postulandam, uti ex literis Episcopi sub die 14 iunii 1873, et ex actis (Alleg. E).

3. Cum autem vir ductam habere nequiret, aliam uxorem ducere statuit. Quare apud proprium Episcopum supplex instetit, ut ad iuris tramites vellet praefatum matrimonium, ob existens consanguinitatis impedimentum, nullum atque irritum solemniter declarare, ipsumque oratorem ab initi connubii vinculis solutum ac liberum proclamare. Causa itaque ab Episcopo demandata fuit suo in spiritualibus Vicario generali, qui processualibus tabulis confectis ad tramites, uti fertur, Constitutionis *Dei miseratione* a s. m. Benedicto XIV latae [1], ex probationibus tum a parochialibus libris, tum a testium depositionibus erutis, compertum habuit, constare de impedimento consanguinitatis in tertio gradu inter Titium S. et Bertam B.

[1] Cfr. eiusmodi Const. infra in *Appendice 1a*.

4. Ad monitum igitur atque praescriptum cit. Benedictinae Constitutionis, matrimonii defensor ex officio apud illam episcopalem Curiam adscitus, quibusdam animadversionibus destruere satagit vim probationum in iudicio deductarum. Et primo quidem nullius momenti esse probationem impedimenti ex parochialibus codicibus deprompptam, duobus ostendere conatur: vel nempe ex eo quod identitas personarum, quae in schemate consanguinitatis recensentur, omnino nutet; - vel ex eo quod in genealogia maiorum Bertae non constet an Dominica P. filia Andreae stipitis, sit avia dictae Bertae, quippe iisdem in libris non reperitur particula matrimonii, quod ab ea Dominica celebratum asseritur cum Augustino B.

Ad probationem autem quod attinet ex testium depositione petitam, eius vim confici facile posse arbitratur ex pluribus exceptionibus, quibus inducti testes laborant. - Dubitari enim rationabiliter posse autumat, quin testes, ex gravi eorum aetate satis mente constiterint, ita ut probe noverint quid in iudicio protulerint, quidve dicere debuissent; - eos paupertate valde premi, unde suspicio quod nullo negotio fuerint pecunia corrupti; - congruam dictorum non dedisse rationem, saepe aliorum dictis contraria, vel diversa et confusa dictitasse, plerumque vero iisdem verbis usos esse, quod praevium inter se conventum supponit; - in pluribus non ex propria scientia, sed ex alieno auditu deposuisse, et quidem generice et negative. - Ex quibus omnibus pro validitate matrimonii standum esse concludit. - His difficultatibus procuratorem actoris iudicialibus deductionibus pridie iam apud Acta exhibitis (Alleg. D) occurrisse putandum est, quamvis hae una cum actorum fragmentis huc non fuerint allegatae.

5. Itaque Vicarius generalis, qui ad universitatem causarum iudex ab Episcopo delegatus inscribitur (Allegat. E), perpensis libratisque hinc inde rationibus tum a matrimonii vindice tum ab actore in iudicio prolatis sive ad asserendum sive ad excludendum consanguinitatis impedimentum in themate, tandem die 27 maii an. 1873 definitivam tulit sententiam, declarans:

« Nullo affatto, di niun effetto, e come se non fosse « mai avvenuto, stante l'impedimento di terzo grado di « consanguinità, il matrimonio celebrato il 15 febbraio di « quest'anno fra l'attore Tizio S. e Berta B. » Alleg. E).

6. Ab hac sententia, contra praedicti matrimonii firmitatem lata, iugalis vinculi ex officio defensor, vestigiis inhaerens cit. Const. *Dei miseratione* § *8,* appellationem ad s. apostolicam Sedem interposuit, uti ex authenticis documentis, *extraiudicialibus* tamen, evidentissime constat.

Scilicet eximius dioecesis N. Antistes haud integram transmisit ad H. S. C. actorum copiam, sed tantum necessaria iudicialia documenta ad impedimentum naturalis cognationis comprobandum, animadversiones defensoris ex officio et sententiam iudicis delegati, ac insuper votum extraiudiciale eiusdem defensoris, qui, salvo iure et apostolico beneplacito, Episcopi postulationibus morem gerit. Postulabat autem Episcopus, pluribus allatis non levis momenti rationibus, ut H. S. O. consulere vellet SSmo pro derogatione cit. Const. Benedictinae in ea parte, qua huiusmodi causas in gradu appellationis cognoscendas ac dirimendas esse praescribit (§§ 8-10), ac viro permittere ut ad alia vota transire valeret, non obstante eiusdem Constitutionis interdicto quamdiu pendeat appellatio a prima sententia (§ 6). Ratus Episcopus gratiam derogationis in casu non denegatum iri, superfluum fore putavit, integram actorum seriem huc allegare. Quae tamen ad H. S. C. misit, satis esse videntur ad iudicium in causa ferendum. At vero diiudicari nequit utrum iudicialia acta fuerint rite inita, prosequuta et absoluta ad tramites Instructionis H. S. O. datae die 22 augusti 1840 [1], et praesertim quoad illas solemnitates, quae vi citatae Constitutionis (§ 7. - Cfr. cit. Instruct.) ad eorumdem actorum validitatem omnino requiruntur.

7. Cum porro preces eiusdem Antistitis delatae fuerint pro voto defensori matrimonii ex officio apud H. S. C. constituto, hic suam opinionem iis omnino adversam in medium protulit. Quibus itaque frustratis, cum de pauperrimis

[1] Cf. huiusmodi instructionem in *appendice 2a*.

personis ageretur, res ad s. Pontificem delata est, qui in audientia diei 21 iulii an. 1873 benigne mandavit ut causa proponeretur coram H. S. O. oeconomice cum voto theologi et canonistae et animadversionibus defensoris matrimonii ex officio. – Canonistae honorifico munere ex humanitate R. P. D. sacrae huius Congregationis a secretis ingenii mei exiguitati demandato illud mihi dubium diluendum proposui, scilicet:

– *An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.* –

Vel ipsa huius dubii enunciatio veluti manu duxit ad inquirendum, ea qua par erat diligentia, de matrimonii valore ob assertum consanguinitatis impedimentum.

Sit igitur sequens disquirenda ac dirimenda

QUAESTIO

An matrimonium in themate nullum atque irritum sit ob assertum consanguinitatis impedimentum.

Ut autem ordini et claritati consulatur, inquirendum prius quid in iure; dein quid in facto plenissime ac certo constet ab exhibitis iudicialibus documentis.

§ 1.

Quid in iure de cognationis naturalis impedimento.

8. Cognatio *naturalis,* seu *consanguinitas,* communiter tam a theologis, quam a iuristis definitur ex d. Thoma (in *4. d. 40. unic. a. 1*) *vinculum personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium,* quod scilicet exurgit ex unitate et participatione eiusdem sanguinis. – Hinc patet, etiam *illegitimos* et *spurios* venire nomine consanguineorum, cum spectato iure naturali, etiam illi ex sanguine tum ipsis tum legitimis communi descendant; adeoque, ut notat Pyrrus Corradus *(Praxis dispens. ap. l. 7. c. 1. n. 6)*, quo ad matrimonii impedimentum et dispensationem, nullum faciendum est inter eos discri-

men. – Hinc etiam consanguinitas iure canonum late ac naturaliter accipitur, ita ut agnatos et cognatos, seu omnes descendentes sive a maribus sive a feminis comprehendat, ita Pirhing *(h. t. n. 2)* ex Barbosa *(h. t. n. 6)*. – Porro personae, huiusmodi consanguinitatis vinculo coniunctae in linea transversa aequali, ut in themate, tot gradibus distant inter se, quot gradibus distant a stipite, uti desumitur tanquam regula ex *cap. ad sedem et cap. parentela 35. quaest.* 5. Cum enim tota et adaequata ratio coniunctionis harum personarum sit unio cum stipite communi, merito computantur gradus iuxta distantiam ab illo, nec possunt magis aut minus distare inter se, quam a stipite. Ita Sanchez *(De matr. l. 7. disp. 50. n. 5)*, Pirhing *(h. t. n. 5)*. Sic itaque filii et filiae patruelium vel consobrinorum, quia in linea recta distant tribus gradibus a communi stipite, ideo sibi sunt in tertio gradu coniuncti, ut pariter in casu.

9. Iam vero, quidquid sit de iure naturae, quo forte aliqua consanguinitas dirimit matrimonium contrahendum (Cfr. Sanchez *l. 7. d. 51*), consanguinitas, ut superius accepta, illud iure pontificio non amplius, ut olim, dirimit usque ad septimum, sed usque ad quartum gradum inclusive, ad quem gradum impedimentum hoc restrictum fuit in Concilio Lateranensi IV sub Innoc. III, ut constat ex cap. *non debet 8. de consang. et affinit.* En verba: « Prohibitio quoque copulae coniugalis quartum consan« guinitatis et affinitatis gradum de cetero non excedat, « quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque « gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter obser« vari.... Cum ergo iam usque ad quartum gradum pro« hibitio coniugalis copulae sit restricta, eam ita volumus « esse perpetuam.... ut si quis contra prohibitionem huius« modi praesumpserit copulari, nulla longinquitate defen« detur annorum, cum diuturnitas temporum non minuit « peccatum sed auget ». Ex quo expresso textu evidenter constat, matrimonium intra quartum consanguinitatis gradum nedum vetari « sed et *si contractum fuerit, dirimi* ». – Et cap. *ex litteris 1, eod. tit.*: « Inquisita vero diligentius « veritate, si per testes circumspectos *omni exceptione ma-*

« iores inveneris quod primus vir superstitem quarto gradu « consanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam « promulgare: *aeque enim (ut canones dicunt) abstinen-« dum est a consanguineis uxoris* (ratione affinitatis), *ut « a propriis* (ratione consanguinitatis) ». His concinit tridentina Synodus (*sess. 24. c. 5. de reform. matr.*): « Si quis « infra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere « praesumpserit, separetur, et spe dispensationis conse-« quendae careat ».

10. Licet haec sint in iure luculentissima, cum tamen in iudicio agitur de declaranda nullitate matrimonii « non « sufficiunt, ad monitum Cosci *(De separat. tori coniug. « lib. 2. c. 18. n. 274 et seqq.)* cum communi, *probationes « dubiae et incertae, minusque coniecturae et praesum-« ptiones; sed requiruntur probationes univocae, conclu-« dentes et in suo genere perfectae,* Sanchez *(De matrim. « lib. 3. disp. 41. n. 4),* Rota...., adeo ut iudex sit non « quasi, sed omnino *certus,* quod *res aliter esse non pos-« sit,* ne quod Deus coniunxit, homo deceptus separet per « errorem, quem evitare omnino tenetur per ea quae tra-« dit Rub.... ».

§ 2.

Quid in facto ex prima probationum classe, ex parochialibus nempe codicibus eruatur.

11. Atqui in themate tum parochiales Codices, tum iudiciales testium depositiones commonstrant, Titium et Bertam in tertio aequali consanguinitatis gradu ex linea collaterali coniungi. Id sane probat in primis librorum parochialium auctoritas, ceu patet ex arbore genealogiae e libris parochiae s. Martini eruta, quamque hic EE. PP. oculis subiicere opportunum duxi:

Andreas P. (stipes)

1. Augustina P. (quae an. 1799 nupsit Stephano Q.)	1. Dominica M.ª Onesta P. (quae an. 1790 circiter nupsit Augustino B.)
2. Magdalena Q. (quae an. 1820 nupsit Augustino S.)	2. Aloisius B. (qui an. 1840 uxorem duxit Margaritam).
3. Titius S.	3. Berta B.

12. Quod autem authenticum huiusmodi schema in omnibus suis partibus veritate nitatur, ex iudicialibus actis (Allegat. A) luculentissime patet. Cum enim Vicarius generalis una cum iugalis vinculi defensore, ad hoc rite citato, libros parochiales tum parochiae B. tum C., quos parochus exhibebat ac scite commonstrabat, *diligenter ac attente perspexerit et expenderit, et iterum atque iterum examinaverit ac perlegerit, recognovit* ex libris baptizatorum et matrimoniorum parochiae B.,

« *Augustinam*, de qua in schemate consanguinitatis « exhibito, esse natam ex Andrea P. et Magdalena iuga- « libus; - Augustinam filiam Andreae P. nupsisse die « 22 augusti 1799 Stephano Q.; - *Magdalenam* natam esse « ex Stephano et Augustina iugalibus; - Magdalenam fi- « liam Stephani matrimonio se iunxisse cum Augustino S. « de loco et parochia C. anno 1820 die 24 iulii; - *Titium* S. « ortum esse ex Augustino S. et Magdalena filia q. Ste- « phani Q. anno 1822 die 20 ianuarii ex libris baptizatorum « parochiae C. constare recognovit ».

Haec ex Codicibus parochiarum B. et C. constant quo ad lineam Andreae (stipitis) - Augustinae - Magdalenae - *Titii*.

Ad alteram autem generationem quod attinet Andreae P., nempe Dominicae - Aloisii - *Bertae, recognovit* pariter ex libris baptizatorum et matrimoniorum parochiae B. « *Do-* « *minicam* Mariam Onestam, de qua etiam in d. consan- « guinitatis schemate, natam esse ex Andrea P. et Mag- « dalena coniugibus. Huius mulieris matrimonium in dictis « libris haud inveniri potuit, licet assertum fuerit, ipsam « circa annum 1790 nupsisse Augustino B. - Assertum « quoque fuit ab eodem parocho, uti habetur in schemate « antedicto: *Aloisium* B. qui ex libris exhibitis natus ha- « betur ex Augustino et Dominica coniugibus B., esse fi- « lium praedictae mulieris Dominicae. In cuius comproba- « tionem exhibuit ex libris ipsis actum matrimonii eiusdem « Aloisii B., quod anno 1840 die 10 mensis maii inivit cum « Margarita T., in quo dictus Aloisius B. dicitur filius Augu- « stini B. et *Dominicae P.* - Recognovit demum R. D. Vi- « carius generalis ex allatis libris parochiae B., Bertam « esse filiam Aloisii B. et Mariae Margaritae T. ortam an- « no 1847 die 4 februarii ».

Suffragantibus itaque parochialibus codicibus luculenter constat, *Titium S.* et *Bertam B.* tertio inter se consanguinitatis gradu coniungi. Siquidem ii non uno in loco supra exaratam genealogiam suppeditant, neque dubitari fas est de eorum authenticitate, quum (in cit. Alleg. A) legatur, quod idem Vicarius generalis una cum matrimonii vindice « Recognovit tandem, actus omnes tum bapti- « zatorum tum matrimoniorum, quos ut supra examina- « vit, esse integros et incorruptos, eodem charactere, manu « et atramento exaratos, quibus reliqui omnes anteceden- « tes et subsequentes, et omnia genuinitatis et authentici- « tatis iudicia exhibere ».

13. At vinculi iugalis defensor illam attollit difficultatem quae oritur ex defectu particulae matrimonii Dominicae P. cum Augustino B., temporum forsan calamitate omissa (an. 1790), in qua particula cognomen eiusdem mulieris fuisset enunciatum. Hinc rigide quidem, sed iure quis posset ambigere an illa mulier, uxor Augustini B. et avia Bertae, sit illa Dominica filia Andreae P., an vero alia Do-

minica ex aliis parentibus orta. Qua altera hypothesi Berta B. originem non haberet ab eo stipite, a quo progenitus fuit Titius S., et asserta inter eos consanguinitas exulatum abiret.

Verum huiusmodi difficultas quanta est evanescit ex eo quod in particula matrimonii Aloisii B., hic inscribitur filius Augustini B. et Dominicae P. Et re quidem vera ad identitatem personarum non maiorem probandi vim haberet particula matrimonii Dominicae P., ac habet particula matrimonii Aloisii B. Iam enim referenti in acta matrimonium tam matris, quam filii, fides adhibenda est parocho sive quod asserat, Aloisium esse filium Dominicae P., sive quod in tabulas retulisset, Dominicam, nuptam Augustino B., esse filiam Andreae P. Siquidem non agitur hic de testimonio ferendo a parocho circa matrimonium coram se celebratum, in quo ipse testis est pro Ecclesia ex facto personali et solemni; sed agitur de filiatione sive *legitima*, sive *illegitima* (Cfr. praec. *n. 8*) per parochi prudentiam, ne subsit *fraus* vel *error*, industriam, probitatem ex adiunctis testata, et quidem *tempore non suspecto*; - agitur non de magna parochia alicuius urbis, sed de parva oppidi B., in qua omnes plerumque familias atque personas coaevus parochus noscit. - Qui igitur fieri potuit, ut parochus oppidi B. non probe noverit, aut fuerit errore vel fraude deceptus cum scripsit, Aloisium B., uxorem ducturum, esse filium Augustini B. et Dominicae P. vel adhuc viventis, vel nuper e vivis sublatae?

§ 3.

Quaenam fides parochialibus libris sit adhibenda.

14. Verum enim vero quamnam fidem merentur parochiales libri ad probandum impedimentum sive consanguinitatis, sive aliud quodvis? - Ut iis codicibus et cuique suum probandi robur, ea qua par est mensura, reddatur, retinendum est, citra omnem dubitationis aleam, libros parochiales plenam fidem facere tanquam publica instrumenta magnae auctoritatis in iis quae parochus uti testis

ex facto et officio proprio testatur. Hinc huiusmodi libri attestantes de baptismo, matrimonio, morte secutis aliisque huiusmodi, plene probant. (Masc. *de prob. concl. 673*; – Genova *de script. privat. l. 5. c. 9. qq. 1-2*; – Pax Iordanus *tom. 3. tit. de fide instrum. n. 48*; – Reiffenst. *eod. tit. n. 127*). Quandoquidem « licet talis liber, uti, citt. DD. « secutus, scribit Leurenius, non sit publicus, id est, manu « notarii cum debitis solemnitatibus conscriptus, sit tamen « auctoritate Concilii tridentini, quod *sess. 24. c. 1 et 2 de* « *reform.* praecipit parochis conficere et asservare tales « libros, *industria et fides parochi electae* ad eosdem con- « scribendos; et consequenter nisi tales libri publice et « apud omnes *fidem facerent et plene probarent,* hoc onus « frustra a Concilio parochis impositum fuisset. Sic liber « baptismalis parochi probat non tantum *baptismum,* sed « et *aetatem,* item *originem*, et impedimentum *cognatio-* « *nis spiritualis* (Cfr. eumdem Leuren. *in Foro benefic. p. 1.* « *q. 432* citantem pro singulis plures DD.) – Sic liber ma- « trimonialis probat plene *matrimonium*, etiam mortuis « testibus (Sanchez, *de matrimonio l. 1. d. 15. n. 22*; – « Masc. *de prob. concl. 672. n. 18*; – Barbos. *de Offic. pa-* « *roch. c. 7. n. 18*). – Sic liber mortualis probat *mortem* « et *sepulturam* (Barbos. *l. c. n. 12*; – Genov. *l. c. q. 2*. . .). – « Modo tamen aliunde non constet de contrario, et de er- « rore istiusmodi libri parochialis doceatur, ob quam ra- « tionem etiam instrumentum publicum notarii impugnari « potest » (Leurenius: *Forum eccles.* in *lib. 2. Decret. tit. 19. quaest. 543. n. 11*).

His gemina scribens, Leurenium praeiverat Reiffenstuel (l. c.), qui parochialium codicum auctoritatem fidemque attollit, extendens ad omnia in eis contenta, dummodo ad parochi officium pertineant: « ibi » Libri parochiales de « quorumdam baptismo, matrimonio vel morte attestantes, « *et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia, plene* « *probant* ». Eadem et ipse ratione nititur quod « auctori- « tate sacr. Conc. trident. *industria* et *fides* parochi est « electa ad conscribendum talem librum; ergo indubitan- « ter fides tali libro est adhibenda.... Intellige, dummodo

« aliunde de opposito non constet, aut de errore doceatur: « qua ratione etiam instrumentum publicum notarii impu« gnari posse, infra dicetur » (Reiffenst. *lib. 2. Decret. tit. 22. de fide instrum.* § *4. n. 127*).

15. Verum quidem est, ut citati auctores innuunt, dari posse aliquem rarissimum casum, quo parochus in designanda *origine* seu *filiatione* sive in libro baptismali sive in codice matrimoniorum possit vel *fraude* vel *errore* decipi: quare vigilanter Gonzalez *(ad regul. 8. Canc. gloss. 9.* § *1. n. 1, 3)* per hos libros probari etiam *originem* intelligit *cessante fraude,* quod eum secutus animadvertit etiam Barbosa *(De Offic. paroch. part. 1. c. 7. n. 5).* - At praeter quam quod clamarent omnes sane critices regulae si ob unum vel alterum possibilem casum fraudis vel erroris, destrui vel minui vellet fides et auctoritas eorumdem librorum ceteroquin firma et constans in omnibus attestationibus; - sed insuper qui de fraude vel errore documenta huiusmodi insimulare, et inde petitam *originis* probationem vellet impetere, id luculenter probare deberet, idest de fraude vel errore docere, ut vidimus communiter teneri *(n. 14).* Secus enim possidet et firma stat istorum codicum auctoritas ad plenam fidem faciendam eorum omnium attestationum, quae in eis continentur, quaeque ad officium parochi pertinent.

16. Atqui in themate nedum nullo pacto constat et nemo docuit de fraude vel errore tum in designatis parentibus Aloisii B., tum in identitate ceterarum personarum schema consanguinitatis componentium, sed immo testium iis personis coaevorum luculentissimae ac iuratae depositiones plenissime relatum schema confirmant, ut mox videbimus, et positive omne prorsus dubium omnemque fraudis vel erroris suspicionem excludunt. - Ergo genealogiae probatio in themate ex libris parochialibus deprompta iam per se firma est ac plena.

§ 4.

Quid ab altero probationum genere, ex testium nempe depositionibus confirmetur: ubi de testium qualitate disseritur, et qualiter hoc in genere probationis deponere debeant.

Properandum tamen est ad alterum probationis genus ex testium depositionibus, quibus, quae ex parochialibus libris eruuntur, adamussim ac plenissime confirmantur. Quarum depositionum probandi vis ut luculenter appareat, nonnulla praemittenda sunt.

17. Et primo quidem ad probationem impedimenti pro dissolvendo matrimonio requiruntur saltem duo testes *omni exceptione maiores* « quia est causa gravissima, in eo« que de magno praeiudicio agitur. Habetur expresse *c. 1.* « *de consanguin.* ubi id docent omnes.... Excipe nisi agatur « de dissolvendo matrimonio ratione *consanguinitatis:* tunc « enim sunt *legitimi testes* parentes et consanguinei » (Sanchez *De matr. lib. 2. disp. 45. nn. 30-31*); idque clare constat ex cap. *videtur 3, qui matrim. accus. poss.,* ubi traditur haec ratio: « Ideo enim maxime parentes, et si de« fuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unus« quisque suam genealogiam, cum testibus et chartis, tum « etiam ex recitatione maiorum scire laborat ». - *Omni* autem *exceptione maiores* illi dicuntur testes nedum qui sint *idonei* seu *legitimi,* sed et de quorum assertione nulla dubitatio nasci possit (Cfr. Leuren. *Op. cit. lib. 2. Decret. tit. 20. q. 560. n. 2*) [1]. Et ideo his in causis « omni exce« ptione maiores... censentur etiam consanguinei, si sint « probatae vitae, et matrimonium illis expediens » (Leu« ren. *ibid. lib. 4. tit. 19. de divortiis, q. 286. n. 2*).

Praeterea, ut sedulo monet Corradus « sive consangui« nitatis, sive affinitatis impedimentum debet probari per « testes deponentes *per gradus distinctos,* et alias servata « forma c. *licet 2.* § *testes autem, de testibus,* ubi cavetur

[1] Recole supra dicta *part. 1. cap. 6. art. 3. n. 9. pag. 188.*

« praesertim quod ipsi testes *personas* expressis *nomini-* « *bus,* vel demonstratione aut circumlocutione sufficiente « *designent,* et ab *utroque latere singulos gradus* clara « computatione *distinguant:* et in eorum iuramento con- « cludant se *accepisse a suis maioribus* quod deponunt, « et credere ita esse: sed nec tales sufficiunt, nisi iurati « deponant, *se vidisse personas*, vel saltem *in uno prae-* « *dictorum gradu constitutas, pro consanguineis se habere.* « Sunt omnia fere verba text. d. c. ». (Pyrr. Corrad., *praxis dispensat. lib. 7. c. 6. n. 21.*),

18. Atqui in themate tres testes habentur nedum *legitimi,* sed et *omni exceptione maiores,* qui formiter examinati plenissime probant impedimentum consanguinitatis inter contrahentes, *designatis personis, distinctis gradibus,* iisdemque facto proprio *cognitis,* eosdemque pro *consanguineis se habuisse,* uno verbo ad tramites praedicti capitis deponentes. – Hi autem sunt *Petrus P.* q. Angeli filii Andreae stipitis, aetatis suae annorum octoginta quinque: – *Clemens T.* q. Iacobi, annum suae aetatis agens septuagesimum primum; – *Antonius F.* q. Petri, aetatis annum attingens septuagesimum quintum; omnes de parochia B. Hi tres itaque testes ascendendo a contrahentibus ad stipitem in utraque linea, prout interrogatoria defensoris postulabant, deinde a stipite ad contrahentes, eandem concinnant genealogiam, qualem ex libris parochialibus erutam superius retuli, plenaque probatione confirmant.

19. Et re quidem vera *Petrus P.* respondendo ad interrogatoria, quae non fuerunt allegata, haec iudicialiter sub iuramenti religione deponit: « 1° Conosco benissimo « Tizio S. della parrocchia C... – 3° Ho conosciuto benis- « simo suo padre e sua madre, per aver avuto luogo a « parlare e conversare con loro molte volte. – 4° Essi si « chiamavano Agostino S. e Maddalena Q. – 5° Essi sono « morti in C. – 6° Posso dire che essi fossero i di lui geni- « tori per saperlo certo, e perchè da tutti erano tenuti e « ravvisati per tali. – 7° Ho conosciuto personalmente la « madre della sopraddetta Maddalena Q., e nonna di Ti- « zio S. surricordato, ed ero già uomo fatto quando morì.

« – 8° Essa si chiamava Agostina P. – 9° Dico che essa era « madre di Maddalena Q. e nonna di Tizio S., perchè da « tutti era tenuta e riconosciuta per tale. – 10° Era essa figlia « di Andrea P., non potrei però dire il casato della madre « che era Margherita. – 11° Ho conosciuto benissimo il pa- « dre di Andrea P., ma non esso, che morì presto per es- « sere caduto da un albero, sebbene fossi già nato quando « fece la caduta *(Circumstantiam hanc de genere mortis « Andreae P. testatur et Antonius F., quod magis iden- « titatem personae demonstrat).* – 12° Andrea P. era si- « curamente padre dell' Agostina già detta, perchè ricordo « bene che da tutti era avuta e tenuta per di lui figlia ».

Deinde data sunt eadem interrogatoria quo ad Bertam B. eiusque genitores et ascendentes, ac respondit:

« 1° Conosco benissimo Berta B... – 3° Conosco appieno « suo padre, ed ho conosciuto per bene sua madre per « essere del mio stesso paese. – 4°. Il padre si chiama « *Luigi B.*, e la madre *Maddalena T.* ». *(Notandum hic est quod testis desuper nuncupat Margaritam Andreae P. uxorem, cui verum nomen Magdalena; et Magdalenam hic appellat Aloisii B. uxorem, quae Margarita nuncupatur. Sed praeter quam quod haec mera allucinatio esse videatur sive testis vel ex eo quod illae mulieres iam ad plures abierant, sive amanuensis, non afficit rei substantiam et consequenter non adimit testi fidem* (Cfr. Cosci: *de separat. tori lib. 3. decis. rot. 10. num. 68*), *quippe non ab iis uxoribus, quaevis demum sint, consanguinitas dependeat, sed ab earum viris Andrea et Aloisio, uti schema inspicienti patet).* – « 5° Egli vive, ma questa è « morta. – 6° Egli è ritenuto da tutti per padre di detta « Berta, ed esso la tiene come sua figlia, ed essa come « suo padre. – 7° Ho benissimo conosciuto la madre di « detto Luigi B. per averla veduta tante e tante volte. – « 8° Essa si chiama *Domenica P.* – 9° Posso dire che era « madre dello stesso Luigi B., perchè era pubblico e no- « torio a tutti che essa fosse la di lui madre. – 10° Essa « era figlia di *Andrea P.* – 11° Come già ho detto non ho « conosciuto Andrea P., ma sibbene il di lui padre. – 12° So

« certo che la detta Domenica era figlia di Andrea P. e so « pur certo che da tutti e pubblicamente esso Andrea era « tenuto per di lei padre sebbene morto ».

Ad alia interrogatoria praeterea respondit, videlicet:

« 13° Sì, Agostina P. e Domenica P. summentovate erano « *sorelle,* e lo so certissimamente, tutte due erano della « stessa casa, da tutti erano riconosciute per tali, e per « figlie di Andrea P. - 14° Non so e non posso dire se « Luigi B. e Maddalena Q. si chiamassero fra loro cugini, « ma li sono certamente perchè figli di sorelle. - 15° Sì, « Tizio S. e Berta B. sono parenti fra loro in 3° grado, e « il detto *Andrea P.* è lo stipite: da esso è venuta *Ago-* « *stina* e *Domenica,* da questa *Luigi B.* di lei figlio, e da « questo Berta B. di lui figlia. Da Agostina poi *Maddale-* « *na Q.* di lei figlia, e da essa Tizio S. di lei figlio ». (Alleg. C).

20. His gemina omnino habet alter testis *Clemens T.* pariter sacramenti religione firmata, ad eadem interrogatoria respondens. Quare ne EE. PP. S. C. patientia abuterer, ea missa feci, satis superque reputans proferre eiusdem responsum ad 15um, quo schema consanguinitatis per gradus concinne exponit: « So positivamente che Tizio S. « e Berta B... sono veramente congiunti in 3° grado di pa- « rentela fra di loro; ed ecco l'albero di parentela. *An-* « *drea P.* stipite, da cui da una parte sono venuti *Dome-* « *nica* di lui figlia, *Luigi B.* figlio di questa, e *Berta B.* « figlia di quest'ultimo. Da un'altra parte poi *Agostina* « altra figlia di Andrea stipite, da essa *Maddalena,* e da « Maddalena *Tizio S.* » (Alleg. C).

21. Pariter solemni iureiurando firmata eadem, ac primus et alter testis, ingeminat *Antonius F.,* qui optime noverat genealogiam Andreae P. vel ex eo quod cum aliquando optaverit uxorem ducere Magdalenam filiam Augustinae P., quam tamen non duxit, saepe ut fieri solet, eius domum frequentabat, et filiam et matrem eius Augustinam, huiusque sororem Dominicam alloquebatur: unde longe aberat ut eum posset earum genealogia latere. Quare et ipse ad 15um interrogatorium iure potuit concludere:

« Dico finalmente che i suddetti *Tizio S.* e *Berta B.* sono « parenti fra loro in 3° grado. Ed ecco l'albero che stabi- « lisce la loro parentela: *Andrea P.* stipite, da cui è ve- « nuta *Agostina* e *Domenica,* da questa *Luigi B.,* e la di « lui figlia *Berta B.* Da Agostina poi *Maddalena Q.,* da « Maddalena *Tizio S.* di lei figlio » (Alleg. C).

22. His omnibus patet, arborem consanguinitatis ex parochialibus codicibus erutam luculentissima ac plenissima probatione confirmari per testes nedum in themate idoneos, sed et omni exceptione maiores ut superius innui. Hi enim talibus praerogativis pollent, ut plenam valeant fidem in iudicio facere. Huic conclusioni suffragatur in primis perspecta eorundem religio, fides, morum honestas, optima fama (Alleg. E). – Suffragatur gravis eorum aetas, maturitatis iudicii socia, corrumpi nescia (Alleg. E), et in qua perfecte sui compos mens elucet, uti eorum iudicialia responsa evidenter ostendunt, quaeque confirmant quod experientia docet, senes clarius memorari factorum dictorumque praecedentis eorum aetatis, quam praesentis. – Suffragatur iusiurandum ab eis solemniter nuncupatum, quod, concurrentibus recensitis praerogativis, moralem certitudinem praebet, eos vera dixisse. Iis enim aperte repugnat, huiusmodi testes in iudicio tantae gravitatis potuisse tantum nefas patrare, ut miseri quaestus (si quem habere potuissent ab alio ruricola eiusdem ac ipsi conditionis et facultatis, *colono del parroco di s. Venanzio,* Alleg. C. qualis est actor) aut comitatis causa, falsum proferrent, ac turpi periurio firmarent. « Non tam autem ex « facultatibus, quam ex fide et moribus testis idoneus ae- « stimatur » uti ex Gloss. docet Cosci *(De separ. tor. lib. 2. c. 8. n. 46).* – Praeterea suffragatur quod comperta oculis perferant: quandoquidem sive ratione eiusdem sanguinis, sive eiusdem loci, sive gravis aetatis, plene ac personaliter noverint omnes personas, aliosque singulos gradus distinxerint (praec. *n. 18*), quibus constat arbor praedicta, *excepto stipite*; quod nihil officit, cum certa propriaque scientia probe noverint stipitis filias, Augustinam et Dominicam, et certo sciverint esse sorores. – Suffragatur at-

testationum concordia, cum in texenda praedicta genealogia Andreae P., nihil testati sint quod aliorum dictis contradictionem vel contrarietatem implicet, vel dubium ingerat, vel singularitate attestationis laboret; sed omnes uno ore concordes super uno eodemque multiplici obiecto, vere *contestes* eluxerint (De quo cfr. Leuren. *For. eccl. lib. 2. Decret. tit. 20. de test. q. 601 et seqq.* - vel supra *part. 1. cap. 6. art. 3. n. 9. et seqq. pag. 188 et seqq.*). - Suffragatur attestationum qualitas, cum noscantur non ambagibus involutae sed clarae et simplices, non nutantes sed firmae, non negativae sed positivae, immo adminiculorum ac specialium circumstantiarum multiplicitate determinatae et suffultae, neque ex praecedenti condicto sed extemplo in actu examinis prolatae ad interrogatoria ipsis antea ignota; cumque responderent ad eadem et verbis et ordine interrogatoria cuique testi proposita, hinc iisdem fere locutionibus concinnatae emerserunt. - Suffragatur quod scientiae bonam causam seu rationem singuli testes attulerint ad dicta factaque ab ipsis immediate audita ac perspecta sustinenda, ac eiusmodi attestationum rationes fuerint, ut, rudi quamvis ingenio, fere omnes insinuent sive *veras* ac *certas probationes,* sive *praesumptivas iuris,* quibus *filiatio* communiter ac plene probari solet (Cfr. Leuren. *For. eccl. lib. 2. Decret. tit. 19. quaest. 554.* « An et qualiter probanda filiatio »), et praesertim ad tramites cit. cap. *licet. 2. de testibus* (v. praec. *n. 17*), quo modus praescribitur consanguinitatis impedimentum probandi per testes. Atqui vel ex hoc tantum « *omnis testibus praestanda esse fides* » cum communis DD. sententia sit, « quod « dictum testium de iure veniat regulandum *a ratione,* « *quam reddunt* » (Ursaya *Discept. eccl. t. 9. p. 1. discept. 5. n. 11. et discept. 11. n. 67.* Cfr. et Leuren. *l. c. q. 640*).

23. Hisce autem conclusionibus, ex visceribus probationum depromptis, per se corruunt omnes difficultates defensoris matrimonii superius relatae *(n. 4),* sive illae quae aliquem fucum facere videbantur, sive quae gratis fuerunt assertae.

24. Quae cum ita sint, ut tam parochiales codices, quam luculentissimae testium depositiones amice coniurent, ac plenissime probent, *Titium S.* et *Bertam B.* esse inter se coniunctos tertio consanguinitatis gradu, luce meridiana clarius apparet, eorum matrimonium die 15 februarii 1873 in cathedrali Ecclesia N., absque apostolica dispensatione celebratum, fuisse et esse ipso iure nullum atque irritum: quod erat inquirendum (*n.* 7 praec.).

§ 5.

Apostolicam dispensationem in casu defecisse ostenditur.

25. Porro quod revera non praecesserit apostolica dispensatio super huiusmodi impedimento matrimonium dirimente, ex pluribus constat. Ac primo quidem cum nihil volitum quin praecognitum, ac certo constet, tempore initi matrimonii neminem de impedimento cogitasse, ne ipsum quidem parochum ac duos testes iuratos; qui immo nullum inter contrahentes impedimentum extare Curiae episcopali testati fuerant (praec. *n. 1*), hinc dispensationem petere nemo potuit super ignoto impedimento. – Praeterea ipsamet episcopalis Curia testatur, neminem ex contrahentibus, nec quemquam alium pro ipsis unquam petiisse, obtinuisse ac *exhibuisse* eidem Curiae ullam dispensationem super eorum *publico* impedimento consanguinitatis in tertio gradu. Neminem vero latet, quod de stylo tum Datariae apostolicae, tum sacrae Poenitentiariae (pro pauperibus) concedi dispensatio non soleat super huiusmodi *publicis* impedimentis absque litteris testimonialibus Curiae episcopalis Oratoris. – At dato etiam quod aliquando absque praefatis litteris dispensationes concedantur, certum est, Ordinarium eas ignorare non posse. « Olim quippe, « uti scribit Corradus, huiusmodi dispensationes in ipsa « romana Curia, causae cognitione, narratorumque verifi- « catione praecedente, in forma gratiosa ut plurimum con- « cedebantur » (Pyrr. Corradus: *Praxis dispens. l. 7. c. 1. in exord.*). Verum, ut idem ibi et accuratius alibi notat « Decreto sacri Concilii tridentini, *sess. 22. c. 5. de refor.*,

« cavetur expresse, quod dispensationes, quacumque au-
« ctoritate concedendae, si extra romanam Curiam com-
« mittendae erunt, *committantur Ordinariis illorum, qui*
« *eas impetraverint:* quod dicendum est etiam de *dispen-*
« *sationibus gratiosis, quae nec suum effectum sortiri pos-*
« *sunt, nisi primo a praedictis Ordinariis* tanquam dele-
« gatis apostolicis summarie et extraiudicialiter *cognosca-*
« *tur* an preces veritate nitantur, vel subreptionis aut ob-
« reptionis vitio laborent, prout etiam declaravit H. S. C.
« sub die 14 ianuarii 1588 » (Corradus *ibid. lib. 2. c. 5. n. 15*) [1].

26. Sed vel ipsa putatorum coniugum agendi ratio idipsum confirmat. Ubi enim conscii fuissent de obtenta dispensatione, explicari nequiret quomodo vix initis libenter nuptiis, et impedimento detecto, alter ab altero statim discesserit (praec. *n. 2*): saltem vir, cui hoc matrimonium videbatur expediens atque arridens, quin mulieris consensum praestolaretur ad dispensationem postulandam, arrepta illius iam obtentae ratione, suam immo legitimam reclamasset uxorem.

Quod si integra actorum processualium series sub oculis haberetur, forsan et ex iuratis aliorum testium et ipsorum coniugum depositionibus, collusione remota, probari abundantius posset, dispensationem in themate nec obtentam nec etiam efflagitatam unquam fuisse. Sed ex dictis hoc satis superque constat.

CONCLUSIO

27. Iam vero cum ex una parte sic initum connubium nunquam fuerit consummatum, neque aliud quodpiam damnum reparandum sit; et ex altera obstet in praesenti vel utriusque contrahentis, vel saltem mulieris explicitus dis-

[1] Cfr. in *Appendice 7ª* instructionem *super dispensationibus matrimonialibus,* in qua et praecipuae *causae* ad dispensationes obtinendas enumerantur, et ea indicantur quae in precibus *exponere* oportet, ne, subreptionis aut obreptionis vitio ipsis laborantibus precibus, obtenta dispensatio nullitate tabescat.

sensus ad apostolicam dispensationem petendam, ita ut ineptum multiplici ex capite foret in themate de dispensatione in radice vel mentionem facere, hinc fit locus libertati coniugum, uti fert praxis notissima H. S. O., qui cognita connubii invaliditate, libertatem coniugum proclamare in more habuit. Sic, ut innumera missa faciam exempla, in causa huic simillima, cui titulus *Verulana matrimonii*, H. S. O. die 13 augusti 1870 ad dubium « An constet de nullitate matrimonii in casu » – respondit: *Affirmative*, quin ullam libertati contrahentium legem indiceret.

28. Itaque et ad idem dubium, vel ad hoc aliud quod in praesenti causa forsan proponi posset, scilicet:

« An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

Responderi posse videtur:

Praevia actorum sanatione, quatenus opus sit, sententiam esse confirmandam ».

Haec tamen omnia, ea qua par erat reverentia, sapientissimo EE. PP. S. C. iudicio ac censurae libenti animo subieci.

Responsum S. C. Concilii ad propositum dubium.

Proposito dubio: « An sententia Curiae N. sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

S. C. die 31 ianuarii 1874 respondit: *Sententiam Curiae episcopalis esse confirmandam.*

DISCEPTATIO TERTIA

De matrimonii nullitate ex impotentia ac de matrimonii rati non consummati dispensatione.

ARGUMENTUM

Agitur 1ª. quaestio: *An constet de nullitate matrimonii ex capite impotentiae viri.*

Ad hanc tuto dirimendam quaestionem

a) accurata traditur actorum synopsis in ecclesiastica Curia rite confectorum;

b) inquiritur quaenam impotentia matrimonium dirimat;

c) ex actis ostenditur, virum laborare impotentia absoluta, *antecedenti* et *perpetua,* quod canonica et medico-legali iurisprudentia confirmatur;

d) disseritur de *triennali experientia* peragenda vel omittenda, prout *dubia* vel *certa* fuerit impotentia.

Agitur 2ª. quaestio: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio tanquam rato et non consummato in casu.*

Et ad hanc diluendam, duo praecipue inquiruntur, nempe

a) an decretoria extent argumenta, quibus *non secuta consummatio* luculentissime pateat; quod tum ex *viri impotentia,* tum ex perspecta ac satis superque probata physica *mulieris virginitate* constare ostenditur;

b) et an *iustae* in casu concurrant *gravesque causae* pro pontificia dispensatione: quae ab *actuali* sive perpetua sive temporali *impotentia* viri, atque ex *animorum aversione* petuntur.

Obiter autem agitur de triplici dispensationum forma, nempe *gratiosa, commissaria* et *mixta.*

III.

1°. De nullitate matrimonii ex impotentia.
2°. De matrimonii rati non consummati dispensatione.

1. Cum ab Eminentissimis Patribus s. Concilii tridentini interpretibus dirimenda esset quaestio, eisdem in gradu appellationis delata, super matrimonii firmitate, quod in urbe N. die 31 ianuarii 1864 inierat Iulia cum Caio; cumque Sanctissimus D. N. benigne indulsisset, ut haec causa proponeretur oeconomice cum voto theologi et canonistae, et animadversionibus defensoris matrimonii ex officio, R. P. D. sacrae Congregationis Concilii Secretario, datis litteris diei 8 octobris an. 1870, placuit *canonistae* munus mei tenuitati committere, ut de actis quae inscribuntur – « *Nullitatis matrimonii* » – ex capite impotentiae in epi-

scopali Curia confectis, opinionem meam proferrem. Morem itaque gerens tanti viri officio, et pro meis viribus suscepto muneri manum apponens, ut claritati et ordini consulerem, eorumdem actorum seriem principio exponendam studui ut sequitur.

ACTORUM SYNOPSIS

2. Iam valida inierat sponsalia Caius filius Virgilii et Annae cum Lucia filia Antonii alterius civitatis et dioecesis, antequam matrimonium, de quo hic agimus, celebraret; sed ob compertam eiusdem Caii impotentiam, ut testes deponunt, sponsalia illa, tabulis licet nuptialibus confirmata, soluta omnino fuerant. Ad alia itaque vota se convertens Caius, oculos iniecit in puellam quandam episcopalis civitatis N., scilicet Iuliam. Facta itaque a Caio formali petitione patri puellae, ut ei vellet filiam suam in uxorem dare, hic precibus libenter annuens, intra trimestre spatium, annuente et nuptura puella, matrimonium mense ianuario anni 1864 celebrare sponsi eorumque parentes mutuo paciscuntur. Neque a proposito removere valuerunt bonae fidei parentes puellae plures epistolae anonymae iisdem missae, quibus conclamabatur notoria Caii impotentia, ne eorum filiam in summum infelicitatis coniicerent. Bonae, inquam, fidei parentes, ne imprudentissimos dicam. Satis enim superque sibi filiaeque consultum fuisse duxerunt, si easdem literas legendas traderent Caio, uti reapse egerunt, eique indignabundo easdem literas veluti iniqua invidaque calumnia ab suis inimicis conscriptas reiicienti fidem adhiberent.

3. Die itaque 31 ianuarii an. 1864 Caius, aetatis suae annum agens vicesimum secundum, et Iulia duodeviginti annos nata, ad normam sacrosanctae tridentinae Synodi, matrimonium celebrarunt coram parocho Ecclesiae s. Augustini (Ex actorum copia foll. 12–13). - Sic inito matrimonio in faciem Ecclesiae, quid peractum fuerit, quidve inter ipsos secreto et palam evenerit, accuratius et plenius ex tanta specialium ad praesentem causam circumstantiarum varietate enarrari nequiret, quam ipsissimis verbis

Iuliae. Ipsius enim iudicialis depositio seu confessio diebus 26 et 27 martii et 2 aprilis an. 1868 peracta, iuramenti religione non semel firmata, et die 13 maii eiusdem anni in iurata ratihabitione confirmata si cum testium atque contestium iuratis depositionibus conferatur, nihil prorsus, nedum animi haesitationis, sed nec quidquam contradictionis, dubii, perturbationis, obscuritatis praeseferet in texenda historia infelicis ipsius connubii inde a prima nuptiarum nocte ad diem separationis, volvente scilicet longo biennii spatio, quo cum Caio convixit ac condormivit. Ea insuper depositio, testium iuratis depositionibus iuxta ac comprobatis abunde factis consona, magnam lucem effundet in totam causam, et veluti ipsius decisionis basim constituet. Audiamus igitur ea tantum, quae ad facti speciem seu ad summam causae breviter exponendam conferunt.

4. Interrogata igitur Iulia super 5° interrogatorio, una cum aliis exhibito a defensore validitatis matrimonii et Fisci patrono, videlicet: « Quanto tempo dopo la contra- « zione del presente matrimonio si sia unita di abitazione « e di letto con suo marito? Dove e quale fu questa casa? « Quali e quanti furono coloro che coabitarono nella casa « medesima? Per quanto tempo abbia coabitato e dormito « col suo marito? Se siasi interrotta la detta coabitazione « e condormizione? Quante volte, quanto tempo, e per « qual motivo? – (Actor. cit. fol. 16).

Respondit: « Immediatamente che fu contratto il ma- « trimonio nella Chiesa parrocchiale di s. Agostino, che fu « celebrato di sera, il signor Caio, per convenzione fatta « co' miei genitori, si ritirò in casa sua, ed io in casa mia, « adducendosi che il matrimonio si sarebbe consumato il « dì appresso in Napoli. In effetti il mattino seguente col « secondo convoglio della ferrovia ivi ci recammo io, lui, « la sua genitrice, i miei genitori con una mia domestica « per nome Sempronia. Durante il lungo viaggio io pren- « deva molta meraviglia e sorpresa, perchè il mio marito « mostravasi tutto preoccupato ed esagitato di animo, « senza mostrarmi una significazione di affetto, di deside- « rio, o di amorosa irrequietezza, come dovrebbe avvenire

« in simili casi ». *(Iuvat hic adnotare apathiae non dubia indicia in viro).* « Tutte le sue parole erano rivolte a mio « padre. Arrivati in Napoli, si prese stanza in una locanda « nella strada di s. Giuseppe, e vi giungemmo dopo averne « girate molte indecenti, verso le quattro e mezzo pome- « ridiane. Ad un'ora di notte circa fummo fuori di tavola: « dopo fummo rimasti soli in una stanza da letto. Egli « non facendomi nessuna premura *(en alia apathiae vel « frigiditatis indicia)*, ed io stanca dal disagio d'una gior- « nata intiera, divisai di svestirmi, e di gittarmi sul letto « per riposo ». Hoc in loco suam Iulia iuridicam prose- quebatur depositionem. At honestas non patitur, ut sin- gula, quae in ea enarrantur, publice exponantur. Satis est scire, « Caium frustra saepe tentasse rem uxoriam per- « ficere; qua spe frustratum, et barathro desperationis « abreptum, animique tempestate iactatum, fassum fuisse, « se nequire ulterius prosequi in nupta puella decipien- « da..... » *(De quanam deceptione nisi de antecedenti im- « potentia Caius loquebatur? Ex contextu patet).* « Io non « posso descrivere l'imbarazzo dell'anima mia lacerata in « quel frattempo: credeva e riteneva che io era da lui « odiata e malveduta, e quindi comprendeva tutta l'impor- « tanza dell'infelicità, che mi era senza colpa sovrappiom- « bata, e confesso innanzi a Dio, che da poco sortita dal- « l'educazione delle Figlie della Carità di....., ove era pen- « sionista, e tenuta in casa dai miei buoni genitori con « ogni circospezione di morale, di pietà e di religione, non « comprendeva affatto cosa poteva significare uso di ma- « trimonio. Ma quando in quello scompiglio capii di che « trattavasi, e non già di odio o di antipatia, come imma- « ginava, mi rinfrancai l'animo, e significai che era ben con- « tenta dello stato in cui mi trovava, se egli mi avesse « trattato affettuosamente da sorella.... Allora egli insieme « con sua madre, e contro volontà di mio padre, volle re- « carsi in casa del professore medico Sig. Dr. Giuseppe, « come vi si recò di fatto, e ne portò una prescrizione di « farmaci, che puzzavano orribilmente, e che prendeva in « un cucchiaio in ogni quarto d'ora, non che la prescri-

« zione di una frizione in certo spirito, che non saprei dirne « il nome, che dovea farsi di frequente sulla sua spina « dorsale, che gliela faceva io medesima ». *(En cura impotentiae, medici consilio et praescriptionibus suscepta, sed frustra, imo cum gravi corporis ac valetudinis damno, ut inferius patebit).* – « Rimanemmo in Napoli per lo spazio « di quindici giorni, e con tutti i farmaci e le frizioni, e « con tutti i consigli de' medici, *et tota opera ac studio, « quibus ipsius iniunctionibus ac tentaminibus adhibitis me« met praestabam, numquam contigit ut unicum saltem « consequeretur viripotentia signum.* Pravis autem sibi da« tis consiliis Caius renuit morem gerere, affirmans, se « quibusvis vel nudae veneris illecebris haud moveri posse « ad rem habendam ». *(Maneat alta mente reposta huiusmodi ex frigiditate impotentiae confessio ab ipsomet Caio tempore non suspecto prolata).*

« Dopo i predetti quindici giorni ritornammo in patria, « ed io presi coabitazione e condormizione con lui nella « casa, ove furono anche fatti continui tentativi di consu« mazione, sebbene non con tanta frequenza, ma sempre « indarno. E quindi debbo soggiungere che la di lui ma« dre temendo che non gli fosse incolto qualche maleficio, « per mezzo della mia genitrice si cercò di un tale per « soprannome C. » *(Hic est Horatius ille, cuius depositio habetur in cit. Act. fol. 103 et seqq.)* « anche della stessa « città N., che qui tenevasi molto perito nelle arti magi« che, ed il quale si recò di fatti in casa, e dopo varii giri « e molti segni simbolici, che fece attorno al letto maritale, « se ne andò via, ed intanto nessuno effetto all' uopo fu « possibile ad aver luogo.

« Dopo pochi mesi di abitazione e condormizione, egli « si ammala gravemente di un morbo che colpì diretta« mente *sua verenda, testiculorumque scrotum,* con un « largo sfogo marcioso lungo la spina dorsale che lo tenne « guari tempo a letto: io frattanto gli usava tutti i servigi « immaginabili e tutte le amorevolezze di moglie, per le« nire quanto era in me la sua pericolosa malattia ed i « suoi dolori acerbissimi che soffriva segnatamente di

« notte. I medici che lo assistevano erano il Sig. Dr. Gio-« vanni C. ed il Sig. Dr. Giovanni A., i quali assicuravano « che la malattia era provenuta dall'abuso dei farmaci *per « farsi potente.* Durante l'infermità io interruppi la con-« dormizione ecc. Risanato si riattaccò, come si riattacca-« rono i suoi moltiplicati sforzi per la consumazione, ma « tornarono sempre vani, poichè non si verificava mai « *formalis erectio.* Un' altra interruzione di letto avvenne « in C. per i pericoli del colera del 1865. Ritornati in pa-« tria ci riunimmo anche di letto per qualche tempo, an-« che con tentativi inutili di cunsumazione; ma qualche « mese prima della intiera mia separazione da lui, egli non « non volle più dormir meco, prendendo letto nella stanza « della di lui madre, e lasciando me sola nella stanza nu-« ziale con la domestica » *(Vir ab uxore sponte sua recedit, non haec a viro, post innumera ad rem uxoriam habendam et usque frustrata tentamina intra biennii spatium);* « ed io mi vi acquietai ben volentieri, perchè lo « amava, e non mi reggeva l'animo a vederlo così aspra-« mente patire, stando meco » (Actor. foll. 16-19).

5. Datis hisce responsis, aliaque die ad examen revocata Iulia, aliis interrogatoriis tum a defensore validitatis matrimonii, tum ex officio propositis satis abunde fecit, ut patet ex actis citatis. Confirmat enim clarius ac evidentius ea quae iam in prima depositione retulerat, idque aliis magis explicitis et particularibus enarrationibus, citatisque factis et testibus, quorum iurata testimonia, ut infra patebit, ipsius dictis certatim atque adamussim suffragantur. Confirmat igitur, tempore eiusdem cohabitationis cum Caio, nunquam hunc valuisse matrimonium consummare, idque ob absolutam impotentiam organicam arrigendi et coeundi, ob flacciditatem et imbecillitatem genitalium ac defectum veri seminis, ob excessivam glacialemque frigiditatem: « *Interrogata se quando il suo marito tentava di « consumare, notava in lui un eccesso di calore, o un ec-« cesso di freddezza* ». Respondit: « *Notava nulla di ca-« lore, anzi una freddezza glaciale* ». Ad quae naturae vitia curanda vel saltem corrigenda, ut rem habere ali-

quatenus valeret, neque medici principes, neque cuiusque generis medicamina, neque etiam illicita media quidquam unquam et ante matrimonium, et eo durante, et post exsecutam separationem valuerunt. Confirmat, virum et socrum de hoc antea certiores fuisse, et nihilominus dolosam in puellam proditionem perpetrasse. Declarat, viri impotentiam attribuendam haud esse aversioni, confirmationi physicae, infideli affectui, maleficio, corporis exercitiis, infirmitati temporaneae, aliisque huiusmodi, sed praedicto naturalis impotentiae vitio. Citat testes, subinde in iudicium productos, quibus et ex dictis et ex factis Caii, de huius impotentia plene constabat (Cf. Act. a fol. 19. ad 22. - et a fol. 23. terg. ad 29).

6. Ea tamen non obstante, officio sororis libenter erga virum perfuncta fuisset, nisi paucos post menses in pace ac mutuo amore transactos, iugibus deinceps a viro et socru contumeliis, odio, vexationibus, meditatisque iniuriis lacessita, paternam domum repetere coacta fuisset. Ad undecimum enim interrogatorium, quod haec omnia minutatim exquirit, sic prosequitur mulier:

« Celebrato il matrimonio, lo stesso reciproco amore « continuò tra noi, ma non più che per lo spazio di cin« que a sei mesi in circa, in cui io stava contenta, ancor« chè non avessi conseguito il fine del matrimonio. Se non « che dopo tal tempo incomincia la disarmonia tra me e « lui pei continui maltrattamenti che mi faceva la madre « di lui mia suocera ».

Et hic enarrat quae tulerat interdicta, contemptus, iurgia, convicia, rigores animique duritias, quae vel in ancillam adhibere nefas fuisset (Cfr. fol. 22. terg.). Deinde prosequitur:

« Era naturale che una giovane negli anni suoi più fre« schi, maritata senza marito, ed invece di ritrarre stima « ed affetto.... per giunta maltrattata e disprezzata in tutti « i momenti del giorno e della notte, cogliendosi qualun« que occasione innocente d'inveire contro di me, doveva, « dico, naturalmente incominciare a concepire un'avver« sione segnatamente contro la di lui madre, la quale era

« causa principale del mio malcontento. E per essa e per « flevoli motivi, e per diverbio in famiglia, una volta fui « perseguitata da lui per tutte le stanze fuggendo con il « suo revolver impugnato contro di me. Un'altra volta mi « diede un solenne schiaffo sul viso; e quasi sempre era « ludibrio delle di lui minacce..... Una siffatta avversione « pei continui maltrattamenti in parola è andata sempre « più crescendo fino a che e per volere dei miei, e per « romperla una volta, mi risolsi di abbandonare la di lui « casa, e ridurmi in famiglia, ove mi trovo.

« Debbo aggiungere che nel tempo dei maltrattamenti « si ponevano molte persone per mezzo a riconciliarci, ed « in prima i miei genitori, i quali quantunque ripetute volte « volevano ricondurmi con loro per sempre, tuttavolta ade- « rivano alla mia ferma volontà di rimanervi, quantunque « sapessero che io era, come sono tuttora, vergine. E se- « gnatamente mio padre voleva ricondurmi di forza, quan- « do seppe che io aveva ricevuto uno schiaffo da lui. E fu « allora che avvenne un tafferuglio di mani tra entrambi, « che diede occasione ad una scena clamorosa, essendovi « accorsa molta gente. Dietro il qual fatto, quantunque mio « marito mi avesse con violenza, prendendomi di braccio, « cacciata via di casa, tuttavolta vi rimasi, ed in qual tri- « ste condizione, lo sa Dio; e dovetti anco promettere di « non avere in avvenire corrispondenza alcuna o per let- « tere o per persona intermedia con la mia famiglia. I « maltrattamenti in obbietto erano noti etc.... *L'avversione « ora è al colmo, e per me non sarà mai più possibile « una riconciliazione qualunque* » (Act. foll. 22-23).

7. A facto huiusce totalis separationis aliud circiter biennium effluxit ad diem 17 ianuarii 1868, quo Iulia supplice suo Episcopo preces porrexit, quibus breviter enarratis iis, quae postea in iudiciali sua depositione enucleavit et diffusius exposuit tum quoad viri impotentiam, tum quoad toleratas iniurias, contumelias, vexationes ex parte viri et socrus, nullitatem denuntiat sui matrimonii iam legitime initi cum Caio, ea praecipua ratione quod hic antecedenti ac perpetua impotentia laboret, quippe quae ex vitio pro-

fluat organico, ita ut rebellis usque permanserit quibuscumque rei medicae doctoribus et pharmacis. Exorat proinde ut ad normam Benedictinae Constitutionis *Dei Miseratione,* iudicium ordinarium de matrimonii nullitate apud illam Curiam instituatur. - Delegata ab Episcopo expressa facultate Vicario generali procedendi, iudicandi ac decernendi hanc causam, iuris ordine servato, libellum porrigit quo apud memoratam Curiam principalem instituit actionem dissolutionis sui matrimonii ob eandem principem impotentiae rationem, quam in precibus Episcopo exhibitis, exposuerat, ceterisque et hic commemoratis, quae in illis edixerat. - Iam vero intimato actricis libello, aliisque actis iudicialibus iuridice exhibitis parti adversae, alteri nempe coniugi Caio reo convento, hic neque per se, neque per procuratorem, ullum unquam verbum respondit. Et quamvis sive in eius domiciliis, sive per publica edicta usque ad exitum iudicii per Curiam episcopalem ei fuerint acta intimata, ille in sua contumacia constanter et pertinaciter perstitit. Quare decreto diei 5 martii 1868 incusatae fuerunt contumaciae in forma iuris contra praedictum Caium. Iudicium hinc prosecutum, lisque contestata fuit inter actricem ex una et matrimonii validitatis defensorem ex altera parte.

8. Porro omnia processualia acta rite inita, prosecuta et absoluta fuisse videntur ad normam cit. Const. *Dei miseratione* et sapientissimae instructionis diei 22 augusti 1840 s. huius Congregationis, adamussim servata forma et praxi[1]. Idque nedum quoad communia ceteris causis, sed etiam quoad ea quae specialiter in huiusmodi matrimonialibus vel praescripta sunt vel commendata, praesertim quoad solemnitates quae ad iudicii validitatem requiruntur. Sic, ut praecipua delibemus, nihil desiderandum videtur circa constitutionem, iuramentum, adsistentiam defensoris matrimonii in quolibet actu iudiciali et examine testium (cit. Const. § 6). Itidem rite examinata fuit uxor, altero con-

[1] Cfr. in *1a* et *2a* *Appendice* Benedictinam Const. et S. C. Concilii instructionem.

iuge in pertinaci contumacia manente, aliique testes tum a parte, tum a fiscali promotore et matrimonii defensore inducti; iudicium septimae manus exquisitum circa veracitatem iuratae depositionis iudicialis a coniuge reclamante prolatae; inspectio corporis mulieris adhibita ad eiusdem virginitatem explorandam, idque illis omnibus cautelis, observationibus, instructionibus et iudiciis, iuramento firmatis, peritorum, quos probitas, scientia et praxis maxime commendabant.

9. His omnibus iudicialibus actis rite absolutis, a Vicario generali iniungitur tum Fisci patrono et validitatis matrimonii defensori, tum advocato Iuliae, ut deductiones in causa conclusionales penes Acta exhibeant, et reus contumax etiam per edictum requiratur. Cui decreto nulla interiecta mora, die nempe statuta 25 februarii 1869, obediunt partes, quas inter lis fuerat contestata, ea tamen contraria ratione qua quaelibet ab officio suscepto ferebatur.

10. Itaque ad normam cit. Benedictinae Constitutionis, validitatis matrimonii defensor animadvertit praecipue: actricem sero incusasse penes ecclesiasticam Curiam viri impotentiam, unde suspicari fas esse arbitratur, impotentiam non praecessisse matrimonium, sed supervenisse; – depositiones iuratas duorum testium septimae manus, nempe Eusebiae et Catulli, illa iam cubicularia matris Caii, hic domesticus filii, contrarias esse depositioni Iuliae; – probationes virginitatis ex iudiciali peritia deductas nullius momenti esse, quippe fallibilia et incerta virginitatis signa, et praesertim quoad hymenem; – testes productos testari quidem de publica voce super viri impotentia, at eorum neminem clare exponere scientiae causam, dubiumque adhuc manere ab externa corporis conformatione Caii, quae virilem potentiam adesse suadet; – deesse tandem triennale experimentum ex cap. *laudabilem, de frigid. et malef.* praescriptum. – Relate autem ad petitionem pontificiae dispensationis super matrimonio rato et non consummato, quam apud s. Sedem ab Ordinario commendari postulabat actricis procurator, validitatis matrimonii defensor declarat, nullas sibi rationes suppetere, ut se opponat: immo

fatetur, aversionis et odii ipsos inter coniuges eorumque familias satis apud Acta comprobatas causas, huic petitioni suffragari (Cfr. Act. foll. 193, 198).

11. Contra vero coniugis reclamantis Orator, enumeratis variis praesentis iudicii periodis, plura contigerit tum in facto tum in iure, quibus satis superque constare contendit de *antecedenti* ac *perpetua* viri impotentia, (quamvis impotentia *perpetuitatem*, quae in huiusmodi iudiciis maxime interest, non satis, ni fallor, demonstret) nec non de *physica* alterius coniugis *virginitate;* et consequenter ad sacrorum canonum tramites, absque ulla mora proclamandam esse concludit a iudice nullitatem matrimonii inter Caium et Iuliam initi. Insuper cum in tuto positum sit matrimonium huiusmodi licet ratum, nunquam tamen fuisse consummatum, locum esse animadvertit apostolicae dispensationi *tenore iustitiae*. Neque ad hoc deesse dicit motiva *vera, honesta* et *urgentia* a Canonistarum schola assignata, uti ostendere satagit (Cfr. Act. foll. 199–206).

12. Itaque Vicarius generalis ecclesiasticae Curiae, et in hoc ferendo iudicio a suo Episcopo expresse delegatus, ad facta quod attinet, revocatis per summa capita omnibus iudicialibus Actis, quae magno continentur volumine; et quoad ius quinque sibi quaestiones ab Actorum visceribus depromptas singillatim evolvendas suscipiens, easque resolvens, tandem die 25 februarii 1869 hanc definitivam protulit sententiam:

« 1. Dissolvendum esse matrimonium a domina Iulia « initum cum domino Caio, utpote nulliter contractum, « prout praesenti definitiva sententia dissolvimus.

« 2. Condemnandum esse reum contumacem iudiciali- « bus expensis, aliisque damnis ex eo praefatae dominae « sortitis non exclusa debita advocato et procuratori com- « pensatione, prout praesenti definitiva sententia condemna- « mus ». Et ita etc. (Cfr. Act. foll. 207–244).

13. Ab hac sententia contra matrimonii supradicti validitatem lata Fiscus et validitatis matrimonii ex officio defensor, ad normam cit. Const. *Dei miseratione* § 8, rite appellavit ad s. apostolicam Sedem pro eiusdem matrimonii

validitate, propter motiva in fiscalibus conclusionibus in scriptis exposita, se tamen subiiciens definitivo Sedis apostolicae iudicio (Act. foll. 244-245).

14. Quae cum ita sint, cumque ab EE. S. Congregationis Concilii PP. decernendum sit an praedicta sententia Curiae episcopalis in prima instantia prolata confirmanda vel infirmanda sit in casu, ad id probe ac mature decernendum maxime ac satis conferre videtur, si haec duo in hisce causis sacrae huic Congregationi familiaria diluantur.

DUBIA

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.* - vel
II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

QUAESTIO PRIMA

De nullitate matrimonii ex capite impotentiae.
a) **Quaenam impotentia matrimonium dirimat.**

15. Et ut a primo dubio incipiam, scilicet « An constet de nullitate matrimonii in casu » - cum a Curia episcopali nullitas matrimonii in themate proclamata fuerit ex capite impotentiae viri, inquirendum sedulo est quaenam impotentia matrimonium dirimat, et an talis impotentiae vitio Caius laboret. Impotentia itaque generice sumpta, est viri ac mulieris inhabilitas ad procreationem prolis, quae duplex est, scilicet impotentia coeundi et impotentia generandi, quae etiam sterilitas dicitur, de qua nihil in praesenti quaestione. - *Impotentia coeundi* est impotentia ad copulam, seu ad penetrandum vas femineum et ad semen intra illud eiaculandum, si est ex parte viri; vel ad illud recipiendum si est ex parte feminae, unde maris et feminae carnalis commistio haberi nequit. Haec autem impotentia coeundi multiplex distinguitur, scilicet: *certa* vel *dubia,* prout est manifesta vel non; - *absoluta* vel *respectiva,* prout existit inter virum et omnes mulieres; vel inter virum et aliquam mulierem determinatam: et sic viceversa; - *antecedens* vel

consequens, prout matrimonium antecedit vel illud subsequitur: - *temporalis* vel *perpetua*, prout lapsu temporis sive naturae vi, sive arte tolli potest, vel non potest. Scilicet *temporalis* iudicatur impotentia illa, quae sine peccato aut gravi periculo vel gravi damno corporis citra miraculum per opus humanum, seu per ordinaria licita naturalia etiam spiritualia remedia, tolli potest (ex cap. *fraternitatis,* de *frigid.* et *malef.* et *imp. coeundi*). *Perpetua* vero esse decernitur impotentia illa, quae sive naturaliter sive arte, per media licita vel omnino removeri non potest, vel tolli quidem posset, sed cum gravi vitae periculo, vel damno salutis corporalis, vel per miraculum, aut illicita media uti per magicam artem. Ita communiter DD.

Porro si coeundi impotentia spectetur relate ad causam ex qua oritur, duplex etiam distinguitur: alia *naturalis,* alia *accidentalis. Naturalis,* quae oritur a vitio intrinseco, seu ex defectu naturalis constitutionis, complexionis, temperamenti, quaeque proinde homini quasi coaeva et connata est. Et haec in viris proprie dicitur *frigiditas,* in feminis *arctitudo. Accidentalis* autem dicitur illa, quae provenit a causa extrinseca, eaque duplici, vel scilicet a sectione aut abscissione membrorum genitalium, vel a maleficio sive diabolico, sive venefico.

16. Quibus praemissis illud iuris principium recolendum hic est, quod tamquam axioma DD. communiter docent atque tuentur, nempe: « Impotentia *perpetua* ad copulam reddit irritum *subsequens* matrimonium ». Et ut clarius dicam: « Impotentia in viro habendi veram ac perfectam copulam, seu impotentia penetrandi vas femineum, ibidemque effundendi semen de se aptum generationi, sive absoluta sive relativa sit, sive naturalis sive accidentalis, dummodo sit *antecedens* ac *perpetua,* matrimonium *invalidum reddit* de iure tum naturali, tum ecclesiastico ». Iure quidem *ecclesiastico.* Huic enim thesi suffragatur integer titulus *de frigidis et malefic. et impotentia coeundi, lib. 4. Decretal.* Sic, ut unum afferam, cap. *quod sedem 2, cit. tit.* decernitur: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio, sic qui impotentes sunt, mi-*

nime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. Suffragatur Motus proprius Sixti V, qui incipit: *Cum frequenter* editus die 27 maii 1587; suffragantur Constitutiones apostolicae Sedis et constans Ecclesiae praxis in huiusmodi causis et iudiciis gubernandis ac decernendis. - Iure insuper *naturali*. De intrinseca enim ratione et essentia matrimonii est, obligatio et traditio corporum ad usum et copulam coniugalem: at is qui perpetuo sive absolute sive relative iam impotens est, nequit profecto se obligare ad dandum vel tradendum corpus suum ad copulam coniugalem, cum impossibilium nulla sit obligatio (Reg. 185 ff. de Reg. Iur.) et nemo tradere possit potestatem rei, quam nullo modo habet (Ex Reg. Iur. 79 in 6). Scilicet quum vera et perfecta copula est impossibilis, obiectum contractus matrimonialis non existit, et consequenter ipse contractus ex natura rei est impossibilis; ideoque iure naturali nullum atque irritum est matrimonium illud quod cum praedicta antecedenti ac perpetua impotentia initum fuit. – Secus vero dicendum est si impotentia sit *consequens*, vel si antecedens quidem sit, sed *temporalis*. Per has enim impotentias matrimonium non dirimitur, quia actualis usus matrimonii ad eius essentiam non pertinet, et sufficit, ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel possibilis futura sit. Potest enim qui in praesenti solvendo non est, ad solvendum se obligare, si spes sit fore futurum solvendo. (Cfr. Sanchez, *de matrim.* tom. 2. lib. 7. disput. 98. - Pirhing, Leurenium, aliosque in lib. 4. Decret. tit. 15 *de frigid. et malef.* etc.).

b) **Ex actis ostenditur, virum laborare impotentia absoluta antecedenti et perpetua, quod canonica et medico-legali iurisprudentia confirmatur.**

17. Atqui Caius antequam matrimonium iniret cum Iulia iam laborabat impotentia coeundi absoluta, naturali, ex vitio nempe frigiditatis intrinseco, scilicet laborabat impotentia absoluta *antecedenti* et *perpetua*. Consulantur testium depositiones, et de iis impotentiae characteribus plene

constabit. De *antecedenti* siquidem impotentia constabit ex factis quae enarrant testes; eiusdem autem *perpetuitas* certo ac tuto argui poterit ex elementis quae iidem testes exhibent in suis depositionibus, quibus vitii natura perspicitur.

18. Retuli iam (*n. 4.*) depositionem Iuliae. Ex testium porro iuratis depositionibus colligitur quod haec, plures per annos in pio Asceterio educata, et indolem nacta suavem, placidam, timidam, omnibus morum, fidei ac religionis virtutibus praestitit. Haec itaque suam iudicialem depositionem iuramenti religione semel atque iterum absque ulla animi haesitatione firmat. In ea autem, pluribus interrogatoriis propositis, constanter asserit quod in precibus et in libello exposuerat, se nimirum nunquam fuisse carnaliter cognitam a viro suo, quippe qui ob genitalium imbecillitatem coeundi impotentia laborans, nunquam valuit matrimonium consummare, quamvis ipsa sese viro obedientem exhibuerit ad rem uxoriam libenti animo pluribusque modis, quos pudoris velo operire satius est; et vir ex parte sui data omni opera huic assequendo fini conatus fuerit durante longo ac moraliter continuo biennii spatio inde a prima nocte et quindecim diebus Neapoli transactis, ad ultimos usque dies separationis. Quibus non ipsa prius, sed vir eius, frustrato ac nocivo labore edoctus, matrimonium consummare forsan et ipse desperans, coniugali thalamo vale dicens, a condormitione maritali recessit, non tamen desistens a iugibus contumeliis, conviciis ac molestiis, quibus eam ipse eiusque mater sive directe, sive indirecte impellebant ad maritalem domum deserendam. Nec quidquam eo temporis eum profecisse enarrat, quamvis et peritissimos medicos consuluerit, et medicamina adhibuerit, quae eum in grave vitae discrimen, vel saltem in grave valetudinis damnum induxerunt. — Hanc porro viri sui impotentiam coeundi confirmat ab adhuc extante sua physica virginitate. Quatuor igitur depositiones in eadem narratione protulit actrix, nempe de inconsummatione matrimonii, de antecedenti ac ingenita viri impotentia ad copulam, de sua physica virginitate, de odio

atque iniuriis immerito toleratis, absque ulla spe reconciliationis.

19. Iam vero viginti octo testes iurati et fide digni huius multiplicis depositionis veritati suffragantur, et plenissimam fidem faciunt. Habemus enim septem testes *septimae manus* nuncupatos, alios duodecim ab actrice productos, et novem a defensore validitatis matrimonii exhibitos, quique proinde haberi possunt tamquam a reo convento producti. Hi omnes, praerogativis praediti ad fidem in iudicio faciendam, inter se concinunt de *antecedenti coeundi impotentia* Caii, de matrimonii inconsummatione, de conviciis, iniuriis ac saevitiis, eaque testantur vel ex facto personali aut quasi personali, vel ex aegritudine et angore animi familiae Iuliae, cum qua vel cum communibus amicis familiaritatem habebant, vel ex publica fama, quae in patria utriusque coniugis et alibi longe lateque diffusa, facta iam fuerat veluti tritum sermone proverbium.

20. Et ut aliqua propius super huiusmodi multiplici concordique testimonio delibemus, animadvertendum quid imprimis testes septimae manus deposuerint. Hi sunt Iuliae pater et mater, Henricus eiusdem avunculus, Ianuarius familiae advocatus, Gabriel et Matthaeus uterque familiae amicus, Magdalena artis suae ratione eidem familiae frequenter addicta. Duo postremi testes substituti fuerunt duobus familiae Caii domesticis, nempe Eusebiae et Catulli, quippe qui, ut ex actis satis constat, doli ac periurii rei censendi sunt. Illi igitur septem testes, seorsim examinati, audito libello ac depositione actricis, uno ore affirmant, verissimum esse id omne quod Iulia deposuit, immo potius verecundiae causa limitatione peccasse, quam ampliatione. De omnibus siquidem ac particularibus factis, quae domi Caii eveniebant, quotidianam fere notitiam habentes exploratissima omnia moralia argumenta sentiunt extare in casu, quibus moraliter constet, matrimonium nunquam fuisse consummatum ob compertam viri impotentiam. Quo ad continuas vero quas mulier tum a socru tum a viro patiebatur saevitias, omnem physicam certitudinem haberi testantur. Unde arguunt fieri nullatenus posse ut aliquando

ulla valeat inter sponsos reconciliatio obtineri *(Cfr. Actor. foll. 33–42, et fol. 173 et seqq. ad 177 in quibus examen Magdalenae et Matthaei).*

21. Quoad reliquos testes atque contestes satis superque erit eos tantum commemorasse qui specifica ac propiori depositione testati sunt de *antecedenti* ac absoluta Caii impotentia coeundi, una cum iis characteribus seu adiunctis, quibus facili negotio et eiusdem impotentiae *perpetuitas* adstruitur. - Itaque sese offert imprimis Ioseph, qui mense decembris 1863 negotium agens cum Vincentio *medico,* qui et ipse curam praedicti Caii susceperat, deque proximo matrimonio eiusdem cum puella Iulia disserentes ab eo certior factus fuit: - *Che sarebbe un matrimonio di puro nome, non mai di fatto, attesochè il giovane era nello stato di perfetta impotenza,* quia praeditus pene inhabili *a qualunque attività tendente alla consumazione del matrimonio (Actor. fol. 58 terg.).* - De eadem impotentia testis est Ianuarius, qui iter agens in praedictam urbem N. una cum Lucilio Caii consobrino, ab eo concreditum sibi fuisse testatur, *che conveniva dell'impotenza del cugino, ma lagnavasi della pubblicità di un giudizio intentato dalla Giulia.* - Testis est Michael, qui cum esset e civitate V. et amicus familiae Antonii (de quo praeced. *n. 2*), deponit, Franciscum fratrem Antonii sibi sciscitanti de vera ratione dissolutionis sponsalium iam initorum inter Caium et illius neptem Luciam, confidenter fassum fuisse: *che l'unico motivo del discioglimento era stato la formale impotenza dello sposo. E questo stesso motivo correva pubblicamente nei Caffè ed in tutto il paese N.* Deque hac impotentia idem Michael se certiorem evasisse testatur ex personali facto, quod accurate et forsan nimis graphice enarrat. Enarrat enim se turpi amore fuisse captum erga pulcherrimam adolescentulam, quam putat nomine appellari Lucretiam; sed noluisse eam carnaliter cognoscere quamdiu virgo fuisset. Cum ergo inter annum 1860 et 1861 ab ipsa infelicis puellae matre rescierit, eam fuisse ab altero iam defloratam et posse ab ipso possideri, ipsaque puella ei dixerit, se iacuisse cum Caio, tunc quod

concupierat explevit. Sed cum ex evidentibus signis, quae ibidem exponit, incredibili sui admiratione et moerore animadvertisset, se deflorasse virginem intactam, anxie ab ea requisivit, qua ratione non fuerit a Caio deflorata: et illa ingenue ei fassa fuit, nuperrime per tres continuos dies subiectam fuisse Caio, qui cum non valuerit inanibus conatibus aliisque turpitudinibus eam deflorare, morsibus eamdem appetere non erubescens dereliquit *(Act. foll. 68-69 et fol. 25 terg.)* - Testis est Ioseph ex familiari Silvii manifestatione de Caii inefficaci experimento in loco luxuriae, et en eius verba: *Il Signor Silvio, dico, affermava decisamente che il Sig. Caio era organicamente impotente e ne addusse per prova, che recatisi entrambi in un luogo di prostituzione, ove erano molte leggiadre ragazze, Caio nonostante rimase impassibile, e nello stato di perfetta inazione. Ed io sono intimamente convinto di siffatta sua organica impotenza, per aver sempre inteso dire di aver egli adoperati farmachi di varie specie, cure idroterapiche, e di aver consultato inutilmente varii professori in medicina (Act. foll. 71-72).* Et haec explicita ac iurata attestatio nullo pacto infirmatur, ut puto, quidquid in sua ancipiti depositione dicat praefatus Silvius Caii amicus *(Cfr. Act. foll. 76-77 coll. cum fol. 26).* - Testis de eadem impotentia est Vincentius ex eadem inutili experientia a Caio peracta ad rem habendam cum femina, quam tot inter elegerat, in alio simili venereo loco civitatis C. una cum quodam suo amico, quem fide dignissimum dicit, cuius tamen nomen observantiae causa noluit prodere *(Act. fol. 75).* - Testis est Aloisius qui ex evidentia proprioque facto deponit, matrimonium praefatum nunquam potuisse consummari ob Caii coeundi impotentiam, de qua testatur ex alterius formosae adolescentulae, nomine Theresiae (*Teresina*... hic Acta cognomen expungunt) confessione, a se anno circiter 1858 possessae, quae inviolata virginitate tres per continuas noctes irritis praedicti Caii conatibus perperam succubuit: *che erano stati vani ed infruttuosi tutti i di lui sforzi a deflorarla, poichè non ebbe una volta la potenza,* ita ut ab altero cognita, virgo fuerit inventa ac

prima vice deflorata, antequam ab Aloisio turpiter nosceretur. Et quamvis dubium oriri possit an eaedem vel diversae sint puellae a Michaele et Aloisio possessae, quippe quod ab utroque tempora huius patrati facinoris dubitanter designentur, et etiam dubitanter Lucretiae nomen a primo proferatur, firma nihilominus stat in eodem articulo veritas, quod scilicet cum ulla Caius, impotentiae vitio, coire non valuit *(Act. foll. 82-83)*. - Testis est luculentissimus de impotentia Caii antecedenti et perpetua Ioseph medicus et professor, nedum ex ipsa Caii confessione, sed insuper ex oculari partium genitalium inspectione eiusdem et pluries, et ante matrimonii celebrationem, et crastina die primam subsequenti eiusdem matrimonii noctem, definiens testiculos exiguos esse et ferme atrophos, penemque parum evolutum ac flaccidum. Sed praestat omnino ipsius verba referre: *Ho conosciuto,* sic ipse, *donna Giulia fin dalla sua prima età... Circa il suo matrimonio col signor Caio ne ho conoscenza fin dalla dimane che fu eseguito, cioè nel primo febbraio 1864 dappoichè consultò me il signor Caio nei primi giorni del gennaio 1864, e reiterate volte ritornò da me, ed una volta unitamente alla signora madre* (filii sui igitur impotentiae ante matrimonium conscia), *esortandomi a trovar modo onde acquistare quella potenza virile, di che era privo, prescritte alquante medele, tendenti a tonicizzare e rinforzare i suoi nervi* (cur nisi frigiditatem in eo agnovisset, vel paralysim penis? Cur spinam dorsi, quo nervi confluunt, curare impense suscepit? *Act. foll. 18 et 21), fatte alquante visite, non volendo rimanere, nè potendo in questa città, forse per non dar sospetto ai parenti della sposa, tornò alla sua lontana patria, e da me non fu più veduto.* Interrogatus ex officio........ respondit: *Che nell' avvicinarsi a donne, secondo che Caio mi manifestò, la potenza virile era in ragione inversa del desiderio.* (Quam graphice suam frigiditatem describit atque fatetur Caius ei, cui mentiri sibi noxium fuisset!) *Ed invero i suoi testicoli erano piccini e quasi atrofizzati, il suo pene poco sviluppato e floscido* (clara frigiditatis symptomata) *mentre era ben nu-*

trito in tutto il corpo e godente buona salute. Gli prescrissi dei tonici d'idropatia, e gli consigliai di far qualche prova dopo alquanti giorni della cura: ma sventuratamente nei primi giorni di febbraio dopo essersi eseguito il matrimonio, fui novellamente consultato da Caio, il quale lealmente mi manifestò non aver potuto consumare il matrimonio per sua impotenza. Animadvertenda hic est et iterata confessio impotentiae, et inconsummatio matrimonii et eiusdem impotentiae qualitas ex frigiditate cuique remedio artis rebelli. Insuper notandum quam basilice quadrent haec cum depositionibus Iuliae quo ad ea quae secreto evenerant. Illa enim, praeter cetera iam supra relata *(n. 4)*, maritali licentia potuit probe noscere sui viri genitalia, et de iis deponere: *Che difettavano di piccolezza e per lo più sempre flaccidi (Act. fol. 24); che quando appariva qualche piccolo segno di erezione sorretta... là là s'inflaccidiva, o spargeva qualche piccolo seme (ib. fol. 20)*, quod semen cum postea describit, patet fuisse non verum ac laudabile sperma, ut Zacchia loquitur, sed spurium ac infecundum *(ibid. fol. 20 terg.)*. Unde est: *Che notava in lui nulla di calore anzi una freddezza glaciale (ib. fol. 23 terg.)*. Subiungit Ioseph: *Che quando Caio mi confidò di non aver potuto consumare il matrimonio, io gli dissi che dovea seguitare la cura da me prescrittagli, per la quale avrebbe potuto avere un piccolo effetto dopo molti mesi.* Caius revera huius tanti medici aliorumque consilia studiose adhibuit. At parvus ille effectus quem vir prestolabatur, quemque possibilem fore Ioseph arbitrabatur, viripotentia nempe saltem sufficiens, ut puto, ad matrimonium consummandum, nec per biennium, nec post illud, quamvis et apud alium medicum hydropaticis curis et cantharidum usu sibi mederi perrexerit Caius *(Cfr. Act. fol. 22)*, effectus, inquam, ille nunquam apparuit. Immo vero patiens incidit in grave valetudinis discrimen, ut etiam medicus Ioannes deponit *(Act. fol. 165)* et convalescens post alia plura frustrata coitus tentamina, ne magis tabesceret coniugalem torum indignatus sponte reliquit. – Sed prosequamur alias peculiares testium depositiones. – Testis

itaque est Rosa, quae praeter probationem, quam praebet super falsitate depositionis Eusebiae et Catulli testium septimae manus, de antecedenti Caii impotentia insuper testatur ex iis, quae consuetudine et familiaritate acceperat a Margarita fratria Antonii e civitate V., quae sponsalium cum nepte initorum dissolutionem unicae causae tribuebat, expertae scilicet impotentiae praedicti Caii *(Act. fol. 108)*. - Testis est Carolus qui Caii absolutam et antecedentem impotentiam novit ex confessione cuiusdam sui amici, cuius nomen clare non meminit, ob aliud ante matrimonium eiusdem Caii in turpitudinis loco frustratum tentamen, quem locum simul petierant: et impotentia illius ad copulam clare ac turpiter apparuit vel ex eo quod *la stessa donna di partito si era tanto indispettita contro il Signor Caio per averla tenuta più di tre ore in tentativi, e che nulla erane seguito, se non che il compenso di cinque franchi (Actor. fol. 114)* - Testis est Rosa F., quae ratione suae artis, familiaritate Iuliae frequenter utebatur dum in maritali domo degebat, et a qua proinde pluries acceperat, suum virum esse omnino impotentem ad matrimonii consummationem *(Actor. fol. 115. terg.)* - Testis de eadem impotentia est Martinus chirurgus et medicus nedum ex oculari partium sexualium praedictae Iuliae inspectione semel atque iterum post separationem peracta et eam cum omnibus physicae virginitatis characteribus inveniens, ut et in extraiudiciali attestatione et in iudiciali constituto deponit, sed etiam ex eo quod cum de ratione suae non violatae virginitatis puellam, iamdiu nuptam Caio, percontatus esset, responsum accepit, id viri sui impotentiae ad consummationem matrimonii incassum tentatam tribuendum *(Actor. foll. 162-163* et *fol. 90 terg.)*. - Testis est Ioannes medicus de Caii antecedenti impotentia ex huius ingenua confessione (en duo medici, quibus Caius ut aliis, suam impotentiam ad copulam aperte fatetur) eo temporis facta quo is medicus amicitia Caii fruebatur. Testis enim iuramento deponit: *Ritornato infatti (da Napoli) in patria lo sposo sig. Caio, per la confidenza che avea con me, mi assicurava che realmente non aveva potuto godere*

della moglie per mancata potenza: soggiungendomi pure di aver consultato in Napoli il sig. professor Giuseppe, da cui venivangli prescritti diversi rimedii afrodisiaci. Intanto in seguito dei rimedii suddetti si manifestarono pochi giorni dopo delle pustole numerose limitate alle parti genitali, cosce e addome, accompagnate pure da febbre; di tal che ec. (Actor. fol. 165). – Notandum denique quod non duo, sed decem et novem testes ex productis in iudicio, iurati testantur de publica fama proclamante antecedentem ac insanabilem seu perpetuam Caii impotentiam ad copulam; et hi testes praeseferunt omnia requisita a iure praescripta et a DD. tradita ad fidem in iudicio faciendam ex publica fama *(Cfr.* Mascard. *Concl. 749-750).*

22. Ex his omnibus testium depositionibus iuramenti religione firmatis luculentissime constat 1. Caium laborare *impotentia coeundi*; – 2. hanc impotentiam esse omnino *certam*, non dubiam; – 3. esse *antecedentem* matrimonio inito con Iulia; – 4. esse *absolutam* non relativam; – 5. esse organicam seu *ex natura*, non ex accidenti; – 6. tales denique eam praeseferre characteres, ut tuto iudicari possit, eam esse *perpetuam*. – Quinque priores conclusiones evidenter fluunt ex allatis depositionibus, et superfluum foret eas ulterius confirmare. – Sexta tantum conclusio, quae adhuc posset dubium menti ingerere, quippe testes de impotentiae *perpetuitate* nec directe testentur nec iudicent, quod facere medici et chirurgi potuissent et forsan debuissent, ideo haec clarius enucleanda est, quod paucis conficiam, ostendendo, impotentiam, qua Caius certo laborat, ex natura esse, seu quod idem est, oriri ex causa *frigiditatis* organicae, quae *perpetua* censenda est.

23. Et re quidem vera *frigidi* in sua propria acceptione dicuntur qui ob partium genitalium ignaviam, ab imbecillitate nativi caloris prodeuntem, ad coitum in aetate habili sunt impotentes. Ita accipitur hoc frigidi nomen apud utriusque iuris peritos, et patet sic esse accipiendum ex *titulis de frigidis et malef. lib. 4. Decretal.* et alibi passim, et ita docent qui de re medico-legali scripserunt (*Cfr.* Zacchiae *quaestiones medico-legales tom. 2. lib. 9. tit. 3. qu. 2.*

num. 1). Hinc est quod hi qui nequeunt coire, communi ratione loquendi dicuntur *impotentes,* et si quidem vitium *a natura sit, frigidi* appellantur. – Porro inter signa frigiditatis naturalis, haec, ad praesentem quaestionem dirimendam, recensere sufficiat cum cit. Zacchia, cum Sanchez et aliis. « Secundum signum naturalis frigiditatis, ut « scribit Zacchia, est partium principum, praecipue *geni-* « *talium, non naturalis conformatio, ut membrum* nimis « *parvum:* exiguitas enim et materiae paucitatem et vir- « tutis imbecillitatem denotat. Tertium eiusdem membri « etiam optime conformati *flacciditas,* et *inexcitabilis molli-* « *ties,* veluti decrepitis accidit, de quibus Juvenalis sat. 10...; « aut quod etiamsi *tantisper erigatur, minimum temporis* « *in erectione perdurat, sed confestim elanguescit...* Quar- « tum, *aversio* quaedam connaturalis a commercio vene- « reo, et quibusvis venereis rebus: cum enim frigidi se- « men aut non generent, aut *quantitate exiguum* et *pravae* « *qualitatis; tenue* nempe et *aquosum,* nullisque pene spi- « ritibus turgens, hinc neque sua quantitate, neque quali- « tate excitare potest animal ad sui excretionem; turgente « enim et superabundante semine, quod laudabile sit, omni- « no animal ad eius excretionem excitatur. – Quintum si- « gnum est *testium parvitas....* haec enim caloris naturalis « pauperiem, et consequenter imbecillitatem virtutis testa- « tur: nam testes in seminis generatione sive perfectione, « principatum obtinent, ut medici omnes existimant. His « signis ergo aut eorum pluribus potioribusque praesen- « tibus, frigiditatem quoque praesentem esse iudicari pot- « est, quae *neque in dubio revocanda tunc temporis est* « *an ex maleficio contingat....* » (Zacchia *op. cit. lib. 3. tit. 1. quaest. 5. nn. 24–27*). – In aliquibus ex iis signis organicae frigiditatis attingendis Zacchiam praeiverat Sanchez *(tom. 2. lib. 7. disp. 94. num. 5. et disput. 107),* cuius tamen assertio: « si vir aliquando erigat, frigidus non est », quod et cit. *disp. 107. num. 6.* ingeminat, merito carpitur a Zacchia *loc. cit. num. 22* tamquam falsa, ut in sequenti numero.

24. Praeterea cum ad naturalem coitum, ex unanimi medicorum sententia, tres requirantur conditiones, nempe

membri genitalis erectio usque ad seminis emissionem perdurans; ipsius membri intromissio debita in vas femineum; et tandem seminis eiaculatio in ipsum uterum: cumque frigidi ab una aut altera, aut ab omnibus simul ex iis conditionibus deficiant, hinc plures frigidorum classes a DD. enumerantur. Quas inter pro themate unam meminisse sat est, illorum nempe « qui ne membri quidem erectionem habent, ac nullo modo possunt mulie« ribus commisceri, et hi in duplici sunt differentia; nam « vel nullo modo seminant, et haec frigidorum species est « inter omnes maxime notabilis, vel semen etiam flaccido « existente membro, prope uteri externum ostium emit« tunt ». Et de his postremis notandum quod ab huiusmodi viris « nulla erectio fit, aut modica, et *quae ad opus « non sufficiat,* et cum qua (erectione modica, non formali) « semen *ex se effluit* cum nulla aut modica voluptate, « et qui talia patiuntur, habent quoddam copulae carnalis « desiderium, *non magnum*; et quando semen emittunt « (quod tamen *fluidum* et *aquosum* est, et *frigidum* per« sentitur) membrum inter emittendum non modo non « servatur durum, ut semen eiaculetur, *sed magis flac« cescit et emoritur*. Procedunt haec ex genitalium et va« sorum debilitate, et ex magna totius et partium frigidi« tate, non tamen ita intensa ut in prima specie, *nec ta« men remediabilis ullo modo est si a natura sit* » (Zacchia *Op. cit. tom. 2. lib. 9. tit. 3. quaest. 2. n. 5 et 10*).

25. Atqui haec omnia in Caio apprime inveniuntur. Quae enim retulimus naturalis frigiditatis signa atque symptomata, quibus prima et altera frigidorum species distinguitur, veluti exscripta esse videntur ex iuratis depositionibus sive actricis, sive testium, sive ex confessionibus ipsius Caii illorum pluribus ingenue factis. Ex his enim satis superque constat, eumdem Caium indifferentiam quandam inexplicabilem vel ipsa prima nuptiarum nocte demonstrasse erga uxorem, et aversionem quamdam naturalem a carnali commercio, cum neque a nuda venere moveri fassus fuerit, quippe eius viripotentia (seu potius impotentia) cum ad feminas accederet, erat eadem pro-

portione desiderio opposita. Constat, ipsum ob genitalium ignaviam et inexcitabilem mollitiem, nunquam formaliter arrigere valuisse; et si aliquando tenue quoddam signum erectionis, ad copulam inhabilis, praetulit, ipsius penis, inter emittendum modicissimum semen fluidum, aquosum, glaciale, confestim elanguescebat et emoriebatur. - Constat, eiusdem penem esse parum evolutum ac flaccidum, eiusque testiculos exiguos et quasi atrophos. « Quae *atro-* « *phia* est tabes, seu partis alicuius consumptio et ariditas, « in qua passione ea pars non amplius nutrimento fruitur.... « unde summa eiusdem macies oritur. Pars ergo, quae « atrophia laborat, vita carere dici potest, cum vita per « nutritionem existat. In peiori ergo conditione est quam « ea quae laborat paralysi; quod haec licet motu aut sensu, « aut utroque careat, nutritur tamen, quod sufficit ad vi- « vendum ». (Zacchia *Op. cit. tom. 1. lib. 4. q. 8. n. 41*). Porro ex his penis atque testiculorum morbis sequitur absoluta inhabilitas ad naturalem coitum, uti iudicant etiam Foderè, Sprengel, Puccinotti et alii de medicina legali professores. - Hinc nil mirum quod Caius, ut testes deponunt, nec virgines valuerit deflorare, nec vel corruptis feminis commisceri cum suam viripotentiam tentavit. Nil mirum si nedum per media illicita, inter quae maleficium ab Horatio perpetratum *(Act. fol. 103 et seqq.)*, sed nec per licita remedia medicorum consilio et curis adhibita, viripotentiam ad coitum unquam valuerit obtinere, quin et in grave valetudinis discrimen inciderit. Nil denique mirum quod nunquam valuerit matrimonium consummare, et quod ipsius sponsa experimento ad copulam per biennium frustrato, quantumvis docilem ad opus uxorium marito se usque praebuerit, iuxta ea quae tradit Mascard. *(de prob. vol. 2. col. 888. n. 11)*, a coniugali thalamo cum omnibus physicae virginitatis characteribus integra exierit, uti evidenter constat ex iurata iudiciali attestatione rite per aspectum corporis edita, ut mox videbimus.

26. Porro iam per se patet, *frigiditatis* vitium, quod natura inolevit, *perpetuum* omnino esse. Et revera *perpetuam* esse impotentiam illam, quae *ex frigiditate,* nempe

a natura profluat, nedum medici, sed et sacri canones, et eorum interpretes iudicant et tenent quando ope medicorum nequeat adiuvari. Et revera cap. *ex litteris 3, de frigid. et malef.* respondet Pontifex: *Quod si vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adiuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Cur haec datur facultas nisi quia naturale impotentiae vitium perpetuum esse censetur? – Et cap. *laudabilem 5, eod tit.: Si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium: quo elapso, si mulier per iustum iudicium* (idest per testes vel aspectum, Gloss.) *de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium.* – Ergo si frigiditas prius probari potest per iustum iudicium, matrimonium, non expectato triennio, dissolvitur. Et qua iterum ratione nisi naturalis frigiditas perpetua iudicaretur? Et ipso triennio expleto, quid matrimonii nullitatem suaderet, nisi naturalis frigiditatis perpetuitas firmiter teneretur, vel saltem praesumeretur?

27. Sed audiamus unum vel alterum ex pluribus iuris interpretibus et medicis. Sanchez (*De matr. lib. 7. disp. 103. n. 4)* statuens quod impotentia naturalis, seu frigiditas in dubio an sit *antecedens* vel *consequens,* praesumatur praecessisse matrimonium, et sic matrimonium esse nullum, hanc affert rationem tamquam exploratissimam: « *Ducor quod naturalia sint perpetua, et qualitatem quae a natura est, semper inesse praesumatur, ut probat Menochius (Praesumpt. lib. 1. quaest. 13. n. 3)* ». – His gemina habet Leurenius post Sanchez, scribens: « *Dum constat de impotentia, dubitaturque solum an praecesserit matrimonium, si sit a natura, iudicandum esse eam praecessisse matrimonium* (et notanda ratio); *cum quae a natura sunt, sint perpetua, praesumendum eam impotentiam fuisse semper, docent a fortiore Mascard. de probat., conclus. 812. n. 19* » (Leuren. *Forum Ecclesiast. lib. 4. tit. 15. quaest. 249. num. 3*). – Sed diserte hanc veritatem docet Zacchia op. cit. passim. Enumeratis enim frigiditatis signis, quae retuli num. 23, concludit: « Ob hanc frigiditatem ex « his signis concludentissime probatam, absque dubio se-

« parari illico matrimonium potest, non expectato triennio, « Brun. *de spons. et matr. concl. 28. num. 16;* - Mascard. « *concl. 312. num. 15,, - quia talis frigiditas cum conspicua* « *sit, ope medica reparari ullo modo non potest, uti me-* « *dicis est notissimum* » (Zacch. *Op. cit. lib. 3. tit. 1. q. 5. num. 27*). Et alibi: « Quotiescumque (causa frigiditatis) « *a natura proveniat;* vel ab aetate maiori et praecipitata, « *absque ullo remedio est* » *(lib. 9. tit. 3. quaest. 2. n. 6).*

c) De triennali experientia peragenda vel omittenda, prout dubia vel certa fuerit impotentia.

28. Hisce positis, difficultas non potest oriri ex eo quod a duobus coniugibus non fuerit expectatum triennium ad copulam experiendam, quod nempe Caius, exeunte biennio, a thalamo recesserit, et paullo post ipsa Iulia coniugali domui perpetuum nuncium remiserit. Etenim ex relato cap. *laudabilem* seu *requisisti* tunc triennali experientiae fit locus, quando *frigiditas prius probari non possit;* secus non est expectandum triennium, praesertim si frigiditas post *plenam* pubertatem, idest in viris post decimum octavum aetatis annum, et in feminis post decimum quartum, non recessit. Et sane quantum rationi et perpetuitati matrimonii congruum apparet, triennalem experientiam in *dubia* impotentia praescribere atque permittere; tantum a ratione et honestate abhorret illam praescribere quando de impotentia perpetua, *morali saltem certitudine,* constat. « *Quia,* ut ait Sanchez, *constante impotentia, ac subinde matrimonii nullitate, contra ius naturae esset copulam permittere, et quia cum extet apertissima probatio, frustra expectaretur eventus triennii, cuius nullus induceretur effectus* ». (Sanch. *Op. cit. lib. 7. disp. 107. num. 3*). - Haec eadem sic evolvit atque ingeminat Christophorus Cosci: « Quando constat de *antecedenti impotentia perpe-* « *tua* per inspectionem corporum..., aut est *certa, evidens* « et *indubitata,* tunc statim matrimonium declarandum est « nullum, et *absque tum triennali experimento, tum con-* « *iugum iuramento, ipsi sunt separandi ab omni carnali* « *commercio* (Rota, Abbas, Sanchez) ». Quod si « per in-

« spectionem aut aliam probationem non habentur signa « physice certa et simpliciter evidentia excludentia poten- « tiam, sed tamen *verisimilia et moraliter quasi certa,* tunc « regulariter, et nisi contrarium iudici expedire videbitur, « *omisso triennali experimento,* et accedente solum iura- « mento tum coniugum de defectu perfectae copulae, tum « septem propinquorum seu vicinorum de praestanda con- « iugibus fide, pro nullitate pariter matrimonii est pronun- « ciandum (Reiffenstuel, Engel, Sanchez, La Croix, Rota) » (Cosci: *De separatione tori coniugalis lib. 1. cap. 13. nn. 26–28*). - Sed omnem hac in re ambiguitatem sustulit Schmalz-grueber cum Sanchez, Gutierez, Pirhing, Wiestener, Reiff-enstuel et aliis, accuratissima distinctione, scribens: « Vel « videlicet uterque coniux impedimentum fatetur, vel unus « solum adversus matrimonium ob impotentiam proclamat, « alter vero impotentiam negat: si primum audiendi sunt « proclamantes adversus matrimonium quocumque tem- « pore, etiam post multos annos, ex cap. *fraternitatis,* quia « tractu temporis matrimonium irritum non firmatur: si « secundum, videndum est, an proclamatio fiat ante trien- « nium ad experientiam potentiae aut impotentiae a iure « concessum, vel post illud: si post illud, audienda est « pars proclamans, etiam contradicente altera, ut ex cap. « *fraternitatis* et fin. citatis: si ante triennium, subdistin- « guendum est, an proclamans allegatae a se impotentiae « signa certa, aut saltem verisimilia afferat, an vero dubia « dumtaxat: si *certa* vel saltem *verisimilia,* etiam *ante « triennalem experientiam debet audiri;* si vero dubia so- « lum, ante triennium audientia illi denegatur, non tamen « post illam (triennal. exper.), immo nec ante illam, si sta- « tim, idest post unum vel duos menses, proclamet; qui « genuinus est sensus cap. *accepisti* citati ». (Schmalzgr. *lib. 4.* § *3. tit. 15. nn. 73–74*)[1]. - Atqui in casu non habe-mus unum coniugem proclamantem, et alterum iuramento negantem, quo dari possit locus triennali experientiae.

[1] Recole tamen quae diximus *part. 1. cap. 2. art. 2. n. 7. not. 3.*

Et in hoc etiam casu triennali datur locus dummodo mulier, ut animadvertit Glossa, non probet se virginem esse per aspectum corporis (ut fecit Iulia), quia tunc bene auditur sive post breve, sive post longum tempus, ut ex cit. cap. *requisisti.* Et confirmatur ex cap. *proposuisti 4, de probation.* si mulieris accedat iuramentum. Attamen in casu habemus utrumque coniugem fatentem, unum in actione instituta, alterum in contumacia obstinata praeter praecedentes confessiones. Si enim contumax Caius suam frigidam naturam negare potuisset, cur *per rectum iudicium* in ecclesiastica Curia institutum, sibique scrupulosa iudicis diligentia denunciatum, suam agere causam omnino renuit, et contumax perstitit? In viro insuper pro ipsius impotentia antecedenti, perpetua, absoluta, signa habentur moraliter certa, vel prorsus verisimilia saltem atque moralia, non vero dubia. In uxore autem cohabitante et condormiente cum suo viro, continuo biennii tempore, non verisimilia tantum iudicia habemus, sed signa, characteres, argumenta integrae suae virginitatis omnino physica, evidentia, certa.

29. Quae cum ita se habeant tum in iure tum in facto, satis superque constare videtur de absoluta *antecedente* ac *perpetua coeundi impotentia* Caii, ita ut ad 1um dubium superius propositum – « *An constet de nullitate matrimonii in casu* » – responderi tuto posset, ut puto: *Affirmative,* confirmando sententiam ecclesiasticae Curiae. Sed ad cautelam, satius esset respondere: *Providebitur in secundo,* ubi cuicumque difficultati, quae adhuc superesset quo ad *perpetuitatem* impotentiae Caii, occurri commode potest.

QUAESTIO SECUNDA

De dispensatione matrimonii rati non consummati.

30. Secundum itaque dubium propositum erat: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio tanquam rato et non consummato in casu.*

Quamvis satis constare videatur ex allatis probationibus de antecedenti ac perpetua viri impotentia in casu,

atque ideo de matrimonii nullitate, nihilominus in re tanti momenti cautelam adhibere pontificiae dispensationis, quam etiam actrix postulat, super matrimonio tamquam rato et non consummato, haec ipsa s. Congregatio nil antiquius habuit in huiusmodi causis. In his autem expendendis quae pro voto consultivo sacratissimo Principi exhibendo recta conducunt, tum idem hic sacer Ordo, tum sacrum romanae Rotae Auditorium quatuor potissimum quaestionum capita expendenda sibi proponere solent. Expendunt scilicet 1° facultatem romanorum Pontificum in hisce dispensationibus concedendis; – 2° argumenta, quibus non secuta consummatio luculentissime pateat; – 3° iustas easque graves dispensationis causas; – 4° formam denique, qua dispensatio concedi debeat. – Quod quidem sedulo animadvertunt Pignatelli *(tom. 1. cons. 148. nn. 3 et seqq.)*; – Ursaya *(t. 2. p. 1. discep. 3. nn. 4 et 99)*; – Card. De Luca *(de matr. discep. 9. nn. 6–7–15)*; – Fagnani (in cap. *perniciosum 1, de offic. iud. ord. n. 61)* et alii.

a) De summi Pontificis potestate dispensandi ab impedimento vinculi matrimonii rati et non consummati.

31. Itaque quod attinet 1° ad summorum Pontificum potestatem praedictas dispensationes concedendi, supervacaneum et nefas esset eam hodie in controversiam revocare. Gravissimi enim et numero plures tum theologi, tum maxime canonistae, id procul dubio omnino tenendum esse diserte tradunt *(Cfr. Sanchez, Op. cit. lib. 2. disp. 14. n. 2; – Pignatelli l. c. n. 44)*; et quod maximum est, romani Pontifices idipsum frequentissimo exemplo suo confirmarunt, atque in dies confirmant *(Cfr.* Clericat. *de sacram. matr. decis. 15. n. 1–42 ;* – Schmalzgr. *lib. 4. tit. 19. de divort. nn. 43 et seqq.* – Sanchez, *loc. nuper cit.)*. Quare haec ipsa s. Congregatio super huiusmodi precibus sibi a summis Pontificibus remissis, votum consultivum pro dispensatione frequenter iisdem obtulit, uti animadversum iam fuit in *Pragen. matrimonii* 7 iulii 1731 et 27 februarii 1734.

b) De non consummatione matrimonii probanda. – Inquiritur an decretoria extent in casu argumenta, quibus non secuta consummatio luculentissime pateat; quod tum ex viri impotentia, tum ex perspecta ac satis superque probata physica mulieris virginitate constare ostenditur.

32. Relate autem 2° ad argumenta, quibus non secuta consummatio matrimonii probari debet, nemo inficiatur, hanc inconsummationem luculentissime ostendi debere (Pignatelli *l. c. nn. 21-22*): quia quando initum est matrimonium, praesumi debet pro consummatione, et nulla competit Papae facultas dispensandi super matrimonio fidelium consummato, quo coniuges fiunt una caro; et tunc locum habet illud Christi (Matth. XIX) *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (*Cf.* Sanchez *Op. cit. disp. 13. nn. 1-2 et seqq.* - Clericat. *l. c. decis. 7. n. 23; decis. 10. nn. 17 et seqq.; decis. 15. n. 39. etc.).* – Iamvero luculentissime probatur non fuisse consummatum matrimonium quando ex una parte ineluctabilia suppetunt argumenta, quae probe demonstrant *viri impotentiam coeundi* antecedentem et perdurantem inito matrimonio, saltem quamdiu coniuges cohabitatione et condormitione vitam simul duxerunt; et ex altera habentur signa, characteres, argumenta *integrae virginitatis uxoris*, omnino physica, evidentia, certa [1]. Quare haec s. Congregatio in *Taurinen. nullitatis seu dispensationis matrimonii* 1 martii 1848, attenta viri impotentia coeundi ex frigiditate, et perspecta uxoris physica virginitate, duobus propositis dubiis super nullitate matrimonii, et super dispensatione eiusdem rati et non consummati, respondit, *esse consulendum SSmo pro dispensatione;* et sic in aliis pluries. – Atqui in themate plenissime constat de Caii impotentia coeundi antecedenti et perpetua, ut supra vidimus, praesertim a *n. 15* ad *29;* et si quid dubii quis vellet ingerere, id nunquam agere posset super existentia rebellis impotentiae, sed vix super

[1] Cfr. in *Appendice 3a* alteram instructionem supremae C. S. Off. super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione.

eiusdem perpetuitate post tori separationem. – Item plenissime et evidenter constat *de physica virginitate* Iuliae postquam a thalamo coniugali recessit, quod hic ostenditur.

33. Et re quidem vera ipse Zacchia, qui a defensore validitatis matrimonii citatur contra argumenta quae virginitatem praedictae Iuliae adstruunt, ipse, inquam, citatus auctor ad incorruptae virginitatis agnitionem, relicto hymenis signo, haec docet: « Consideranda sese offerunt « in hac parte tria, nempe *magnitudo, color,* et *colligan-* « *tia* ». Et subinde descriptis symptomatibus quoad carunculas, colorem et unionem partium tum in virginibus tum in corruptis, assignatisque congruis rationibus, concludit: « Itaque haec omnia signa simul conspirantia, integrae « virginitatis evidentem coniecturam praebent. Nam quod « singula per se testari non possunt, simul unita poterunt. « Quamobren si ultra haec ipsa, quae iam notavimus, ea « quae infra notanda veniunt apparebunt, de virginitatis « incorruptibilitate non inane iudicium ferre licebit » (Zacchia *Op. cit. lib. 4. tit. 2. q. 2. nn. 8-9*). Infra vero alia praebet signa ex nymphis *(nn. 10-11),* ex sinu pudoris seu fossicula *(n. 14)* aliisque. Haec meminisse iuvabit, quia de iis obstetrices, ex officio deputatae ad corpus Iuliae inspiciendum, scite loquuntur. – Sciendum praeterea est, praescriptiones a fisco et matrimonii defensore requisitas in praedicta inspectione, nempe 1° quo ad iuramentum ab obstetricibus, a matrona, a medicis et chirurgis emittendum; – 2° quo ad officium ab eis praestandum, praesertim in praevia obstetricum instructione, et in vigilantia ab iis et a matrona adhibenda dum in balneo aquae tepidae praedicta Iulia moraretur per tres unius horae quadrantes ad artificialis virginitatis dubium removendum; – 3° quo ad sedulam seorsim peragendam inspectionem corporis eiusdem vix a balneo egressae; – 4° quo ad depositiones subinde solemni ritu faciendas; – 5° quo ad iudicium denique, interposita iuramenti religione, ferendum a medicis et chirurgis super eiusdem extante vel deperdita virginitate *(Cfr. Act. fol. 131):* hae, inquam, prudentiae et artis praescriptiones et cautelae huiusmodi sunt, ut quantum

in humanis fas est, omnem longe removeant errandi formidinem. Idque praesertim si perpendatur quod in praedicta iudiciali inspectione, die 24 septembris 1868 vigilanti studio ac diligentia peracta, nedum praescriptiones illae, sed et praxis a DD. tradita, et instructio ab hac sacra Congregatione edita die 22 augusti 1840, prae oculis habitae et ad unguem servatae fuerint [1].

34. Itaque hac inspectione ita peracta a tribus inter peritiores ac probiores loci obstetrices, nempe a Vincentia, a Marianna et a Mariantonia, cum assistentia honestissimae matronae Sophiae, in primis Vincentia, propositis interrogatoriis respondens, indicat potiores notas quibus tuto dignosci potest physica alicuius puellae virginitas; subinde iuramento deponit, has omnes notas eminenti gradu reperiri in corpore Iuliae ab se nuper inspecto: atque inde concludit: « Che la sig. Giulia è nella condizione perfetta « della sua fisica verginità » *(Act. fol. 139-141).* Similiter se gessit Mariantonia, concludens: « Conchiudo adunque, « e prenderei cento giuramenti che la sig. Giulia è nello « stato incontestabile della sua verginità » *(Act. fol. 141-143).* Tandem idipsum agens tertia obstetrix Marianna, et ipsa concludit: « Per la qual cosa io giudico e ritengo con tutta « fermezza, che non vi è vergine così intatta, ed in grado « di tanta integrità, quanto l'è la sig. Giulia » *(Act. fol. 143-145).* Relata autem hac inspectione ab unaquaque obstetrice separatim cum alio iuramento cuique doctorum seorsim, nempe Josepho chirurgo et obstetrico, Stanislao medico, Gabrieli chirurgo, Francisco medico, hi quatuor, ex relationibus scripto et voce acceptis ab obstetricibus, firmiter ac solemniter etiam seorsim et iurisiurandi religione interposita, iudicarunt, apprime constare de virginitate Iuliae. Primus enim, nempe doctor Josephus, inquit: « Dalle « relazioni lette e prese anche oralmente dalle ostetrici su « i segni ed argomenti caratteristici rilevati con nitidezza « nelle parti sessuali della sig. Giulia, ho la piena convin- « zione d'animo, e posso giudicare fondatamente sulla in-

[1] Cfr. in *Appendice 2ª* hanc S. C. C. instructionem.

« tegrità e verginità dell'anzidetta sig. Giulia » *(Act. foll. 146-147)*. - Doctor Stanislaus declarat: « Non ho dubbio di sorta « dopo aver esaminato le relazioni etc., che la sig. Giulia « è nel perfetto stato della sua fisica verginità; e questo è « il mio convincimento ed il mio giudizio » *(Act. foll. 147-149)*. - Doctor Gabriel deponit: « Dalle relazioni etc., porto « giudizio co' lumi della mia professione, che la verginità « fisica della sig. Giulia sia incontestabilmente provata e « raffermata » *(Act. foll. 149-150)*. - Doctor Franciscus iudicat: « Dalle relazioni etc., do giudizio, e sono piena- « mente convinto per la chiara conoscenza che ho delle « materie nel riguardo, che la sig. Giulia sia integralmente « e fisicamente vergine » *(Act. foll. 150-151)*. - His plenissime suffragatur attestatio extraiudicialis et depositio iudicialis iurata doctoris Martini de physica virginitate et integritate praedictae Iuliae ex eiusdem partium sexualium oculari inspectione per duas vices ab ipso peractam postquam illa a viro et a coniugali domo recesserat, cuiusmodi testimonium et iudicium supra retuli *(n. 21)*. - Ex quibus omnibus inspectionibus, signis, testibus, peritorum iudiciis iuramento firmatis statuendum esse videtur, vel evidenter constare de integritate et physica virginitate Iuliae, vel nunquam in omni casu de mulierum virginitate ex corporis inspectione constare posse, quod tamen et praxis tribunalium et ipsa sacra iurisprudentia excludunt. Quare merito et hic concludendum est cum iis, quae in duriori casu quam nostro, decrevit Gregorius VIII cap. *proposuisti 4, de probation.* - ibi - « Mulier proposuit « se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci: quod *tam* « *proprio iuramento*, quam *testimonio* septem mulierum « probavit, quae per aspectum corporis eam esse virginem « asseruerant, viro per iuramentum suum *contrarium as-* « *serente.* Videtur igitur nobis quod *iuramento puellae,* « *et testimonio illarum septem mulierum fides est potius* « *adhibenda* ».

c) **De gravi et iusta causa ad dispensandum. – Quaeritur, an iustae in casu concurrant gravesque causae pro pontificia dispensatione: quae ab actuali sive perpetua sive temporali impotentia viri, atque ex animorum aversione petuntur.**

35. Ut autem 3° gradum faciamus ad *gravem et iustam causam* dispensandi super matrimonio rato et non consummato, etsi contendant inter se doctores, utrum necessaria ea sit ad pontificiae dispensationis *validitatem*, in eo tamen omnes tum theologi tum canonistae consentiunt, causam iustam eamque gravem requiri, ut *rite* summus Pontifex dispensationes huiusmodi elargiatur. Hinc Sanchez *(Op. cit. lib. 2. disp. 16 per totam)* sex enumerat eiusmodi causas, quarum quatuor tantum priores de stylo admitti testatur Corrado *(Praxis dispensat. apostol. lib. 8. cap. 7. n. 27 et seqq.)*. Alii superius citati auctores has et alias in medium proferunt causas, quae ab apostolica Sede admittuntur ad dispensandum super huiusmodi matrimoniis. Una autem ex iis causis, ut docet Sanchez l. c., *est impotentia superveniens ante matrimonium consummatum, qua cessat matrimonii finis.* Quanto ergo magis dicenda erit iusta et gravis causa si haec impotentia ipsum praecesserit matrimonium et certa omnino sit? Iam vero si animo recolantur ea quae supra a *n. 15* ad *26* exposita ac perpensa fuerunt, liquebit profecto, Caium impotentiae vitio, etiam antequam matrimonium contraheret, laborasse. Et quamvis dici vellet, non evidenter de eiusdem impotentiae *perpetuitate* constare, nescio qua ratione ex arcanis naturae viribus forte petita, illud tamen in themate exploratum est, praefatam Caii impotentiam esse omnino *certam.* Porro si etiam retineri velit tamquam *dubia* huius *certae* impotentiae *perpetuitas*, nihilominus ex hoc ipso patebit, dubiam saltem esse ipsam validitatem matrimonii ab illo initi. Atqui « licet in dubio, ut docet Cosci *(De separ.* « *tori lib. 3. cap. 2. n. 386 et seqq.)*, pronuntiandum sit « pro validitate matrimonii iuxta regulam..., ea tamen pro« cedit in quaestionibus nullitatis, quae non impedit nec « impedire potest finem et effectum matrimonii... Diversi-

« mode autem se res habet *in quaestione nullitatis ex ca-*
« *pite impotentiae,* per quam matrimonium reipsa est nul-
« lum suumque finem et effectum consequi nequit. Tunc
« enim quia agitur de inferenda iniuria et praeiudicio ei-
« dem sacramento matrimonii, directe contraria procedit
« regula, nimirum quod *in dubio standum sit pro exclu-*
« *sione matrimonii,* ea viva ratione, quia in foro externo,
« in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est per
« canonicas probationes et iuxta disciplinam Ecclesiae ma-
« trimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii
« occasionem incontinentiae praebere, et continuum con-
« fovere peccatum ». Idem sentit Ursaya *(Discep. Eccl. tom. 3. p. 2. n. 93.)* - ibi - « Pro alia tamen causa admit-
« titur a DD. *impotentia viri* ad consummandum matri-
« monium, ne uxor cogatur invita ad caelibatum servan-
« dum, vel subiiciatur incontinentiae periculis ». Idque a fortiori ibidem arguit vel ex eo quod iustam praebeat dispensationis causam *voluntaria etiam dilatio viri alioquin potentis consummando matrimonium.* Ita etiam Pignatelli aliique supra citati. Unde haec ipsa s. Congregatio ob hanc principem causam, et forsan ob hanc unicam, non semel pro dispensatione consuluit, uti in *Cadicen. matrimonii* 24 ianuarii 1857, in qua ex dubio matrimonii valore petita fuit, ut puto, potissima dispensandi causa; quum altera ex *animorum discordia* deducta, non satis probata appareret, secus ac in praesenti casu, quo et haec iusta et gravis militat dispensationis causa. Matrimonii enim emolumentis omnino fraudata Iulia ob viri impotentiam, non sine istius culpa, quippe et ante matrimonium iam erat propriae frigiditatis conscius; iugibus insuper iniuriis, contumeliis atque conviciis a viro et a socru lacessita, ut fere omnes testes iuramento deponunt; ac tandem ab ipso frigido viro repulsa: nil mirum quod illa a viro, et vicissim hic ab uxore nedum corpore sed et animo invicem averterentur. Unde accidit, ut tum inter sese, tum inter utriusque familias discordiae exarserint eiusmodi, ut praedicti testes etiam retineant impossibilem esse animorum reconciliationem. His adde praesens de matrimonii nullitate iu-

dicium; impotentiam viri longe lateque a fama vulgatam; divortium civili decreto firmatum, ut asserit instantis Orator in suo patrocinio *pag. 46* § *15* ad calcem Actorum, et quaelibet reconciliationis spes omnino evanescet. – Atqui iusta dispensationis causa est « gravis timor magni scan- « dali futuri, quia id cedit in magnum damnum commune... « cum id scandalum possit evenire ob fornicationis timo- « rem, quando coniuges valde sibi displicent, vel ob ini- « micitias quae inter eorum cognatos, vel eorum consan- « guineos timentur ». Ita Corrado (l. c.) ex Sanchez *(cit. disp. 16. n. 3)*; ita Card. De Luca *(De matr. lib. 14. disc. 9. nn. 7-8)*. – ibi – « Communis est canonistarum sententia, « quam.... servat Curia romana, ut Papa ex iusta vel ho- « nesta causa, illa praesertim odii et inimicitiarum, dispen- « sare possit super matrimonio rato tantum ». Et attenta impotentia in casu, de quo ibidem agebat et huic simillimo, animadvertit, eo fortius ex hac causa dispensandum esse, quia proprie non est *formalis dispensatio* super matrimonio alioquin firmo, sed videtur potius quaedam *administratio iustitiae,* idest *sub alio titulo, more Principis, administratae (n. 8 cit.)*.

d) **Obiter agitur de triplici dispensationum forma, nempe gratiosa, commissaria et mixta.**

36. Superest 4° ut investigemus qua *forma* concedenda sit eiusmodi dispensatio, quam actrix titulo etiam iustitiae efflagitat. Rescripta gratiae fiunt in *forma* vel *gratiosa,* vel *commissaria,* vet *mixta.* Rescriptis in *forma gratiosa* summus Pontifex per seipsum gratiam *immediate* concedit, quin haec a quispiam retardari possit. – Rescriptis in *forma commissaria* Pontifex non per seipsum gratiam largitur, sed *committit* seu mandatum dat Ordinariis, ut eam, si in Domino expedire iudicaverint, apostolica faciant auctoritate. – Demum Rescriptis in *forma mixta* (idest *gratiosa* simul et *commissaria*) Pontifex gratiam quidem facit, sub conditionibus tamen ab Ordinario comprobandis. Et hoc in casu executor cum cognitione causae procedere debet ad executionem, suam exercendo iurisdictionem in expenden-

dis et comprobandis expositis, eaque conferendo cum conditionibus in apostolico Rescripto adiectis (*Cfr.* De-Rosa: *De Executoribus litterarum apost. part. 1. cap. 3. nn. 9 et 12*; *cap. 5 nn. 1 et 13*). Porro « dispensatio in forma « gratiosa, ut monet Corradus *(Praxis dispensat. apost.* « *lib. 7. cap 2. n. 32)*, hodie regulariter non datur, prae- « sertim in dispensationibus matrimonialibus: sed ad prae- « scriptum Concilii tridentini, omnes dispensationes conce- « duntur in forma commissaria ». Et quamvis in themate « sit *sufficienter* ac *legitime* probatum, ad monitum Pigna- « telli *(cit. consult. 148, nn. 21-22)*, quod matrimonium (Caii « cum Iulia) non fuerit consummatum, et quod adsit alle- « gata impotentia cum aliis causis supra deductis » - tamen certum est, non expedire ut eadem concedatur in forma *gratiosa,* cum constare certo debeat, praedictum matrimonium nec usque ad praesens fuisse consummatum: quare concedenda ea esset vel in forma *mixta,* attenta *sufficienti* ac *legitima* ex Actis supradicta probatione, vel in forma *commissaria,* ut monent Pignatelli et Ursaya *(loc. cit.)*, aliquot allatis sacrae huius Congregationis exemplis, quibus adiici posset illud praedictae *Cadicen.* 24 ian. 1857, in qua duobus dubiis propositis, ut in praesenti quaestione, hic sacer Ordo respondit: « Ad 1um, providebitur in secundo. - Ad 2um, praevia sanatione processuum (id tamen cautum fuerat ob evidentes nullitates), affirmative, et committendum esse Ordinario hispalensi (in praesenti casu Ordinario coniugum) in forma commissaria, iuxta instructionem dandam a D. Secretario, audito defensore matrimonii ».

Haec tamen omnia, quae pro mei tenuitate ingenii proferre censui, ea qua par erat reverentia, sapientissimo S. C. C. Eminentissimorum Patrum iudicio humillime libenterque subieci.

S. C. Concilii ad proposita dubia responsum.

Propositis dubiis:

I. An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Et quatenus *negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam:

II. An sit consulendum SS̃mo super dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu:

S. Congregatio Concilii, causa cognita in comitiis habitis die 24 ianuarii 1871, respondere censuit:

« Ad I. Sententiam esse confirmandam, *vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta sacra Congregatione* ».

« Ad II. Provisum ».

Causa iterum ex officio proposita in comitiis habitis die 24 martii 1871, ad consuetas dubiorum formulas: I. An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu; II. An sit standum vel recedendum a decisis in secundo in casu:

S. Congregatio respondit: Ad I et II *in decisis.*

Porro quum lapsu temporis Caius suo ostenderit Episcopo, se ad matrimonii officia praestanda habilem evasisse, supplicesque eidem preces porrexerit, ut a summo Pontifice fucultatem efflagitaret, qua ipse novum valeret matrimonium ecclesiastico ritu celebrare, praedictus Oratoris Episcopus morem gerens eiusdem precibus, opportunas ab apostolica Sede imploravit facultates.

Quare haec iterum proposita fuit causa titulo *dispensationis matrimonii* apud sacram Concilii Congregationem, quae in comitiis habitis die 9 maii 1874, respondit:

« Esse consulendum SS̃mo pro dispensatione super « matrimonio rato et non consummato cum Iulia in casu » [1].

DISCEPTATIO QUARTA

De firmo vel nullo coniugio post raptum mulieris raptui consentientis inito.

Auctor ephemeridum romanarum, quibus titulus – *Acta Sanctae Sedis* –, ad varias conciliandas Doctorum sententias, qui controversiam diiudicant, an raptus impedimentum extet quum mulier raptui consentit, quasdam refert

[1] Recole dicta hac in *3a disceptatione n. 29. et seqq.*, et cautionem ab S. C. Concilii sapienter adhibitam in resolutione nuper citata diei *24 ian. 1871.*

ac illustrat sacrae Congregationis Concilii resolutiones in themate.

Cum itaque praedictae resolutiones magnam lucem in eiusmodi quaestionem effundant, utile fore duxi referre, ut alias innui [1], praedicti Auctoris disceptationem in appendice secunda primi voluminis relatam. – En itaque eiusdem disceptationis

ARGUMENTUM

Referuntur S. C. Concilii resolutiones in quibusdam matrimoniorum causis apud eam promotis ex titulo raptus. His autem doceri videtur:

1° Raptum qui cadat sub Concilii decreto non haberi quando raptum praecedunt concludentes de matrimonio ineundo tractatus.

2° Non adesse raptum, sed potius contrahentium fugam ad nuptias conciliandas si vir sine dolo mulierem ex condicto abducat ea causa quod tractatus de matrimonio ex parentum oppositione concludi nequiverint.

3° Neque raptum haberi sed fugam ad matrimonium liberius contrahendum si non vir sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur.

4° Contra vero raptus impedimentum haberi si mulier insidiis et dolosis sollicitationibus viri meditantis rapinam abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur.

IV.

De matrimonii valore in ordine ad raptum mulieris raptui consentientis.

1. Cum tanta reperiatur inter auctores sententiarum varietas, circa raptus impedimentum, quando puella quae abducitur, raptui consentiat, praestat nonnulla attingere ex actis S. C. C. quae hanc materiam respiciunt. Et quoniam ab auctoribus affertur quaedam vetusta S. C. C. decisio

[1] *Parte 1. cap. 1. art. 1.* § *5.*

diei 24 ianuarii 1608 [1] his concepta verbis: – « Concilium « procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus « iuxta terminos iuris civilis » –; quaerendum est ad quosnam casus haec doctrina in praxi referatur.

2. Quae definitio ut plenius intelligatur, praenotari debent ea quae sacrae Congreg. Conc. in voto Iurisconsulti exponebantur [2]. Proponebatur enim cohaerere optime posse cum natura raptus consensum puellae in ipsum raptum. « Raptus committitur (sic in voto) etiam cum muliere vo« lente, *leg. unic. C. de rapt. virg.* § *si enim,* ubi dicitur « quod *hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi « hominis qui meditatur rapinam inducitur;* idque proce« dit etiam de iure canonico ut probat textus in *cap. pla« cuit, caus. 36. q. 2* » ibi « *qui rapiunt feminas, furantur « aut seducunt,* et *cap. de raptoribus caus. 36. q. 1,* et ita « expresse tenet Abbas etc. Et ratio est, quam reddit textus « in lege unica his verbis: *nisi enim raptor eam sollicitave« rit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle « in tantum dedecus sese prodere:* ideoque mulier rapta « semper praesumitur seducta, et decepta. Abbas etc. »; et post alia idem Iurisconsultus prosequebatur: « denique « hanc opinionem confirmat textus *cap. cum causa,* quo « manifeste probatur, raptum committi etiam cum muliere « volente, dum requirit ad excludendum raptum, ut antea « de nuptiis actum sit, et ita *non sufficit consensus puellae « nisi praecedat tractatus de matrimonio,* ut ibi sentiunt « communiter auctores . . . Quod si obiiciatur s. Concilium « respexisse libertatem puellae, ac matrimonium nullum « decrevisse, si contrahatur donec est in potestate raptoris, « hanc autem rationem cessare si puella raptui consense« rit: huic obiectioni respondetur primo, quod *consensus « puellae ad raptum* praesumitur extortus a viro per do« lum, iuxta dict. leg. 1. Respondetur secundo, esse con-

[1] Datum non est in archivio S. C. C. reperire hanc resolutionem, quamvis diligenter inquisitam.

[2] Hoc votum refert Riganti: *Commentar. in Regul. Const. et Ordinat. Cancell. Apost.* – Regul. *49. n. 71. et seqq.*

« siderandum quod *aliud est raptui consentire, et aliud* « *consentire matrimonio. Et praeterea ex consensu ad ra-* « *ptum, non inferri consensum ad matrimonium,* atque ita « non cessare rationem Concilii in ea, quae assentitur ra- « ptui, cum postea dissentiret matrimonio.

« Itaque videtur respondendum, raptorem mulieris vo- « lentis, includi decreto Concilii, sicut in specie etiam sen- « tit Navarrus *const. 2, tit. de rapt. lib. 5* in hanc senten- « tiam citans S. Thomam, qui ait esse receptum. Et quod « dictum est de matrimonio, ut Concilium comprehendat « etiam raptorem mulieris volentis, dicendum est etiam de « poenis ob easdem rationes.

« Haec autem omnia ita sunt intelligenda, cum vere « raptus intervenit, *qui requirit aliquam violentiam:* adeo « ut raptus non tollatur cum abest violentia et abductio « per consensum mulieris [1], secus si violentia non interce- « deret, et mulier esset sui iuris, idest neque in potestate « parentum, neque tutoris, neque similium, neque promis- « sionibus, vel aliis artibus esset deducta, ut bene per Ma- « scard. *de prob. vol. 3, concl. 1253, verb. Rapina, n. 20* ».

3. In quo Iurisconsulti voto, quamvis nonnulla habeantur non admodum determinata, tamen ratio potissima propter quam consensus puellae in raptum, indolem raptus non destruit, ex eo repetitur quod hic consensus ab insidiis nequissimi hominis rapinam meditantis inducitur, et ideo violentia ipsi mulieri infertur, quamvis videatur consentire. Ex quo puellae consensu ita extorto, qui raptus naturam non destruit, consequitur etiam, violentiam a viro inferri illis sub quorum potestate puella extat. Subtrahitur enim puella a parentum potestate, et in manum raptoris dolo traducitur. Porro iuxta hos terminos censebat consultor, formalem ut aiunt raptum verificari. Dixi iuxta hos terminos, qui omnino immutarentur, si tractatus de ineundo matrimonio praecessissent. *Consensus* enim *in raptum* absolute a Iurisconsulto consideratur, et praescindit a con-

[1] Idest solus consensus puellae in raptum non sufficit, ut mulier non dicatur rapta.

sensu puellae in matrimonium. Ait enim *aliud est raptui consentire, aliud consentire matrimonio* etc. Quare casus fingitur, in quo rapina vel furtum mulieris a raptore intenditur, ut inde mulier, hac ratione a potestate parentum et tutorum subtracta, et in manum raptoris deducta, in matrimonium consentire cogatur. Porro iuxta hos terminos facile quisque concedet huiusmodi raptum sub decreto Concilii comprehendi.

4. Et in hanc sententiam cedere videtur allegata resolutio S. C. verbis illis: « Concilium procedere etiam in « muliere volente *dum tamen* sit raptus iuxta terminos « iuris civilis ». In qua definitione animadvertendae sunt particulae illae *dum tamen*, quae cum sint *exclusivae*, significant, non omnes abductiones mulieris volentis, comprehendi sub decreto Concilii tridentini; sed solummodo eas abductiones comprehendi, quae raptus dicuntur iuxta terminos iuris civilis, videlicet iuxta *legem unic. C. de rapt. virg.* quae ideo gravissimas poenas in raptores mulieris volentis comminatur, *quia* (sunt verba legis) *hoc ipsum velle mulierum, ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam inducitur: nisi enim raptor eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.*

5. Ad quae verba legis maxime attendisse videtur S. C. eaque veluti criterium tradidisse ad discernendas abductiones puellae, quae sub Concilii decreto comprehenduntur.

Praestat in hac materia habere prae oculis exempla decisionum quae post hanc resolutionem emissae sunt, usque ad nostra tempora.

Ex decretis S. C. C. colligi posse videtur:

a) **Raptum qui cadat sub Concilii decreto non haberi quando raptum praecedunt concludentes de matrimonio ineundo tractatus.**

6. Reperitur quaedam resolutio sacrae C. C. in *Mediolanen. matrimonii* diei 20 augusti 1661 cuius sequens erat facti species. « Paulus Clemens a Porta et Anna Maria a « Turre, supplices huic s. Congreg. alias narrabant con-

« tracta inter se fuisse sponsalia, per verba de futuro. Post « vero factas tres denunciationes in parochia viri, et duas « in parochia mulieris, Gaspar Annae pater et Anna ipsa « eiusdem patris impulsu, pro rescissione sponsalium co- « ram Ordinario instìterunt. Quare cum res in longum tra- « heretur, Anna misso nuncio ad Clementem obtulit sese « discessuram a paterna domo, si ipse eam secum addu- « cturus, certo constituto tempore, prope domum suam « praestolatus esset. Quapropter ex condicto, Anna cum Cle- « mente primam circa noctis horam aufugit, seseque in « aedes, quas in parochia s. Stephani ipsa Anna, nonnul- « lis ante diebus, ad annum conduxerat, receperunt [1]. « Postridie vero accersito parocho eius parochiae, quasi sa- « cramentalis confessio cuiusdam infirmi esset excipienda, « coram eo per verba de praesenti se invicem desponsa- « runt, quibus ille auditis dixit, se huius rei conscium esse « nolle, ac murmurans aufugit. Post haec et matrimonium « consummatum, et proles iam suscepta est. Et quoniam « Vicarius generalis Archiepiscopi mediolanen., huiusmodi « matrimonium, ut supra contractum, invalidum esse con- « tendit: ideo ipsi coniuges, supplices petunt per hanc « s. Congregationem declarari I. *An constet de raptu ad ef- « fectum de quo agitur*. Et quatenus non constet. II. *An « supradictum matrimonium contractum fuerit coram legi- « timo parocho* ». S. C. respondit ad I. *negative*. Ad II. *af- firmative.*

Quo in casu, uti observas, praecesserat de matrimonio tractatus.

[1] Exposuerat etiam in sua relatione Episcopus S. C. Annam quaesivisse declarationem nullitatis sponsalium ex causa disparitatis conditionis viri, sed in longum Vicarius generalis protraxerat iudicium, sperans Annam esse in matrimonium consensuram. Vetuerat etiam Episcopus viro accedere ad Annae domum, ut libere pro solutione sponsalium ipsa agere posset. Deinde vero vir consensum Annae in sponsalia iterum obtinuit; quo obtento « spreto praecepto (sunt verba « Episcopi) de non accedendo ad eam, armata manu dictam Annam « Mariam abduxit invitis parentibus confugiens ad locum immunem, « et inde fuit querelatus in utroque foro ».

b) **Non adesse raptum, sed potius contrahentium fugam ad nuptias conciliandas si vir sine dolo mulierem ex condicto abducat ea causa quod tractatus de matrimonio ex parentum oppositione concludi nequiverint.**

7. Item in una *Ruben. raptus et censurarum* diei 3 martii 1714, in qua ita exponitur factum. « Inquisitione instituta « praetensi raptus puellae Cesareae Fucile, de mense ia« nuarii anni propre elapsi, plures testes formiter in Curia « episcopali interrogati desuper fuerant, qui univoce depo« suerunt: summo mane diei 30 decembr. 1712 iter faciente « iam dicta puella cum eius matertera, Rocchum Sanctem « peregrinum repentino eam abripuisse, ac domum suae « sororis adsportasse. Interea, ut testes ipsi prosequuntur, « praenominata matertera magnos clamores edidit. Puella « vero nec verbum quidem perturbati animi protulit. Mo« nitione itaque expedita sub die 7 ianuarii, quatenus infra « tres dies, quorum singuli pro primo, secundo ac ultimo « respective termino computarentur, idem Rocchus iudicio « sisteret ad allegandam causam, quare censuris obnoxius « declarari non deberet, quae contra raptores comminan« tur in sac. trid. Synodo c. 6, sess. 24 *de reform.* Incusa« taque contumaciali absentia semel, iterum ac tertio, sub « diebus 9. 10. 11 praedicti mensis, postridie excommuni« cationis edicta affixa fuere. Statim iamdictus Rocchus con« fugium habuit ad s. Congr. pro opportuna absolutione, ut « coniugii foedus inire posset cum dicta puella, et EE. Ve« stris placuit rescribere Episcopo, ut procederet prout de « iure ad declarationem praetensi impedimenti raptus. Hinc « orator ipse coram iudice se constituit, ac ingenue fassus « fuit, raptum commisisse consentiente, quin etiam, pro« ponente puella, quo libere exoptatum matrimonium con« trahere possent, vel invitis ipsius consanguineis, qui tra« ctatum sponsalium constanter eiecerant. Subinde apud « honestam matronam puella collocata fuit, ut omnimoda « libertate perfrueretur, ac iureiurando interrogata, deposuit « quod vesano amore percita, oratorem induxit ut seipsam « subduceret, proindeque nullatenus raptui restitit. Quibus

« sane perspectis, Vicarius generalis definitive tandem pro-
« nunciavit, nullum inter Rocchum et Cesaream interce-
« dere impedimentum raptus, quo matrimonium prohiberi
« inter eos valeat. Verum enim vero, super censuris ful-
« minatis, idem Vicarius interlocutus non fuit; hinc iterum
« orator supplex rediit ad hanc S. C. pro reportanda de-
« claratione super earum insubsistentia. Quapropter exhi-
« bito actorum processu, concordatisque binis dubiis, su-
« perest quod EE. VV. sapienter decernere non graventur.
« I. *An obstet praetensus raptus ad contrahendum matri-*
« *monium in casu*. II. *An censurae substineantur in casu* ».
S. C. respondit: Ad I. *non obstare*. Ad II. *esse absolvendum ad cautelam*.

8. Quamvis ex resolutione primi dubii nihil possit erui, quod ad rem nostram faciat (constituta enim fuerat mulier apud honestam matronam, ut omnimoda libertate perfrueretur, ideoque non amplius obstare poterat raptus ad matrimonium contrahendum si formalis raptus interfuisset); tamen aliquid eruitur ex resolutione secundi dubii, cuius resolutio pendebat praecise ab indole raptus. Eruitur scilicet, S. C. non censuisse constare de raptu qui cadat sub decreto Concilii. Tamen ut quodlibet dubium removeretur, circa excommunicationem publice declaratam incursam, respondit: *esse absolvendum ad cautelam*.

9. In qua quaestione habes exemplum, quo non videtur raptus mulieris committi, si vir et mulier sine dolo ad invicem amore capiantur, et exinde mulier consentiens, imo raptum proponens abducatur, ex eo quod tractatus de ineundo matrimonio, ex oppositione parentum non potuerint concludi. Quo in casu dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut libere matrimonium contrahant, quam raptus.

10. Altera habetur decisio huius generis in *Olomucen. matrimonii* die 20 augusti 1769 definita, et iterum confirmata die 14 martii 1772. In hac causa agebatur de nobili milite, qui nocturno tempore rapuit nobilem puellam, parentibus orbatam, et commorantem apud tutricem, eamque transtulit in quoddam oppidum apud suum patruelem (id-

est patruelem ipsius viri), ibidem relicta, asserebatur eam libere conversatam fuisse. Post 16 dies, coram Cappellano castrensi et duobus testibus matrimonium contraxerunt. Deinde cum civitatem Olomucensem adierint, orto dubio de huius matrimonii validitate, admoniti fuerunt coniuges ab Episcopo et prudentibus viris, ut seiunctim viverent, et mulier in locum tutum se reciperet. Verum neglectis hisce monitis, Olomucio relicto, adierunt quoddam Fortalitium, ibique post moram quinque mensium coram parocho et testibus, matrimonii consensum renovarunt. Interea ex evulgato raptus rumore, sequestro subiecta fuerant bona adolescentulae in ditione borussica existentia quod deinde fuit revocatum, emissa per adolescentulam declaratione, qua fatebatur, se sponte et voluntarie a viro fuisse abductam. Verum inter coniuges post plures annos matrimonii exortis dissidiis, mulier fugam arripuit, et a catholica religione defecit. Proposita per mulierem quaestione super nullitate matrimonii apud protestantium tribunalia, obtinuit mulier matrimonii solutionem causa dissidii et alienationis animorum, quae sententia, frustra reclamante viro, fuit semel iterumque confirmata.

11. Petiit deinde etiam vir, apud competens tribunal, ut declararetur nullitas matrimonii, tum ex causa raptus, tum ex defectu proprii parochi: sed contrariam obtinuit sententiam: appellavit proinde ad sacr. Concilii C. quae ad dubium: *An constet de nullitate matrimonii in casu,* respondit pariter *negative.*

12. Censuit itaque S. C. *non constare de nullitate matrimonii.* Et sane licet constaret de materiali raptu, habebantur tamen gravia indicia ad excludendas illas dolosas sollicitationes, quibus nequissimi homines faciunt mulierem velle in tantum dedecus sese prodere. Aderant enim testes (prouti eruitur ex partium disceptatione S. C. proposita) qui deponebant, mulierem, volentem et maxime optantem, fuisse a viro abductam; aderat quidam Canonicus qui testatus est, ante mulieris abductionem inita inter eos fuisse sponsalia. Deinde mulier, quamvis ab Episcopo et ab aliis admonita fuisset, ut a viro separaretur, nunquam ad hoc

induci potuit; quod demonstrat animum obfirmatum mulieris cohaerentem emissae declarationi, qua fassa est, *sponte sua et voluntarie* a viro fuisse abductam e *tutricis* domo.

13. Imo cum matrimonium iterum coram parocho et testibus, post spatium plurium mensium renovatum fuerit, quin mulier avelli a viro voluerit; videbatur potius mulier ad instar meretricum, virum sub sua potestate retinere, quam ipsa videretur sub viri potestate retineri.

c) **Neque raptum haberi sed fugam ad matrimonium liberius contrahendum si non vir sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur.**

14. Iterum in una *Praemisilien. nullitatis matrimonii*, primo proposita die 18 iulii 1778 et definita die 8 augusti eiusdem anni, denuo confirmata die 17 iunii 1780, haec erat facti species: Barbara degens in quodam monasterio nuptias anhelans, familiaritatem contraxit cum Xaverio et eiusdem fratre Francisco, occasione qua iidem frequenter ad illud monasterium accedebant causa invisendi suas consanguineas ibidem Moniales professas. Illa enim pluries modo cum uno, modo cum altero ex dictis fratribus secreta habuit colloquia eisdemque pandidit voluntatem suam, quae erat numquam amplectendi statum religiosum (quem ut amplecteretur exoptabant parentes) sed matrimonium contrahendi quantocius; habitaque notitia quod alii erant Francisci et Xaverii fratres natu maiores, rogavit Xaverium, ut illis significaret se eorum alteri nubere velle, significaretque pariter eorumdem parentibus ut rhedam subministrarent pro huiusmodi contrahendo matrimonio, addens quod si hoc frustraretur coniugium, se paratam esse, pro aliqua fruenda libertate, iungi cuique homini etiam infimae sortis.

15. Haec explicita Barbarae voluntas cum relata fuisset Theresiae antedictorum fratrum matri, cumque haec meminerit suasiones sibi factas ab avo materno eiusdem Barbarae, ut hanc eius neptem in uxorem daret alicui ex suis filiis, rhedam ad Barbaram misit una cum cubicularia, et praecepit Francisco filio ut in itinere comitaretur Barba-

ram, eamque duceret in domum suam. Praecepto matris licet invitus Franciscus obtemperavit, perventoque ad monasterium, cum Barbara rescivisset adesse rhedam, laesis claustri vinculis, fugaciter ad rhedam accessit, et per se ipsam apertis valvulis, in eam ascendit, ac inter illius culcitras se abscondit, ut a nemine cognosceretur; subinde et Franciscus eandem rhedam ascendit, et una simul petierunt Villam A., alteraque die pervenerunt ad Villam B. ubi lares erant dictorum fratrum; ibique Barbaram ultra modum hilarem eduxit e rheda Ignatius ex fratribus natu maior qui pridie ante adventum Barbarae ad domum suam ex quodam itinere redierat.

16. Barbara statim ac vidit Ignatium, illico affectum suum, quem erga eumdem mente et corde conceperat, ostendit. Ipsa enim institit penes Theresiam Ignatii matrem pro contrahendis nuptiis cum Ignatio. Remissis itaque ab Episcopo duabus denunciationibus, una tantum expleta, matrimonium in faciem Ecclesiae contraxerunt.

17. Sexto decurrente matrimonii anno cum coniuges ad reconciliandos animos parentum ipsius Barbarae, qui morabantur in quadam Villa C., accessissent, hi retenta Barbara filia, viroque expulso, postularunt a Curia episcopali declarari matrimonii nullitatem *ex causa raptus in persona Barbarae, in absentia parentum.* Confecto processu, sententia in primo gradu prodiit pro validitate matrimonii, in secundo et tertio appellationis gradu sententia lata est pro eiusdem nullitate.

18. Ulteriori interposita appellatione ex parte viri ad S. C. C. sub dubio « an constet de nullitate matrimonii in « casu ». S. Congreg. respondit: *negative et amplius.*

Ex qua clausula *et amplius* deprehendes, omnes Cardinales in eamdem convenisse sententiam, scilicet omnes censuisse non constare de matrimonii nullitate. Etenim mulier abducta quidem fuerat e monasterio, insciis parentibus, imo contra parentum voluntatem, quin praecesserint de matrimonio tractatus; attamen ipsa mulier abductionem ut contraheret matrimonium, studiose optavit, quin a viro aliquo modo sollicitaretur.

19. In eumdem sensum facile reducuntur aliae causae S. C. C. propositae cuiusmodi sunt *Montis Regalis, matrimonii* 2 iulii 1707, *Beneventana, matrimonii* 20 sept. 1760 *dub. 2.*

d) **Contra vero raptus impedimentum haberi si mulier insidiis et dolosis sollicitationibus viri meditantis rapinam abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur.**

20. Altera recentissima habetur causa, cuius facti compendium est sequens. Nobilis miles Sempronius quum nobilem puellam ardenti amore prosequeretur, eam sibi in uxorem a matre postulavit. Petitionem reiecit puellae mater, non tamen restitit Sempronius; quin imo rationem excogitare cepit, qua puellam ad nuptias ineundas, praeter maternum consensum, induceret. Preces, amatorias literas in hunc finem adhibuit: insuper privatum colloquium a puella petiit, ope cuiusdam ancillae, puellae servitio addictae, per quam puellae nunciavit, ex eo colloquio futuram eiusdem fortunam pendere. Voti compos Sempronius factus est, et cum puella congressus ad vesperam, post breve colloquium, eamdem materna domo abduxit. Hac inopinata abductione, puella sensibus defecit, et viribus destituta, paratae rhedae, manibus viri imposita fuit. Et primum eam transtulit in aliam civitatem A., ibique curis cuiusdam matronae tradidit. Deinde, eadem comitante matrona, nec non praefata ancilla et servo militari, in aliam civitatem B. misit apud quendam iurisperitum; ac demum paucis elapsis diebus, in pristinam matronae domum reduxit. Ibique tandem post duodecim dies a sequuta abductione, continenter manente puella sub Sempronii potestate per alios exercita, matrimonium calebratum est coram parocho, testibus, aliisque nobilibus viris, sciente ac consentiente sponsae avunculo, sciente ac probante Episcopo; quamvis puella, pluries antea patefecisset, se absque benedictione materna nolle nuptias inire.

21. In mutua vitae consuetudine sex ultra annos sponsi manserunt, binosque filios assequuti sunt. Tandem mota lite super matrimonii nullitate, eaque deveniente ad S. C. C.

sub dubio: *An constet de nullitate matrimonii in casu,* re mature discussa, responsum prodiit, die 18 iunii 1859: *Affirmative, firmis remanentibus iuribus filiorum prout et quatenus de iure.* Habes hoc exemplo puellam dolosis sollicitationibus prius allectam, deinde vero structis veluti retibus, inopinato e materna domo abductam, quo hostili facto, matrimonium veluti necessarium devenit. Quod factum similitudinem habet cum eo quod supra exposuimus in causa *matrimonii,* in qua puella, machinationis ignara, in manus viri rapinam meditantis devenerat, eaque sub viri potestate dolosis artibus retenta, ut induceretur ad matrimonium contrahendum.

22. Ex quibus omnibus, ea quae quatuor innuimus huius disceptationis titulis in unum colligentes, concludi posse videtur: I. raptum qui cadat sub decreto Concilii non haberi, quando praecedunt raptum concludentes tractatus de matrimonio ineundo. Hoc enim casu vir ius habet ad mulierem sibi desponsandam, et mulier tenetur matrimonio consentire.

II. Neque hunc raptum verificari, si vir sine dolo, mulierem ex condicto abducat, ex eo quod tractatus de matrimonio ex parentum oppositione non potuerint concludi.

III. Neque verificari raptum, si non vir sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur. In his duobus casibus, dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut liberius matrimonium contrahant, quam raptus.

IV. E contra raptum verificari si mulier insidiis et dolosis sollicitationibus meditantis rapinam, abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur.

23. Hisce omnibus accurate perpensis, et attento decreto Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6. de reform. matr.* non est dicenda *saltem* tuta eorum sententia qui docent sufficere *solam iniuriam* parentibus puellae illatam, ut mulier dicatur rapta.

Raptus enim impedimentum ab Ecclesia inductum non est ad coarctandam puellae libertatem in matrimonium, sed imo ad libertatem matrimonii sartam tectamque servan-

dam; mulier enim quae vel vi, vel dolo in potestatem abducentis devenit, cogitur ad contrahendum cum tali abducente, et ideo coarctatur puellae libertas. Ecclesia autem quae libertatis matrimonii vindex est, abhorret omnino a matrimoniis hoc hostili modo contractis; et ideo reddens puellam inhabilem ad contrahendum cum raptore, donec manet in eiusdem raptoris potestate, exigit, *non quidem parentum consensum* ut rapta cum raptore rite contrahere possit, sed exigit solummodo puellae libertatem, quam libertatem sapienter Concilium puellae redditam non censuit, nisi a potestate raptoris separata in loco tuto ac libero constituta fuerit.

24. Quod si obiiciatur eo ipso quod mulier raptui consentiat, videtur in matrimonium consentire, quia raptui consentit propter matrimonium, et ideo seclusa parentum iniuria, numquam rationem raptus de quo agimus, in muliere consentiente verificari, respondemus, resolutionem huius quaestionis ex individuis facti adiunctis totam pendere. Si enim mulier ita in abductionem consentiat ut liberius matrimonium contrahat, et hoc abductionis medio utatur ad obstacula removenda, non videtur raptus, sed simplex fuga, quamvis aliqua iniuria parentibus dissentientibus irrogetur.

25. At si vir recta via non possit mulieris consensum in matrimonium obtinere, et inde rapinam sive puellae furtum meditatus, incipiat inexpertam puellam circumvenire insidiis, sollicitationibus dolosis etc. ut hisce artibus et his quodammodo retibus, aliquam versatilis puellae complacentiam extorqueat, qua obtenta in spretum parentum eam rapiat, nemo non videt, virum quidem intendere puellam in matrimonium cogere, puellam autem insidiis viri, ex circumventione quodammodo adhaerere, quin ipsa serio advertat se ad coniugium ineundum adigi, quod sponte et contra parentum voluntatem, nunquam forsan fuisset initura.

26. Hanc rationem agendi eorum qui hisce artibus praestitutis, inexpertas deinde rapiunt puellas, comparare quo-

dammodo posses cum ratione agendi eorum qui hamo capiunt pisces et aves retibus.

27. Quare sicut ex sola iniuria parentibus vel insciis vel dissentientibus illata, raptus non videtur committi; ita etiam ex aliquali consensu mulieris in raptum, ratio raptus non videtur excludi.

APPENDIX

Quorumdam monumentorum apostolicae Sedis quae passim in hoc opere citantur.

I.

CONSTITUTIO

BENEDICTI PP. XIV

In qua praescribitur ordo et forma in iudiciis Causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate vel nullitate declaranda servandus [1].

BENEDICTUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

[1] Pene tota haec Constitutio in eo versatur, ut iudicem deputandum, officium defensoris matrimonii explendum, sententiarum denique valorem et effectum edicat et sanciat. – Haec autem fusius enucleavimus hic *part. 1. cap. 6. ubi de foro competente, de processu et iudicio in causis matrimonialibus.*

§ 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae Ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant: et similiter feminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus apostolicae nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum

accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram Iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Iudex, ad cuius tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, alter qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

§ 4. Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis literis ad venerabiles fratres

Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos scriptis vicesima sexta augusti anno secundo Pontificatus nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae sacris Canonibus, et Concilii tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus; quod, quamvis Concilii tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis literis praescriptum pro Iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§ 5. Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine hac nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabi-

tur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. Et demum defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus

sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur si a Iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam Iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Iudicem provocabit.

§ 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam vel oscitantiam vel collusionem defensoris et partium interposita si ambo vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra *decem dies* non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra poligamos a sacris Canonibus et Constitutionibus apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

§ 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum Iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram Iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur, et si Iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Iudex in

secunda instantia erit Iudex commissarius, cui a Sede apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a Iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae Iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur, sin minus a Iudice primae vel secundae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt Iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi Iudex commissarius iuxta Sedis apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ 13. Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbiis et districtu Vicarium nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque ut supra omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis et romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardi-

nalium Concilii tridentini interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ 14. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii tridentini interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium tridentini Concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

§ 15. Et quoniam saepe apud Sedem apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis vel romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena

et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et s. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, *ac irritum et inane,* si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus in genere vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum

sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem, per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 17. Volumus autem, ut praesentes literae in valvis Ecclesiae lateranensis et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam maiorem tertio nonas novembris anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri anno secundo [1].

D. CARD. PASSIONEUS.

Visa de Curia - N. Antonellus — X. Sub-Datarius.
Loco ✠ Plumbi. — I. B. Eugenius.

Anno a Nativitate D. N. IESU CHRISTI MDCCXLI. Indictione quarta, die vero 29 novembris, Pontificatus an-

[1] Vide Collectanea S. C. de Propaganda Fide n. 1570.

tem SSmi in Christo Patris et D. N. D. BENEDICTI divina providentia PP. XIV anno secundo, supradicta Constitutio affixa et publicata fuit ad valvas Basilicae lateranensis et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae, Curiae generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Ioannem Trifelli apost. Curs.

Nicolaus Cappelli Mag. Curs.

II.

Instructio edita a s. Congregatione Concilii die 22 augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus.

Cum moneat Glossa *(in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez *(de matrim. lib. 7. disp. 107)* et Card. Argenvilliers *(in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5. vol. ult. n. 16)* plura hinc a sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (in Constit. *Dei miseratione)* processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, s. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum praesertim civilium, sed iuxta ss. Canones, citatam s. m. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a sacro Conc. trid. *(sess. 24) cap. 20. de ref.* § *ad haec),* ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. Constit. *Dei miseratione* § 4.) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere *Nullius,* licet cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta s. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel iudex delegatus citari mandabit Defensorem matrimonii, quatenus in Curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constit. s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic Defensor matrimonii *citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant* [1]. Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat,

[1] Ex cit. Const. § 7.

semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda, illo postulante, ex Iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies pars nullitatem matrimonii allegans comparebit ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim dum pars erit examinanda ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta iterrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine Cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Iudex deferat iura-

mentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru✝cis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis prout Defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. (in cap. *litterae vestrae, de frig. et malef.*). Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim

erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi, designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis, defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam Defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente ad instantiam Defensoris matrimonii erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata s. m. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium: utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit, eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt Periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim Defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam Defensori matrimonii ad exhibendas notulas Peritorum Me-

dicorum et Chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, Iudex eliget quinque Peritos, tres scilicet Medicos et duos Chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam tum quoad religionem et honestatem, atque his Peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis *honestis mediis* ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus Periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor matrimonii, Cancellarius ac Periti. Singuli ex Peritis ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, *non tamen illicitis,* opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens,

Iudex, Defensor validitatis matrimonii et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de Peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem Peritis uno Medico, et altero Chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit; quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus Matrona et Obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, Defensor matrimonii et Cancellarius cum Peritis ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recogni-

tionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore matrimonii et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt comunicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione.*

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor matrimonii sententiam profert Episcopus.

Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario [1].

[1] Vide Collectanea S. C. de Propaganda Fide n. 1571.

III.

Instructio supremae Congregationis S. O. sequenda in conficiendo processu super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione, accedente summi Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV « Dei miseratione » servata tamen in substantialibus.

Iudex ad hoc deputatus prae oculis habeat quod examina quaecumque illa erunt, fieri debent sub iuramenti fide, et Cancellarius Curiae episcopalis vel altera persona deleganda, interrogationes, responsa et quaelibet acta scripto tradet, facta prius annotatione mensis, diei, anni, loci et personae iudicis coram quo conficiuntur acta, nec non cuiuslibet testis examinandi.

Testes singillatim audiantur, et in fine examinis se subscribant proprio nomine, vel cum signo crucis quatenus sint illiterati.

Primus ille coniux audiatur qui Actor est in causa. Interrogationes Iudicis arbitrio, prudentiae et sagacitati relinquuntur, attamen pro eius commoditate sequentes traduntur, quibus alterae addantur prout melius in Domino iudicaverit ad factorum veritatem magis magisque eruendam, nimirum:

A quanto tempore sese cognoverint sponsi ante matrimonium; an parentum consensu, sponte et mutua voluntate illud inierint; an in sequenti nocte in eadem domo, eodemque cubiculo et toro cubaverint, officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint; an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat vel suspicetur causas propter quas consummare nequiverint, licet iteratis vicibus etiam in sequentibus noctibus ausi fuerint; an id contigerit ob nimiam angustiam cunni mulieris, vel ob immodicam sui penis crassitudinem, aut propter debilitatem ita ut nulla vel parvi momenti fuerit erectio; an, quae et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, et quinam fuerint effectus; quamdiu simul vixerint et condormierint; quis primus alterum coniugem deserue-

rit, et an etiam aliae causae accesserint; an et quibus parentibus, amicis vel vicinis secreto manifestaverint quod matrimonium non fuerit consummatum, eosque singillatim nominet.

Haec vel similia etiam ab altero coniuge requirantur, ut an inter se apprime conveniant dignoscatur.

Deinde testes, qui ab ipsis coniugibus fuerint recensiti, seorsim examini subiiciantur. Prius vero eorumdem parentes audiantur, uti praesumptive magis informati: postea vero famuli et viciniores. Si quis illorum obierit, vel longinquas regiones petierit, in actis innuendum erit. Interrogationes autem sequentes proponuntur, sed immutandae pro rerum adiunctis.

An cognoscat coniuges de quibus sermo; an sciat utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint, et matrimonium consummaverint; an sit instructus quibus de causis consummare nequiverint, et an, et quid ad illas amovendas experti fuerint; utrum, et quae conquestio inter ipsos extiterit; quaenam sit fama tam apud se, quam apud alios de hac praetensa non consummatione.

Singulorum testium absoluto examine, duo saltem ex celebrioribus civitatis Physici medicinam et chirurgiam callentes seligantur corpus viri inspecturi super eius potentia ad coeundum cum muliere maxime virgine, nec ille Physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem ut *mediis* utantur *licitis et honestis*, et perscrutandum praecipue utrum illius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata; nimirum an penis naturalem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam; an aliquo morbo fuerit affectus, a quanto tempore, et cuiusnam characteris; an fibrae compactae et consistentes, seu potius flaccidae, lassaeque sint; an testes sani naturalisque magnitudinis, et utrum aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent; quo in casu morbi characterem et causas investigabunt; an vetus vel recens, naturalis vel acquisitus, et an curabilis nec ne absque salutis periculo.

Quibus omnibus diligenter inspectis, singula sub iuramento scripto tradent, et quid ipsi sentiant de viri impotentia an acquisita vel ingenita, absoluta vel relativa tantum, ingenue fateantur, nullaque relicta ambigendi ratione.

Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem Obstetricibus in arte et praxi peritioribus ac bonis moribus imbutis inspiciantur, adhibito prius mulieris balneo si necessario praemittendum Physici et ipsae iudicaverint. Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, iuncturam, duritiem, rugositatem et colorem; an hymen sit integer, vel confractus in totum vel in parte; hoc in casu an et qua naturali causa, seu potius e congressu extranei corporis contigerit; an myrtiformes caruneulae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum, et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula quae repererit sub sacramento Iudici, et a Cancellario scripto fideliter tradenda, distincte exponat, et quid ipsae sentiant de illius integritate declarent.

Earumdem depositiones praedictis Physicis examinandae tradantur, ut decernant num mulier adhuc integra habenda sit, atque matrimonium non consummatum iudicandum.

Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis Physicis concinnatis interrogationibus, iterum Obstetrices examinentur, et si nihilominus anceps Peritorum iudicium permanserit, corpus mulieris ab ipsis inspiciatur, adstante vero Matrona antiquae virtutis, nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda; expleta inspectione iudicium dabunt Physici singulasque proferent rationes quibus ipsorum sententia innititur.

Praetereunda tandem non erit investigatio super qualitate testium audito eorumdem parocho, vel alia proba et apprime instructa persona utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones.

Omnibus superius recensitis diligenter ab Ordinario collectis, illa ad s. Congregationem mittere festinabit decretorio eius iudicio subiicienda [1].

IV.

Litterae apostolicae Benedicti XIV ad Archiepiscopum Goanum. De domicilio et quasi-domicilio pro matrimonio contrahendo.

Paucis ab hinc hebdomadis Fraternitatis tuae literas accepimus, die 16 decembris 1754 datas, nescientes usque adhuc, quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod cum receptum fuerit in dioecesi tua tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia quae sine praesentia parochi sponsi vel sponsae et sine duobus testibus celebrantur. Cum vero dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli Missionarii Sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad fidem catholicam pertrahendos edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam difficultates praenoscens, quae matrimonium fortassis impedirent quotiescumque in tua dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum neque promulgatum fuit Concilium tridentinum, ibique matrimonium coram Missionario contrahit, ac subinde regrediens ad dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis in quibus Concilii Decretum receptum ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua Nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat..... *(Hic loquitur Pontifex de adiunctis personalibus valetudinis et experientiae).*

In integra Decretali Alex. III.... *(ait in gravibus controversiis consulendam esse apostolicam Sedem, quae pro more respondet).*

[1] Vide Collect. S. C. de Prop. Fide *n. 1414.*

Thomas Sanchez.... quaestionem hanc agitat in suo Opere *de matrimonio lib. 3. disp. 17. et seq.* ubi sub *n. 29* defendit validum matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit tridentinum Concilium, quamvis ille qui contrahit, domicilium habeat in loco ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates aufugeret in quas inciderat vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium ubi non sit receptum; vel etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius....

Ne vero.... *(affert DD. qui contrariam tuentur sententiam).*

Sedente f. r. Urbano VIII P. M., Archiep. Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congr. Concilii: Quaeritur humiliter a S. C. an incolae tam masculi quam feminae loci in quo Concilium tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere. - Secundo: Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes. - Tertio: Quid si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant –.

Hoc autem Congregatio dedit responsum: Die 5 septembris 1626 S. C. *ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude. - Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.*

Instituerunt... *(Dicit Urban. VIII confirmasse per Breve hanc resolutionem S. C. et prosequitur).* Huius vero defi-

nitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo ac secundo loco exposita, *irrita* ac *nulla* ab eadem Congregatione *decerni eo quia fraus intercessit*; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, *domicilium* seu *quasi-domicilium* adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi-domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cuius paroeciae fines tunc inhabitat cum matrimonio iungitur, iuxta communem sententiam a Nobis relatam sancitamque in superius memorata Institutione nostra ecclesiastica *la 33* latinae editionis.

Firmiter eiusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae huius discutiendae se se dedit occasio: etenim in quadam *Abulen.* proposita sub die 1 decembris 1640, *lib. 16 Decretor. p. 470-171*, ita respondit: *Sacra* etc. *censuit, non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi... (Refert alias resolutiones).* Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci,. postquam tamen legitimum ibidem *quasi-domicilium* adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit die 20 februarii 1723 in *Caesenaten.* seu *Forolivien. matrimonii,* quemadmodum videre est *t. 2.* supradicti *Thesauri Resol. p. 274 et seq.* ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien. matrimonii,* proposita sub die 9 iunii 1725, Congregatio principia eadem adamussim retinuit, quemadmodum le-

gere fas est *t. 3 Thesauri* eiusdem *p. 161,* quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota romana *in decisione 1298 t. 6* coram honorab. mem. Lancetta Rotae Decano et s. Poenitent. Regente.

Exposita Congregationis sententia... *(pergit edicere quid Urbanus VIII pro huius sententiae confirmatione peregerit, quidve Auctores ad pontificii huius diplomatis cognitionem; et prosequitur):* adeo ut ex sententia communiter hodie recepta atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi, coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum *domicilium* vel *quasi-domicilium* revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur *Salmanticenses* etc.

Mittimus interea Fraternitati tuae Urbani VIII Breve, quod apostolicae Auctoritatis robore confirmamus, iubentes etc. *(quaedam servanda praescribit).*

Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad *quasi-domicilium adipiscendum.* Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. *significavit, de parochiis,* ubi earumdem contextu perpenso, haec habet sub *n. 39. Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* – Natalis Alexander in *Theologia dogmatica et morali lib. 2. de sacram. matr. c. 2. a. 2. regul. 5.* animadvertit, ad acquirendum quasi-domicilium oportere ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem

cogniti iam sint atque perspecti. – Dubitari autem posset, num ad quasi–domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis Auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paullo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

Quod vero mox sequitur... *(loquitur de casu proposito de denuntiationibus, de aliis quaestionibus etc.)*...

Datum Romae apud s. Mariam maiorem 19 martii 1758, Pontificatus nostri anno decimo octavo. – *Sequitur Decretum quo excribit Breve Urbani VIII.*

V.

Instructio ad omnes archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia.

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem summus Pontifex de universi dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus pro apostolici ministerii sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima catholicae Ecclesiae de hisce coniugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa catholica Ecclesia de huiusmodi catholicos inter et acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum

ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores summorum Pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriae Benedictus XIV loquitur in suis encyclicis litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta coniugia extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit in posterum, unam, eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce coniugiis extra Ecclesiam et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum huius Rescripti formula ab hac sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catho-

lico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae Religionis omnino educanda, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, maiori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce coniugiis avertere, eosque accurate edocere catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem coniugia pertinentes, atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI [1], Pio VII [2], Pio VIII [3] et Gregorio XVI [4] de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures catholici orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, cui nihil potius,

nihil antiquius est, quam ut catholicae Ecclesiae doctrina ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur [5].

Datum Romae die 15 novembris 1858.

J. CARD. ANTONELLI

VI.

Litterae apostolicae Pii PP. VII in quibus praecipuae quaestiones, quae matrimonia attingunt haereticorum, sive inter se sive cum parte catholica inita, enodantur.

VENERABILI FRATRI

CAROLO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO

S. R. E. Principi Electori

PIUS PAPA VII.

Venerabilis Frater salutem etc.

Etsi Fraternitatis tuae litteras die 16 aprilis proxime elapsi ad Nos scriptas iampridem acceperimus, tamen iis hactenus respondere minime licuit, tum propter multas, easque gravissimas apostolatus nostri curas, quarum pondere in his praesertim temporum perturbationibus undique

[1] Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii: - Exequendo nunc - *die 13 iulii 1782.*

[2] Epist. ad Archiep. Monguntinum - Etsi Fraternitatis Tuae - *die 8 octobris 1803.*

[3] Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen.: - Litteris altero abhinc anno - *die 25 martii 1830.* Instructio ad eosdem Archiep. et Episc. *die 27 martii 1830.*

[4] Epist. ad Archiep. et Episcop. Bavariae: - Summo iugiter studio - *die 27 maii 1832.* Instructio ad eosdem *die 12 septembris 1834.*

Epist. ad Archiep., et Episcopos Hungariae: - Quas vestro - *die 30 aprilis 1841.* Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus *die 22 maii 1841.*

[5] Vide Collect. S. C. de Prop. Fide *n. 1430.*

premimur, tum etiam propter magnitudinem gravitatemque rerum, quas in iisdem contineri perspeximus. Quum enim exortas isthic quasdam non leves de matrimoniis referas quaestiones, ac de iis nostrum exquiras apostolicum iudicium, quo certam ac tutam regulam omnes unanimi sensu teneant atque sequantur, ut maturius in re tanti momenti deliberare possemus, adhibitis in consilium nonnullis vv. ff. nostris S. R. E. Cardinalibus, eorumque non minus, quam aliquorum theologica doctrina praestantium virorum exquisitis suffragiis, easdem coram Nobis examinandas curavimus. Ceterum religionem zelumque tuum in primis, tuamque in hanc s. Sedem observantiam effusis ac plane debitis prosequimur laudibus, quod ex veteri more, institutoque maiorum hanc Petri Cathedram consulendam esse censueris [1] non ignarus antiquis regulis sancitum fuisse, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum esse, nisi ad notitiam almae Sedis nostrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iusta quae fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae, velut de natali suo fonte, praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae manarent fidei sacramenta salutis.

Atque ut ad rem accedamus, illud primo Nobis in praedictis tuis litteris significasti, Electorem Palatinum, die 8 novembris anni proxime elapsi, Monachii pro tota sua ditione dedisse mandatum, quo protestantium matrimoniorum dissolutionem, acatholicorum conventuum sententia decretam, ubique tamquam validam habendam esse, nullumque impedimentum parti ita solutae, si catholico vel catholicae nubere velit, interponendum esse: tum vero a Marchione Badensi idem quoque mandatum, decreto diei 31 ianuarii currentis anni, adoptatum fuisse tam pro terris Palatinatus inferioris ad tractum Rheni, quam pro reliqua tota sua Ditione, ea tamen apposita conditione, parochum catholi-

[1] In Epist. Afrorum ad Theodorum Papam in Concil. Lateran. sub Martino I. *Act. 2. tom. 6.* Concil. Labb. *pag. 128.* inserta.

cum, ut secundis his nuptiis intersit, si suae religionis principiis id sibi vetitum iudicaverit, neutiquam esse cogendum, sed illas iniri cupientibus liberum esse sibi per acatholicum ministrum copulationem procurandi, atque ita coniunctos potestate civili, quin eorum conscientiae foro sese ullo modo immisceat, quantum ad civiles effectus fovendos tuendosque, esse perinde ac si coram catholico parocho copulati fuissent: tum denique in eadem Badensi Ditione ad istam Warmatiensem Dioecesim pertinente exinde iam iterato contigisse, ut attentata per sententiam haeretici consistorii matrimonialis vinculi solutione, partibusque in libertatem ad alia transeundi vota dimissis, harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum catholica parte inire contenderit, atque sacerdotalem benedictionem desuper expetierit. Porro, ut addebas, parochi anxio animo haerentes postulant, opportune instrui a te atque edoceri, quomodo in relatis similibusque casibus se gerere debeant. Quaerunt propterea primo: an tuta conscientia secundis illis nuptiis interesse possint? secundo: an si haec coram acatholico ministro contrahantur, partem catholicam ad poenitentiae sacramentum accedentem absolvere, ad sacram Eucharistiam admittere, prolemque inde nascituram, etiam quantum ad ecclesiasticos effectus, uti legitimam habere licite possint? De his autem, concludebas, ad nos scribere voluisse, ut controversiae omnes facilius et tutius iudicio nostro praeciderentur, tum in ista Dioecesi tua, tum in aliis quoque Dioecesibus atque Ditionibus, ad quas memoratas leges extendi contingeret, atque ut norma seu regula quaedam generalis praefigeretur, cuius ope Episcopi uniformi congruoque sensu de secundi matrimonii valore iudicium ferre, et parochi confessariique omnem hac super re conscientiarum perturbationem amovere, et privatam publicamque quietem tueri possint ac valeant.

Ut ergo super praedictis ex nostro apostolicae sollicitudinis ministerio tibi opportune et cumulate respondeamus, duo hic praemittenda esse ducimus, quae sane totius rei sunt veluti prima capita, quaeque, ubi praesertim agitur

de matrimoniis tum catholicorum cum haereticis, tum haereticorum inter se vel ineundis vel dissolvendis, semper prae oculis haberi debent. Atque horum primum est, catholicorum cum haereticis connubia, Ecclesiam catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus Conciliorum summorumque Pontificum decretis demonstrare, nisi abunde sufficerent ea, quae hac de re immortalis mem. Pontifex Benedictus XIV praedecessor noster scripsit tum in encyclicis litteris ad Poloniae regni Primatem, Archiepiscopos et Episcopos [1], tum in praeclaro suo opere de Synodo dioecesna [2]. Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea connubia tollerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas, quemadmodum haud ita pridem fel. rec. Pontifex Pius VI Episcopis Wratislaviensi, Rosnaviensi, et Scepusiano rescripserat. Alterum vero est, sententia laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculis attentatur dissolutio, nullum robur, vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse. Nam praeterquam quod ad ecclesiasticos iudices privative spectat de huiusmodi causis iudicium ferre, prout a tridentina Synodo speciali canone sancitum, neminem latet haereticorum consistoria in praefatis causis expendendis ac diiudicandis, eas ut plurimum causas pro vinculi coniugalis solutione praetexere, quae ab Ecclesia catholica numquam receptae, imo a sacrosanctis Ecclesiae Conciliis, atque a Tridentino praesertim [3] expresse improbatae sunt. Ex quo sane consequitur, sententias huiusmodi tum semper tamquam irritas ob iurisdictionis defectum in iudicibus, tum saepe etiam tamquam iniustas ob

[1] *Tom. II.* Bullar. *Const. 51.*
[2] *Lib. VI. Cap. 5.* § *3.* et *lib. IX. Cap. 3.*
[3] *Sess. 24. Can. 5.* et *7.*

damnata momenta rationum, quibus innituntur, contemni ac reiici omnino debere.

Verum cum contingere quandoque possit, ut ipsi coniuges a consistorio acatholico coniugii vinculo soluti sentiant, nullam vim inesse apud Ecclesiam catholicam istiusmodi iudicio, atque idcirco percupiant eius auctoritate matrimonium solvere, operae pretium est, significare tibi quomodo iudex ecclesiasticus se gerere debeat. In hoc igitur instituendo iudicio curabit primum iudex ecclesiasticus, ut in conficiendis actis methodus illa ordoque servetur, qui a praelaudato Benedicto XIV Constitutione quae incipit « *Dei miseratione* » [1] perspicue sapienterque praescribitur. Quod si non ferat id rerum temporumque conditio, facultatem tibi, ac per te Episcopis suffraganeis tuis communicandam hoc in casu ad quinquennium concedimus et impertimur a praefata methodo recedendi sub his tamen duabus conditionibus. Prima: ut numquam in tractatione similium causarum deficiat matrimonii defensor, qui ex officio matrimonii, de quo est quaestio, iura et robur seu validitatem secundum canonum praecepta, tueatur. Altera: ut si acta iudiciali methodo, propter horum temporum calamitates, confici nequeant, extraiudicialibus saltem, atque omni alio, quo fieri poterit, modo suppleatur, ita ut numquam desint clarae concludentesque probationes ad illustrandam confirmandamque rei veritatem omnino necessariae. Curandum etiam omnino est et summopere cavendum, ne in proferendo iudicio de nullitate aut validitate alicuius matrimonii, iis iudex utatur inanibus rationum momentis, ex quibus passim acatholici pronuntiant matrimoniale vinculum posse dissolvi. Haud unquam id tolerari potest, sed probandae sunt causae, quae concordi ss. Patrum sententia, Conciliorum, ac Tridentini [2] praesertim sanctionibus aptae iudicatae sunt ad nexus matrimonialis dissolutionem, quaeque sunt vel impedimentum dirimens, quod matrimonio praecesserit, nec dispensatione legitima fuerit relaxatum, vel

[1] Bullar. *Tom. 1. Const. XXXIII.*
[2] *Sess. XXIV.*

conditiones, quae inter dirimentia impedimenta recenseri adhuc possunt, quaeque in pactum a coniugibus deductae, quae ipsius matrimonii substantiae opponuntur, quemadmodum eas in Calvinistarum praesertim matrimoniis interponi solere, plurimi affirmant, qua de re egregie disserit Benedictus XIV in laudato opere de Synodo [1]. Neque satis praeterea esset unius dumtaxat iudicis sententia totum hoc negotium absolvere. Ex memorata enim eiusdem Benedicti XIV constitutione decretum est, post primam sententiam matrimonii nullitatem decernentem ab ipsius matrimonii defensore interponendam esse appellationem, quae si deseratur ob malitiam vel oscitantiam vel collusionem defensoris, is qui ex coniugibus, non absoluto prius per duas sententias iudicio, nuptias celebrare ausus fuerit, iis poenis plectatur, quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statutae sunt, ac praesertim a cohabitatione alterius coniugis separetur, quoad usque altera sententia praecedentis confirmatoria super nullitate matrimonii emanaverit. Quae hactenus disseruimus, eo praesertim spectant, ut cum de matrimonii nexu dissolvendo agitur, posthabita neglectaque acatholici consistorii sententia, qualiscumque ea fuerit, novum atque integrum a iudicibus ecclesiasticis rite iudicium instruatur ac conficiatur.

Praestat nunc alia perpendere quaestionum capita, quae tuis litteris Nobis proposuisti. Quaerebas quid agendum sit a parochis catholicis, cum aliquis ex coniugibus per sententiam consistorii acatholici solutus a priori matrimonio, ac suae libertati restitutus, si velit cum catholico aut catholica nubere, possit ne parochus his nuptiis assistere et benedictionem nuptialem impertiri, quod bis tentatum fuisse in tua dioecesi narrabas? At iu ipse ea, qua praestas sapientia, vides, venerabilis Frater, gravissimum commissuros scelus, suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos, qui has nuptias sua praesentia probarent, suaque benedictione firmarent: neque enim illae nu-

[1] *Lib. XIII. Cap. 22.*

ptiae dicendae sunt, sed potius adulterina connubia. Perstat enim, immotumque manet impedimentum ligaminis ex vinculo prioris matrimonii, quod per sententiam acatholici consistorii relaxari ac dissolvi non potuit; quo durante ac persistente impedimento, si vir feminae coniungatur, adulterium est. Qua propter suavibus verbis ac blando et efficaci sermone potius a parocho adhortandus est coniux ille, ne tantum facinus committat, ac ne contra Dei legem peccet, quam idem ab ipso mundi primordio tulit, inquiens: « Quod Deus coniunxit, homo non separet ». Quod si propositi tenax morigerum se parochi monitis praebere renuat, et turpi adulterio cum coniuge acatholico copuletur, sitque aleae ac periculi plenum ipsique religioni fortasse noxium ulterius obsistere, et contra niti; silere quidem, et tolerare tam immane facinus parochus poterit, numquam vero vel copulationi interesse, multoque minus benedictionem impertiri. Iubeat, increpet, minetur laica potestas « obedire magis Deo oportet, quam hominibus ». Sacerdos Dei (verbis utimur divi Cypriani) evangelium tenens, et Christi praecepta custodiens, occidi potest, vinci non potest [1]. Hanc in parochis tuis constantiam, te auctore atque vindice, minime esse defuturam Nobis in Domino pollicemur. Verumtamen oportet, quemadmodum vehementer abs te, venerabilis Frater, petimus, atque enixe efflagitamus, ut eos erigas, doceas, atque horteris, ne ut decet ministros Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei, sancta canibus proiiciant, atque propterea numquam scelestis hisce nuptiis sese immisceant, imo etiam si catholicum coniugem suae professionis oblitum apud ministrum acatholicum palam et publice se copulare faciat, quoniam peccatum istud publicum ac notorium cum maxima bonorum offensione evasurum esset, illum, posthabita omni temporalis iacturae formidine, a sacramentorum participatione reiicere, prolemque ex adulterio suscipiendam, quoad ecclesiasticos effectus, tamquam adulterinam habere et recognoscere tenentur. Neque vero Nos eo tanta, quae efferuntur, pericula

[1] *Ep. 55.* ad Cornel.

terrent, neque ab iis Principibus, qui in istis regionibus tuo spirituali regimini concreditis imperant, quidquam formidamus, quod parochus, Christique sacerdotes in eas adigant angustias, ut vel suo muneri desint, vel Principis indignationem incurrant. In ditione Badensi eo edicto, cuius ab initio meminimus, vis nulla infertur parochorum conscientiae, si novis nuptiis illorum coniugum, qui a consistoriis acatholicis prioris matrimonii vinculo sunt liberati, interesse nolint. In Bavarica aut Palatina, quamvis asperius quidquam sit hac de re mandatum, haud tamen parochis catholicis praeceptum est, ut novis nuptiis intersint, easque sua benedictione confirment. Speramus autem serenissimum Bavariae ducem catholicum et egregiae indolis principem suomet ingenio, et tuis etiam precibus hortationibusque adductum iri, ut saniora hac de re consilia suscipiat.

Veremur potius, parochorum constantiam labefactari posse ab ea opinandi libertate, quae passim nunc serpit, ac plurimorum mentes corrumpit, atque a servandis sanctissimis Ecclesiae legibus, et praesertim huius apostolicae Sedis Constitutionibus abripit ac divertit. In hac ipsa, de qua agimus, causa tres inquis esse theologorum ac iuris canonici peritorum sententias, diverso tamen iure subnixas, quae conciliandis his novis nuptiis cum parochorum catholicorum praesentia favent ac suffragantur. Alii sentiunt haereticorum matrimonia sacramenta non esse, sed civiles tantum contractus, atque adeo perpetui ac indissolubilis vinculi lege non teneri. Alii haereticos autumant Ecclesiae haud esse subiectos, neque suis legibus obnoxios, quin possint ad alia vota transire, si publica consistorii auctoritate a prioris matrimonii vinculo liberentur. Alii demum tuentur haereticorum matrimonia coram ministro haeretico inita, insito quodam nullitatis vitio infici, ac proinde si iterum nubant coram parocho catholico, aut inter se aut cum catholico coniuge, hoc secundum matrimonium uti validum esse agnoscendum. Operae pretium ducimus delibare aliqua ad has opiniones refutandas ac eliminandas, nam omnia persequi neque nostri instituti est, neque tuam

doctrinam ac iuris canonici peritiam fugere potest, quanta sit illorum opinionum vel perversitas vel fallacia.

Quod enim eos attinet primo loco memoratos, praetermissa quaestione illa (de qua nihil modo statuere volumus) an haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta sacramenta sint, nec ne, illud certe quod ad rem pertinet exploratum est, coniugale foedus a prima sua institutione, antequam ad sacramenti dignitatem elevaretur, divino iure indissolubile prorsus, perpetuumque extitisse, quemadmodum egregie observasse Patres tridentini in doctrina de sacramento matrimonii ipsemet Benedictus XIV luculenter ostendit [1]. Et licet talis indissolubilitas matrimonii vinculo conveniat maxime quatenus est sacramentum, tamen eidem etiam quatenus est naturae officium convenit, ut dissolvi non possit .... et prolis educandae studio et aliis matrimonii bonis repugnat, ut eius vinculum sit dissolubile, quemadmodum cathechismus eiusdem Concilii tridentini iussu editus disertis verbis Nos edocet [2].

Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui putant haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant scripturae, concilia, traditio denique universa. Omnium instar sit sacrosancta, tridentina Synodus, quae sess. XIV. Cap. 2., non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae iudicio, proindeque legibus non subiici adfirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Si baptizati, ergo Ecclesiae filii (quamquam rebelles et transfugae) qui eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur. Quare suam in illos potestatem exercere numquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum historiarum monumentis testatum est, ac idemet Concilium tridentinum non modo novissimos de matrimonio, eiusque

[1] *Lib. XIII. Cap. 22.*

[2] *Part. II.* De Sacram. matrim. *Cap. VIII.* § *2.*

indissolubilitate haereticorum errores, sed ipsos quoque errorum auctores diro anathemate perculit [1]. Verum neque hic locus est vindicandi Ecclesiae ius, quo haereticos suis legibus comprehendit: neque enim de ecclesiastica lege, sed de divina agimus, quam Deus ipse tulit de matrimonii indissolubili vinculo, cui nemo refragari potest, sit ille haereticus sive etiam paganus.

Tertia demum illorum opinio docentium, matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho contrahantur, neque undique vera est, nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit fraternitas tua huius generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis, in quibus Concilii tridentini decretum [2], vel numquam publicatum fuit, vel numquam observatum, tamquam eiusdem Concilii decretum, vel si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc factum est, ut praedicta opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures, et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Benedicto XIV anno 1741 pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem.

Cave igitur, venerabilis Frater, tuoque exemplo, tuisque monitis edoce Episcopos suffraganeos tuos, ne in praedictis matrimonialibus causis expendendis ac diiudicandis, pravis hisce doctrinis, fallacibusque rationibus decipiantur, sed Concilii tridentini canones et decreta adamussim observent et sequantur. In hoc enim iudiciorum genere instituendo, si quandoque coniuges ab acatholico consistorio matrimonii vinculo soluti, haud confidentes tam levi atque infirmae auctoritati ad Ecclesiae forum confugiunt, suum-

[1] *Sess. XXIV. De Ref. matrim. c. 1.*
[2] *Sess. XXIV. De Ref. matrim. c. 1.*

que matrimonium irritum declarari petunt, iterum dicimus atque mandamus: iudicem sequi debere formam conficiendi processum ea methodo, quam supra praescripsimus, matrimonium vero irritum minime renuntiari posse declaramus, nisi ex iis causis, quas superius recensuimus, quasque utpote cum Ecclesiae doctrina et unanimi patrum et doctorum catholicorum sententia conseantaneas Sedes apostolica approbavit. Ad plenam propositae abs te quaestionis explanationem, restat nunc declarandum, an ii coniuges catholicae religionis cultores, qui sola acatholici consistorii auctoritate, excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris poenitentes veniam humiliter petant, possint ad sacramentorum participationem admitti. Sed nulla hac in re potest esse dubitatio, siquidem veros poenitentiae fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo coniuge separentur, si prior vivat adhuc. Sin vero decesserit, et uterque coniux sit catholicus, Episcopus statuet quid facto opus fuerit, ut rite sancteque matrimonium contrahi possit. Sed si acatholicus alter ex coniugibus fuerit, qui cum catholico velit nuptias inire, vel in eo casu, quo vinculum prioris sui matrimonii per duplicem sententiam iudicis ecclesiastici rite ac legitime dissolutum fuerit, vel in altero quod per mortem alterius coniugis primum matrimonium suapte natura disruptum ac discissum fuerit, tunc caute et maxima adhibita diligentia se gerant Episcopi. Huiusmodi enim matrimonia inter unam partem haereticam, et alteram catholicam, cum Ecclesia semper detestata fuerit, et severissimis legibus interdixerit, eo vel maxime quod plerumque subest grave periculum pervertendi et àbstrahendi a fide catholica coniugem, et anceps ac dubia sit educatio prolis utriusque sexus in religione catholica, christiana charitate et suavitate quantum fieri poterit, avertant Episcopi ac reiiciant talia coniugia. Quod si periculum perversionis coniugis removeatur, et prolis educatio in tuto sit, iis adhibitis conditionibus, quas Benedictus XIV in supramemoratis litteris ad Primatem et Poloniae Episcopos diligenter servare prae-

scripsit, tuque, ven. Frater, aut Episcopi tui suffraganei a Nobis petierint aliquo in casu, et ex urgentissima causa dispensari, non recusabimus vestris precibus assentiri, si id religionis bonum et animaram salus postulare videatur.

Haec ad te plenius scribenda putavimus, venerabilis Frater, non solum ut postulatis tuis faceremus satis, sed etiam ut in iis quaestionibus, quas circa matrimonia proposuisti, certam haberes ab hac apostolica Sede regulam, quam si tenebis, facile ac tuto eas solvere ac dirimere poteris. Ac tibi, venerabilis Frater, ovibusque tuis apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum in Arce Gandulphi albanen. dioecesis sub annulo piscatoris die 8 octobris 1803, Pontificatus nostri anno quarto.

Descriptum et recognitum ex autographo Regesto Literarum apostolicarum ad Principes viros et alios fel. rec. Pii PP. VII quod adservatur in Tabulariis secretioribus Vaticanis, an. IV., pag. 101. In quorum fidem hic me subscripsi et solitis signis signavi.

Dabam a Tabulariis praefatis VI idus maias, anno Domini MDCCCXL VII. Indict. VIII. Pontificatus vero SSmi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Pii divina providentia Papae IX Anno I.

MARINUS MARINI
Tabulariorum S. R. E. Praefectus.

VII.

Instructio [1] super dispensationibus matrimonialibus.

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimen-

[1] Hanc Instructionem S. C. de Propag. F. habes in *Collectanea* eiusdem *S. C. de Propaganda Fide n. 1482.*

tum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad s. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas, iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa iuvant, *arg. l. 5. C. de probat.* Huiusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas feminae superadulta,* si scilicet 24 aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae,* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se

suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit,. atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, nec non cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata tridentini forma, contractum est; quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim feminae, *c. 7. de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. trident. *sess. XXIV. cap. V. de reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec s. Congregatio in Instructione die 17 apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore ituros, s. Congregatio s. Officii in fer. IV. 14 aug. 1822 decrevit: « respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire iudicaverit ». Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata Instructione an. 1820 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi ac sacrorum canonum interpretes [1].

Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum,. utrumque distincte ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta vel transversa; item an Oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris quam ex parte matris.

[1] Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus – *Praxis dispensationum apostolicarum – lib. VII.* et *VIII.* ac Vincentius De Iustis – *De dispensationibus matrimonialibus – lib. III.*

5. *Numerus impedimentorum*, e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit s. Congregatio s. Officii fer. IV. 1 augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso s. Poenitentiariae die 20 martii 1842, probante s. m. Greg. XVI ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem tribunal literis diei 10 decembris 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad s. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 maii 1877.

VIII.

Supremae Sacrae Congregationis
Instructio ad probandum obitum alicuius coniugis.

Matrimonii vinculo duos tantummodo « Christo ita docente, copulari et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est ».

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet cum de re agatur, quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, ut cap. *Dominus, de secundis nuptiis,* vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium,* uti cap. *in praesentia, de sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione « *Cum alias* » 21 *augusti* 1670 a Clemente X sancita, et in Bullario romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur *nn. 12* et *13.*

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*) sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera

iustaque probatione dignoscenda ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est, remotissimas quasque regiones adeundi in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa s. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit,* idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroe-

ciae vel Xenodochii vel militiae vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam caelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes vel quia obierint vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniun-

guntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit: utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae *etc. etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an

societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum, quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et iuris prudentum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in hiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis [1].

[1] Vide Collectaneam S. C. de Prop. Fide *n. 1372.*

IX.

Formula interpellationis a coniuge converso faciendae alteri coniugi persistenti in sua perfidia [1].

Commissione et mandato illustrissimi ac Reverendissimi DD. N. N. Episcopi etc. Tenore praesentium et ad instantiam Mariae N. neophitae, ante baptismum vocatae Rachelis, requiritur, interpellatur ac monetur Isaac Alpronus iudaeus, maritus ante baptismum eiusdem Rachelis et nunc Mariae, ut in termino dierum triginta ab intimatione praesenti immediate decurren. ac numeran., quorum decem pro primo, alios decem pro secundo et reliquos decem dies pro tertio et ultimo termino assignamus, debeat in actis huius Curiae se exprimere ac declarare, an velit se convertere ad sanctam fidem christianam, sectam iudaicam deserere, ac sacrum baptisma corde sincero suscipere, prout ipsa Maria, olim uxor sua fecit, et prout enixe eum facere rogat, pro salute animae suae monet, interpellat et requirit. Alias dictis triginta diebus transactis, et ad fidem christianam non se convertente, et se conversurum non declarante, ipsa Maria ad secundas nuptias cum alio fideli transibit, vel Religionem ingredietur, prout magis in Domino pro propria aeterna salute putaverit expedire: et citetur praedictus Isaac Alpronus iudaeus, ac citatus intelligatur, eodem termino triginta dierum transacto, coram D. S. illustrissima ac reverendissima ad audiendum ita sententiari, et quodcumque decretum necessarium et opportunum super praemissis pronunciari; salvo iure eidem Mariae, olim Racheli, petendi et consequendi dotem suam, ac alia quaecumque bona sibi de iure debita. In quorum fidem etc. — Datum ex Cancellaria episcopali N. die... anno...

[1] Ex Clericato *decis. 11. de matrim. n. 24.* — Vide supra dicta *part. 1. cap. 4. art. 3. de impedimento ligaminis.* — Haec autem formula, ut ibidem fuit adnotatum *(n. 25. pagg. 120-122)*, adhiberi tantum poterit in casu quo non permittatur coniugi ad fidem converso cohabitatio cum altero coniuge in infidelitate obstinato, ut inter nationes christianas praxim invaluisse vidimus.

X.

Instructio S. C. S. Officii 20 Iunii 1883 ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Orientales de causis matrimonialibus pertractandis.

Quemadmodum matrimonii foedus tamquam officium naturae proli educandae, aliisque maximi momenti bonis consequendis perpetuam et individuam vitae consuetudinem inter coniuges exigit, et eo sanctius tamquam Ecclesiae Sacramentum indissolubile sit oportet, aiente Domino: *quod Deus coniunxit, homo non separet;* ita non minus quando cum aliquo ex impedimentis, quae dirimentia nuncupantur, initum atque idcirco verum matrimonium non fuerit, a legitima Ecclesia potestate, ad quam causae matrimoniales unice spectant, irritum ac nullum ut iudicetur seu declaretur, ipsa Sacramenti dignitas, ratio iustitiae, et animarum salus postulat.

Verum quanto studio quantaque solertia opus sit, ut in singulis casibus alicuius impedimenti dirimentis existentia solide comprobetur, experientia quotidiana testatur. Nam et nonnulla impedimenta sunt ipsa per sese probatu difficillima, et saepe contigit, ut facta ex quibus probationes erui debent, ita sint implexa, iisque circumstantiis involuta, ut difficillime eadem explicari, et de iisdem iudicium proferri queat. Hinc est, quod Sancta Sedes pro ea sollicitudine, qua tanti Sacramenti dignitati, administrationi iustitiae, et animarum saluti cautum semper voluit, numquam omisit, editis opportune sive Constitutionibus Apostolicis sive Instructionibus, regulas praescribere, quarum ope in casibus etiam difficilioribus veritas tuto detegi et iudicium recte ferri posset.

Experientia tamen compertum est, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos diversorum rituum orientalium ob speciales conditiones, in quibus eorum dioeceses versantur, non semper posse iisdem Apostolicis Constitutionibus atque Instructionibus quoad omnia sese conformare, nec proinde semper consequi plenam illam processuum et iu-

diciorum legalitatem, quae tantopere desideranda esset in huiusmodi causis definiendis.

Quare ut, quantum fieri potest, ss. canonum praescriptiones in re tanti momenti religiose serventur et simul consulatur specialibus conditionibus, in quibus versantur tribunalia ecclesiastica penes orientales, Summus Pontifex specialem Instructionem pro praedictis tribunalibus iussit exarari, quae ab iis omnibus, ad quos spectat, accuratae executioni mandetur.

PARS I.

TITULUS PRIMUS.

De accusatione matrimonii.

1. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit; quae numquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

2. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto; si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

3. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

TITULUS SECUNDUS.

De tribunali constituendo.

4. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens quidquid ad causam pertinet, in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

5. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum, quatenus haberi possit, iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

6. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

7. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare, ut in iudicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui ius habent, petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

8. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit tactis Sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

9. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

TITULUS TERTIUS.

De methodo sequenda in actis conficiendis.

10. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis Sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

11. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

12. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi, aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illitteratus, faciet hoc signum Cru ✠ cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

13. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quorum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis

interrogationibus de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum, e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et caeteris servatis, quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

14. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

15. Inter examinandos primo loco venit ille, qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et iudicia exponat, quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes, quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

16. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit

diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

17. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant, utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

18. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur, quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

19. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erant communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

20. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto, ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

21. Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat.

TITULUS QUARTUS.

De sententiae prolatione et publicatione.

22. Omnibus ut supra peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

23. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen, ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

24. Inspecta speciali conditione dioecesum orientalium, ordo appellationis erit, prout sequitur. Si prima sententia a curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam patriarchalem; si vero a curia patriarchali ea prodierit, appellabitur ad S. Sedem. Item ad eamdem S. Sedem appel-

latio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit causam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

TITULUS QUINTUS.

De secunda instantia.

25. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro Processu, caeterisque omnibus ad causam iterum iudicandam pertinentibus ad tribunal, ad quod appellatum est.

26. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget, quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novas informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit proprias animadversiones illis opponere valeat.

27. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil am-

plius habere dixerit, auditis prius modo, quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando, quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

28. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugi pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remânente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscunque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

PARS ALTERA.

TITULUS SEXTUS.

De regulis servandis in tractandis causis matrimonialibus in specie.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus causis matrimonialibus generatim servandas, ut iuridica illis stet validitas; quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indo-

lem, quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimentis cognationis carnalis vel spiritualis, et affinitatis.

29. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum, qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum, et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati, vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit, ut eiusdem parochi obsignatio a curia episcopali authentica declaretur.

30. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt, et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur, nota sit, aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes, quibus innititur. Caeterum iudex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et

numquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit, ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur, et accurate custodiantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De impedimento publicae honestatis.

31. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum: vel regesta existentia penes ministros haereticos sive schismaticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis aut schismaticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum, qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci, quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt.

32. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint; et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones mi-

nime patiantur, ex documentis si habeantur, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex iudiciis quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis, quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam numquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrinque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit: et si ab una tantum, utrum alia eum acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit, ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

33. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum,

sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit, in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit, utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

34. Si vero, ut aliquando contingit, sponsalia fuerint a parentibus contracta, iudex agnoscere curabit, cuiusnam aetatis fuerint ipsi filii, quando eorum parentes eadem inierunt; quia si in aetate adhuc infantili fuissent, certum est contractum irritum fuisse; si vero vel impuberes vel puberes, contractus tunc solummodo validus esset, si filii expresse vel saltem tacite consenserint, aut postea sponsalia eorum nomine a parentibus inita ratificarint. Igitur inquirendum erit de modo, quo sponsalia fuerint contracta; de agendi ratione filiorum sive cum ea celebrarentur, sive cum cognoverunt, quid pro ipsis parentes egerint, utrum nempe aliquo modo factum admiserint, vel contra ipsum protestati fuerint, vel saltem ostenderint sese aegre ferre pactum praedictum. Ad hunc finem examinandi erunt, qui contractui adfuerunt, vel qui et contractum et sponsorum voluntatem perspectam habere potuerunt, ipsa quoque sponsorum agendi ratio tam inter se, quam erga parentes exploranda erit: utrum tamquam sponsos sese habuerint, utrum de futuro matrimonio colloquuti, et quo amore sese mutuo prosequuti fuerint. Si constiterit, ambos aut alterum saltem matrimonio obstitisse et constanter parentum voluntati restitisse, contra sponsalium existentiam iudicium poterit proferri. Si contra constiterit, vel parentibus non restitisse, vel media opportuna, in propria potestate posita, non adhibuisse ut matrimonium impedirent, et ut parentes a proposito removerent, ordinarie pro sponsalium et impedimenti existentia iudicandum erit. Dicitur *ordinarie,* quia si pars, quae sponsalia impugnat, affirmaverit sibi defuisse libertatem parentibus contradicendi, eosdemque a proposito retrahendi, ratio istius assertae coactionis erit habenda.

ARTICULUS TERTIUS.

De impedimento vis et metus.

35. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit, ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo persistiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerundum erit, quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit, utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum exquirendum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae profisciscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

36. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona, quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba gravi indignatione plena adhibita, intentata haereditatis privatio, eiectio e paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate

pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur, perficerent, et animo ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta obiici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae, quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri: deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur, ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio ineundo consilia praebere posse iudicaverint.

37. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo, cum quo postea contraxit; et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum, tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit, ut a coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit; utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos; utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit; utrum

et quomodo altera pars operam dederit, ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum quando contractus matrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit; utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit, sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur: utrum nempe his omnibus hilaris, prompte, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio erga alteram partem, et erga eiusdem familiam: utrum nempe benevola et affectuosa; utrum libenter, et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de causa quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum, considerari debet, utrum hac de causa inter coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus; a quo tempore post matrimonium istae quaerimoniae inceperint, et ex qua causa vel ratione; utrum ad tales lites et dissensionss tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

38. Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges, eorumque parentes, illi praesertim, qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine ob quem ad vim adhibendam ducti fuerunt. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus, quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum, quae in actis habentur, viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec locum habuerit. In hisce examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae causa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochornm testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio ad-

stitit; illi, qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo, quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt, vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

39. Caeterum in hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Idem curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

ARTICULUS QUARTUS.

De impedimento ligaminis.

40. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo, a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis iuxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu, inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus orientalibus catholici commixti vivere cogantur cum haereticis, schismaticis, et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

41. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit ru-

mor aut fama quaecumque, neque solas praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante, vel post prioris coniugis mortem, atque ita iudicetur, utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

42. Quando ad mortem prioris coniugis probandum praesto non sunt, neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est; quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint; aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint, quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit; qua de causa ; ubi cadaver sepultum; utrum adsint, et ubi commorentur alii, qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero, qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias; a quo tempore fama de morte vulgari coeperit; et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum, qui primitus de re ista sunt loquuti; utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint, ut talem

notitiam evulgarent. His cognitis in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos, qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur: et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes, qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in hoc fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis, quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo, quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt: aetas personae, quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit; tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius; locus, vel loca, ad quae se contulerit, utrum valetudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerint, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint; eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda causa, quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis, aut contrariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui discessit, continuavit cum altero coniuge sive per litteras sive per nuncios, si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetudinem adfuisse, et postea cessasse, quin cessationis causa aut ratio appareat, gravis de morte obita praesumptio habebitur; si e

contra constiterit eum, qui discessit, numquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut cum propinquis et amicis, iudicium mere negativum nullam probationem facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam elegerit, vel arti nauticae aut servitio alicuius navis sese addixerit, et cognoscatur, in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones erunt faciendae penes duces exercitus illius, et penes gubernatores vel officiales navis. Si cognita fuerint loca, in quibus commoratus est, in singulis locis, et praesertim in illo, in quo commorabatur, quando eius indicia perdita fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas personas, si praesto sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciat, atque etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cognominis, patriae, professionis, et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si fieri possit, tribunal curabit, ut in locis, in quibus idem commoratus fuerit, publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habent, velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino poterit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit: non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit.

43. At si non ex isto capite, sed potius quia primum matrimonium in haeresi aut schismate contractum, rescissum fuerit ob aliam causam, specialia quaedam erunt observanda. Et primo advertendum est, Evangelicam et Apostolicam doctrinam esse, matrimonium valide celebratum solvi non posse propter adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab

haereticis vel schismaticis conflictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum aut schismaticorum ob aliquam ex istis rationibus praecedens matrimonium dissolutum fuisse, causa in favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titulum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico aut schismatico confecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico iudici minime licere. Quare tunc causa ex integro erit instituenda, et iuxta ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet, ut acta tribunalis haeretici vel schismatici requirantur, quo plenior factorum et circumstantiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint exhibita, dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis iudicia colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quatenus fieri poterit, etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depositio, si adesse cognoscantur; sicut neque alia acta, quae vel moderator vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tribunali haeretico aut schismatico prolatae, numquam tamen istam sententiam, tamquam sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existimandum erit, duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit appellare.

44. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dicantur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali infidelium, eadem erunt servanda, quae dicta sunt de matrimoniis resolutis per sententiam tribunalis haeretici aut schismatici, nempe causam admittendam non esse, si rescissio proclamata fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito, vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit. Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum utrum pars, quae coram tribunali catholico agere

intendit, secundum matrimonium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel eius dispensatio intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum, vel etiam regesta curiae in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matrimonium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit quod, antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata fuerint omnia, quae ss. canones pro his casibus statuunt; sed si institutis opportunis investigationibus adhuc dubium subsit, ad S. Sedem erit recurrendum.

ARTICULUS QUINTUS.

De impedimento impotentiae.

45. Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentiae matrimonium contractum irritet, necesse est, ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa, ad quam impoten-

tia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad astruendam vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam.

46. Hunc in finem in primis audiendi erunt coniuges ipsi, prius ille, qui in causa actor fuerit. Isti erunt opportune interrogandi, a quo tempore sese cognoverint; an parentum consensu, sponte, et mutua voluntate matrimonium inierint, an eodem cubiculo et thoro usi fuerint, officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint; an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat, vel suspicetur causas, propter quas consummare nequiverit, licet iteratis vicibus id conatus fuerit: an id contigerit ob causam vel defectum physicum ex parte mulieris an vero ex parte viri; an, quae, et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, vel alia remedia, et quinam fuerint eorum effectus; quanto tempore simul convixerint, et condormierint; quis primus alterum coniugem deseruerit; quaenam aliae causae accesserint ad separationem producendam, an et quibus parentibus, amicis, vel propinquis manifestaverint matrimonium consummatum non fuisse, eosque singillatim nominent. Quatenus ambo coniuges in responsionibus conveniant, attente consideretur, utrum suspicio adsit alicuius collusionis, et tunc omnia et singula iisdem obiiciantur, ut fraus, si adsit, detegatur.

47. Partibus ipsis auditis, examini subiiciantur testes inducti ab iisdem coniugibus, ac primo eorum parentes, quia melius informati praesumuntur, postea vero propinqui, famuli, amici, vicini, et quotquot de re instructi reputantur. Si quis ex testibus mortuus fuerit, fides mortis requiratur inter acta recensenda; si vero alio abierit, curetur ut per Ordinarium loci, ubi commoratur, examinetur. Interrogandi autem erunt testes praesertim: an cognoscant coniuges, de quibus est sermo; an sciant, utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint, matrimonium consummaverint; quibus de causis consummare nequiverint; an ad causas illas amovendas aliquid, et quid experti fuerint; utrum, et cuius generis conquestus inter eos exorti,

et quaenam eorum causa; unde sciverint quae deponunt; et si ab extraneis ea compererint, quomodo vocentur, et ubinam commorentur. Interrogandi quoque de fama tam apud ipsos quam apud alios circa assertam non consummationem, et impotentiam..

Si partes ipsae aut testes deposuerint, pharmaca vel remedia adhibita fuisse, inquiratur de medico vel medicis, qui illa praescripserint, in iudicium vocentur, et interrogentur de natura et qualitate morbi, quo coniuges laborare compererint, de symptomatibus, ex quibus ipsi naturam morbi deduxerint; de physica constitutione illius, cui assistentiam praebuerunt; de natura medicamentorum adhibitorum, nec non de effectu ab iisdem producto. Similiter interrogentur, utrum qui curae medicae subiectus fuit, vel aliquis alius ipsi manifestaverit, matrimonium aut non consummatum fuisse, aut non potuisse consummari; quid ipsi sentiant de tali asserta non consummatione, quid alii.

Singulorum testium expleto examine, duo saltem ex celebrioribus medicinae et chirurgiae peritis seligantur, qui corpus viri inspiciant, si de ipsius impotentia agitur, et iuxta probata suae artis praecepta examinent, utrum ad coeundum potens sit. Antequam opus sibi commissum implere incipiant, iuramentum praestent de munere adimplendo cum omni diligentia et de iudicio proferendo absque ullo partium studio. Quidquid ex facta inspectione detexerint, scripto narrabunt, et ingenue dicent, quid ipsi sentiant de illius viri impotentia: utrum eam putent acquisitam, an ingenitam; absolutam, an relativam. Haec scripta ab ipsis iuramento firmata cancellario tradentur, ut inter acta recenseantur.

48. Similiter duae eligantur obstetrices in arte et praxi peritiores ac bonae famae, quibus post emissum iuramentum de munere fideliter adimplendo committatur inspectio corporis mulieris. Istae obstetrices a duobus saltem peritis, uno medico, altero chirurgo, erunt instruendae de recognoscendo statu physico mulieris, prout medicinae legalis praecepta ferunt. Deinde unaquaeque earum seorsum, quae repererit sub iuramenti fide in scriptis aut saltem ore-

tenus apud tribunal exponet, et quid ipsa sentiat de talis mulieris integritate, et de eius aptitudine ad actus coniugales, si haec impugnata sit, declaret aperte. Hae relationes medicorum iudicio subiiciantur, qui sua vice referant, utrum inspectio regulariter sit facta; utrum ex ipsa habeantur sufficientia elementa ad iudicium proferendum de conditione talis mulieris; et utrum ex illis deduci possit pro diversa dubiorum ratione eiusdem vel integritas vel etiam impotentia.

Quod si in aliquibus locis obstetrices peritae non habeantur, et inspectio corporis mulieris omnino necessaria iudicetur, haec medicis peritis et honestate atque aetate gravibus committatur, sicut iisdem esset committenda, si observationes ab obstetricibus factae concludentes non reperirentur. In his autem casibus matrona honesta iureiurando ad secretum obligata ipsi inspectioni semper assistat.

Facile porro patet, quam sancte in omnibus huiusmodi inspectionibus cavendum sit, ne quidquam agatur, quod divinae legi et castitatis virtuti adversetur.

Quod si ob singulares locorum circumstantias impossibile ant valde difficile aliquando fuerit, ut duo medici periti, et duae obstetrices item peritae reperiantur, tolerari poterit, ut unus tantum medicus et una obstetrix adhibeatur. Curandum tamen in hoc casu, ut relationes utriusque examinandae subiiciantur duobus aliis medica et chirurgica scientia doctis ibidem vel alibi commorantibus, ut fide iurata iudicium suum super eas proferant, num scilicet iisdem sit fidendum, et num ipsae exhibeant motiva, quae sententiae ferendae solido fundamento sint.

Haec mulieris inspectio omittenda erit, si ea vidua sit, aut constiterit, post separationem a coniuge, cum quo lis est, aut etiam ante, cum alio viro commercium habuisse.

Medici et obstetrices, quantum fieri poterit, inter catholicos eligantur; si vere ex his haberi nequeant, tolerari poterit, ut acatholici adhibeantur, dummodo tamen aliunde constet, eos esse probos et honestos, neque a spiritu catholicae religioni infenso duci.

49. His omnibus accurate peractis, si omnia ad assertam impotentiam probandam conspiraverint, Ordinarius pro matrimonii nullitate iudicabit; sin adhuc dubium aliquod superetit, a sententia proferenda abstinebit, et novas ulterioresque investigationes instituendas praecipiet; quas si inire impossibile fuerit, aut si his non obstantibus dubium semper remanserit, aut si de matrimonio non consummato dumtaxat, minime vero de alterutrius impotentia constiterit, nec coniuges reconciliari queant, integra causa ad S. Sedem transmittatur, cuius erit opportune providere.

ADNOTATIO SPECIALIS

de impedimento Voti solemnis et Ordinis Sacri.

Quoties tractanda occurrerit causa matrimonialis, in qua de impedimento solemnis voti castitatis vel Ordinis sacri cum adnexa castitatis lege agatur, ea integra, post processum informatorium ad necessaria documenta et motiva colligenda institutum, a Rmis Patriarchis aliisve Ordinariis ad Sedem Apostolicam deferatur.

XI.

Instructio S. C. Prop. Fide de iudiciis ecclesiasticis circa caussas matrimoniales.

§ 1. Caussae matrimoniales ad iudicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivantibus sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat.

§ 2. Coniuges in caussis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem in-

stituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur.

§ 3. Ut in tribunali ecclesiastico caussa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo, ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

§ 4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto; si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

§ 5. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

§ 6. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens quidquid ad caussam pertinet in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

§ 7. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta caussa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

§ 8. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

§ 9. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare ut in iudicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui ius habent petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

§ 10. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit tactis Sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

§ 11. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

§ 12. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis Sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

§ 13. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper

audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examininis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

§ 14. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum Cru✠cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

§ 15. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quarum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et caeteris servatis quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

§ 16. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

§ 17. Inter examinandos primo loco venit ille qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex alio-

rum relatione didicerit; et denique nominet testes quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

§ 18. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

§ 19. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

§ 20. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

§ 21. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem

coniugibus eorumque defensoribus, erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

§ 22. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

§ 23. Publicato processu, locus fiet defensionibus quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent refutare valeat.

§ 24. Omnibus ut supra peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

§ 25. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et caussa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam senten-

tiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

§ 26. Ordo appellationis erit prout sequitur. Si prima sententia a curia Episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam Metropolitanam; si vero a curia Metropolitana ea prodierit, appellabitur ad curiam Metropolitanam viciniorem. Ad S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit caussam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

§ 27. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, caeterisque omnibus ad caussam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum est.

§ 28. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigan-

dum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit proprias animadversiones illis apponere valeat.

§ 29. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius, modo quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

§ 30. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio caussarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus caussis matrimonialibus generatim servandas ut iuridica illis stet

validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt.

ARTICULUS I.

De impedimentis cognationis carnalis vel spiritualis, et affinitatis.

§ 31. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia Episcopali authentica declaretur.

§ 32. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur nota sit aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes quibus innititur. Caeterum iudex sem-

per prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et nunquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur et accurate custodiantur.

ARTICULUS II.

De impedimento publicae honestatis.

§ 33. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum, vel regesta existentia penes ministros haereticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit, de re instructos, ut omnia possint cognosci quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt.

§ 34. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum

erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur, ex documentis si habeantur, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex indiciis quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrimque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

§ 35. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet petitis documentis

ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

ARTICULUS III.

De impedimento vis et metus.

§ 36. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum exquirendum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

§ 37. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba gravi indignatione plena adhibita, intentata haeredi-

tatis privatio, eiectio e paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas, aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta obiici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans, qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio ineundo consilia praebere posse iudicaverint.

§ 38. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo cum quo postea contraxit; et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit ut a coactione

parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit, utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit, utrum et quomodo altera pars operam dederit ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum quando contractus motrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit, sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur, utrum nempe his omnibus hilaris, prompte, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio erga alteram partem, et erga eiusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa, utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de caussa quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum considerari debet, utrum hac de caussa inter coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus, a quo tempore post matrimonium istae querimoniae inceperint, et ex qua caussa vel ratione, utrum ad tales lites et dissensiones tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

§ 39. Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges, eorumque parentes, illi praesertim qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine ob quem ad vim adhibendam ducti fuerint. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum quae in actis habentur viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec

locum habuerit. In hisce examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae caussa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt vel ut consiliis et hortationihus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

§ 40. Caeterum in hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

ARTICULUS IV.

De impedimento ligaminis.

§ 41. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut iuxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus Americae catholici commixti vivere cogantur cum haereticis, et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

§ 42. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius, aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante, vel post prioris coniugis mortem; atque ita iudicetur utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

§ 43. Quando ad mortem prioris coniugis probandam praesto non sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint, aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint quem mortuum asserunt, quo tempore, quo loco mors acciderit, qua de caussa, ubi cadaver sepultum, utrum adsint et ubi commorentur alii qui de hoc facto

instructi sint aut esse possint. Ab illis vero qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias, a quo tempore fama de morte vulgari coeperit, et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum qui primitus de re ista sunt loquuti, utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint ut talem notitiam evulgarent. His cognitis in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt: aetas personae quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit; tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius; locus vel loca, ad quae se contulerit, utrum valetudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerint, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint; eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda caussa quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis, aut con-

trariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui discessit, continuavit cum altero coniuge sive per litteras sive per nuncios; si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetudinem adfuisse, et postea cessasse, quin cessationis caussa aut ratio appareat, gravis de morte obita praesumptio habebitur; si e contra constiterit eum qui discessit nunquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut cum propinquis et amicis, indicium mere negativum nullam probationem facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam elegerit, vel arti nauticae aut servitio alicuius navis sese addixerit, et cognoscatur in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones erunt faciendae penes duces exercitus illius, et penes gubernatores vel officiales navis. Si cognita fuerint loca in quibus commoratus est, in singulis locis, et praesertim in illo in quo commorabatur, quando eius indicia perdita fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas personas, si praesto sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciant, atque etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cognominis, patriae, professionis, et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si fieri possit, tribunal curabit, ut in locis in quibus idem commoratus fuerit, publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habent, velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino poterit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias, de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit.

§ 44. At si non ex isto capite, sed potius quia primum matrimonium in haeresi contractum, rescissum fuerit ob

aliam caussam, specialia quaedam erunt observanda. Et primo advertendum est, Evangelicam et apostolicam doctrinam esse, matrimonium valide celebratum solvi non posse propter adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab haereticis confictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum ob aliquam ex istis rationibus praecedens matrimonium dissolutum fuisse, caussa in favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titulum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico confecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico iudici minime licere. Quare tunc caussa ex integro erit instituenda, et iuxta ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet, ut acta tribunalis haeretici vel schismatici requirantur, quo plenior factorum et circumstantiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint exhibita, dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis indicia colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quatenus fieri poterit, etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depositio si adesse cognoscantur; sicut neque alia acta, quae vel moderator vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tribunali haeretico prolatae, numquam tamen istam sententiam tamquam sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existimandum erit, duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit appellare.

§ 45. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dicantur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali haeretico, eadem erunt servanda quae dicta sunt de matrimoniis baptizatorum resolutis per sententiam tribunalis saecularis, nempe caussam

admittendam non esse, si rescissio proclamata fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito, vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit. Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum utrum pars, quae coram tribunali catholico agere intendit, secundum matrimonium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel eius dispensatio intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum, vel etiam regesta curiae, in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matrimonium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit quod, antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata fuerint omnia, quae ss. canones pro his casibus statuunt; sed si institutis opportunis investigationibus adhuc dubium subsit, ad S. Sedem erit recurrendum.

ARTICULUS V.

De Impedimento impotentiae.

§ 46. Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet, necesse est, ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque

licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa ad quam impotentia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad adstruendam vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam.

Hunc in finem prae oculis habenda erit instructio supremae Congregationis S. Officii.

§ 47. Quod si casus occurrat, cui in instructione hac provisum non sit, ad iuris communis normam pertractetur, ac decidatur oportet.

XII.

Instructio S. C. S. Officii de statu libero comprobando; 21 Augusti 1670.

Cum alias per S. C. S. Off. iteratis Instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658 et 1665 locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secludatur aditus iis qui, adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus SSmus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, necnon parochos et notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem Instructionum tenorem, et, licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus : ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Emis et Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum iniun-

git omnibus vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon parochis, notariis et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. C., ut Instructionem infrascriptam ad unguem observent. . . .

INSTRUCTIO.

1. Imprimis testis moneatur de gravitate iuramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

3. An sit civis vel exterus, et, quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte, a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax: si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel ablatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative:

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium sta-

tum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit contrahere volentes esse cives:

8. Interrogetur sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti. Item an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum vel Presbyteratum vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium. Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra.

9. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum vel aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc. Si vero responderit negative:

10. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde iudex colligere poterit an testi sit danda fides. Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos:

11. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat

miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

12. Interrogetur, an, post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota. Si responderit negative:

13. Interrogetur, an esse possit quod aliquid ex illis transierit ad secunda vota absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative:

14. Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia vel non. Si contrahentes sunt vagi non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum se esse liberos; et in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. *Multi* Sess. 24.

Fides, aliaque documenta quae producuntur de partibus, non admittantur nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur. *(V. n. 1368).*

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio: et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula *mihi bene cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et qui attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Ex huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputandus ab Emo Vicario: si extra Urbem, vel Vicarius Episcopi vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda: alias puniatur notarius arbi-

trio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius Generali Vicario prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc. Contravenientes autem severe punientur.

XIII.

De status libertate ante nuptias probanda, Instructio ad orientales locorum Ordinarios.

Ut sua christifidelium nuptiis stet unitas, utque in iis contrahendis nullitas vitetur, Suprema Congregatio Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum, auctorante SSmo D. N. Leone XIII, sequentem Instructionem exarandam et cum Episcopis Orientalibus communicandam mandavit, quae inter difficultates, quibus undique premuntur, magno illis usui et adiumento foret ad probandam status libertatem eorum, qui matrimonio iungi desiderant.

1. Status libertas triplici via detegi et iuridice probari potest: 1° publicationibus in Ecclesia faciendis; 2° documentis; 3° examine testium.

2. Publicationes faciendae sunt in loco domicilii, vel quasi domicilii. Expedit etiam, ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi iam a pluribus annis domicilium fixerint in loco, ubi matrimonium contrahendum est.

3. Testium examini si in civitate episcopali fiat, praesit Vicarius Generalis, si in aliis locis dioecesis, parochus. Interrogationes vero, et responsiones scripto diligenter

mandentur, praemisso singulorum testium iuramento de veritate dicenda.

4. Ad testimonium ferendum in hac materia etiam foeminae possunt admitti, et recipiuntur magis consanguinei, nempe parentes, fratres, sorores etc., quam externi, quia praesumuntur melius informati; et cives magis quam exteri.

5. Fides, aliaque documenta quae a partibus vel de partibus producuntur, munita sint sigillo non parochi tantum, sed potissimum Ordinarii illius dioecesis, unde manarunt. Semper autem attente providendum erit, ut fides, seu testimonia, bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

6. Si post probatam status libertatem duo aut tres menses transierint quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus pro hoc temporis spatio fieri deberet; ast pro casuum varietate res relinquitur prudenti arbitrio Ordinariorum.

7. Si quis ex contrahentibus fuerit in articulo mortis, intra quem probabiliter tempus non suppetat instituendi diligentias necessarias, processus praescriptus poterit omitti, ita tamen, ut si infirmus convaluerit, debeant fieri diligentiae seu processus antequam simul conveniant.

8. Si contrahentes sint vagi non concedatur licentia contrahendi, nist doceant per documenta Ordinariorum suorum se esse liberos; quod si fides singulorum Ordinariorum, in quorum dioecesibus per aliquod temporis spatium, annum non excedens, commorati sunt, haberi non possit, Ordinarius loci, in quo matrimonium est contrahendum, eos ad iuramentum suppletorium admittere poterit, pro illis tantum locis, ex quibus fides authentica haberi non poterit. Insistendum tamen erit semper ut contrahentes inducant testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in Curia loci ubi contrahitur matrimonium, testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent; et si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam poterit sponsus ad iuramentum suppletorium, constito tamen sibi ipsum esse fide dignum.

9. Quod si dubium circa status libertatem contrahentium oriatur vel ex matrimonio, catholico modo, a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis iuxta diversarum sectarum statuta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; aut ex contracto inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus declaratus fuerit, standum Instructioni huius Supremae Congregationis Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis datae die 20 Septembris 1883 art. 4.

10. Testis examinandus moneatur de gravitate iuramenti in hoc negotio ferendi, ac deinde interrogetur de nomine, cognomine, patre, patria, aetate, conditione, et habitatione: tum an sit civis vel exterus; et quatenus exterus, a quo tempore sit in loco, in quo deponit. An ad examen accesserit sponte vel requisitus. Si dicat se accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si requisitum interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes. An sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine. An cognoscat contrahere volentes, ipsorum indolem, mores, conditionem, et a quo tempore, in quo loco, qua occasione. Si responderit negative, testis dimittatur, si vero affirmative, interrogetur, an iidem sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum doceatur de eorum libero statu, pro eo tempore quo in eius Dioecesi morati sunt.

11 Ad probandum vero eorumdem statum liberum pro tempore reliquo, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admitti poterunt testes idonei, qui si concludenter probent rationem reddendo propriae scientiae, necesse non erit deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contracturi moram duxerint. Si vero responderint eos esse cives, interrogentur sub qua Parochia hactenus habitaverint vel habitent, an sciant alterutrum vel

utrumque quandoque matrimonio copulatum fuisse, aut professum in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus cui adnexa sit lex caelibatus, vel alio impedimento matrimonium dirimente esse obstrictum. Si ad haec negative responderint, interrogentur de causa scientiae, et an sit saltem possibile ut alteruter habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, quod ab ipsis testibus ignoretur. Si responderint affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus contrarium concludenter probetur. Si vero responderint negative, interrogentur de causa scientiae, ex qua deinde colligere poterit, an huiusmodi testibus fides sit adhibenda. Si responderint, nupturientes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogentur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo et unde sciant eos fuisse coniunctos et respectivam eorum uxorem vel maritum esse mortuos. Si respondeant mortuos esse in aliquo hospitali, vel se vidisse eos sepeliri in aliqua certa ecclesia, aut coemeterio, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae aut coemeterii, in quo humata fuerunt eorum cadavera. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, non excluduntur aliae probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes. Interrogentur insuper, an post mortem alterutrius coniugis ad secunda vota transierint; et quatenus negative, an fieri potuerit, ut aliquis ex illis transierit ad secunda vota, quae ab ipsis testibus ignorentur; et quatenus affirmative supersedeatur a licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative, interrogentur de causa scientiae, qua perpensa iudex poterit iudicare an sit concedenda licentia, necne.

Datum Romae die 29 augusti an. D. 1890.

R. Card. MONACO.

XIV.

Decretum Leonis XIII, diei 15 februarii 1892.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III [1], Innocentius III [2], et Gregorius IX [3], decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum [4] irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea vix aut ne

[1] Cap. *Veniens*, de Sponsal.
[2] Cap. *Tua nos*, eodem tit.
[3] Cap. *Is qui fidem*, eodem tit.
[4] Sess. XXIV. Cap. 1 de Reform. matrim.

vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimoniii validitatem ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 februarii 1892, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

INDEX

PARS PRIMA

PARS SECUNDA

PARS TERTIA

DISCEPTATIONES CANONICAE

APPENDIX

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Patr. Constantin. Vicesgerens.

DECRETUM
DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO
IUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPAE X
A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. I, Sess. XXIV de reform. matrim.* edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SSm̃us D. N. Pius PP. X, pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Em̃orum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SSm̃us Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De sponsalibus

I. - Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut loci a Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. - Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio

III. - Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. - Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

§ 1°. a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2°. intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3°. dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. - Licite autem adsistunt,

§ 1°. constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2°. constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3°. quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

§ 4°. Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5°. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. - Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. - Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. - Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite

iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. - § 1°. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2°. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3°. Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. - Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2ⁱ et 3ⁱ num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. - § 1°. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2°. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3°. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter

se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habetur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2a mensis Augusti anni 1907.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

C. De Lai, *Secretarius.*